G. H. Velschii
De Vena Medi=
nensi et vermi=
culis capillaribus
infantium.
Augustæ Vind.
1674.

ابن سينا
في
العرق المديني

J. H. Schönfeldt Delineavit.

Melchior Haffner. fe.

GEORGII HIERONYMI VELSCHII

Exercitatio De VENA MEDINENSI,

Ad Mentem Ebnsinæ,

Sive

De

Dracunculis Veterum.

Specimen exhibens novæ Versionis ex Arabico,

cum Commentario uberiori.

Cui accedit altera,

DE VERMICULIS CAPILLARIBUS INFANTIUM.





Augustæ Vindelicorum.

Impensis Theophili Gœbelii, Bibliopolæ,
CIↃ IↃC LXXIIII.

Galenus ad Thrasibulum c. XXXII.

Εἴτ' ἐκ τῆς τῶν Ἀσσυρίων ἢ φωνῆς τοὔνομα, παρὰ τῶν Ἀσσυρίων αὐτῶν μανθάνειν χρὴ τὸ πρᾶγμα, καθ' οὗ τὸ ὄνομα λέγουσιν, εἴτ' ἐκ τῆς τῶν Περσῶν, ἢ Ἰνδῶν, ἢ Ἀράβων ἢ Αἰθιόπων, ἢ ὅλως ὁντινουῦν, ἐκείνων πυνθάνεσθαι.

h. e.

SIve ex Assyriorum lingua Vocabulum sit, ab ipsis Assyriis rem discere, cui nomen illud indiderunt: sive sit ex Persarum lingua, aut Indorum, aut Arabum, aut Æthiopum, aut omninò quorumcunque aliorum, illos percunctari oportet.

CLAUDIA. FELIX.

CÆSARIS.

P. A.

IMPERATRIX.

ROM.

O. M.

S C.

COELI.

FAXIS.

L.

DIVA.

P. A.

I. R.

A

TE

PRIMA

REX. ROM.

A.

M.


Cæsaris hæc Consors LEOPOLDI est CLAVDIA FELIX
His minus est, si quid grandius esse potest.
N. M. Q. C.
Josephus Vuernerus pinxit
et delineavit.
D.
G. H. V.
Georgius Andreas Vuolfgangus
in ære sculpsit.

AUGUSTISSIMÆ,

PRINCIPI

CLAUDIÆ FELICI.


IMPERATRICI ROMANÆ,

GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, REGINÆ.

ARCHIDUCI AUSTRIÆ. COMITI TERIOLIS.

DOMINÆ CLEMENTISSIMÆ,

πολυχρόνιον,



[a 2] Cùm

Um festo plausu jam Orbis universus personet, certatimque in laudes TUAS, AUGUSTA, & gratulationes, diversa omnium studia se diffundant, Clementiæ TUÆ hoc monumentum non ultimum celebrari permittes, quod sacris putealibus TUIS in genua advoluto publicis gaudiis privata miscere, Numenque, ac Majestatem TUAM, humillimè venerari liceat. Si pro salute, pro

magni-

magnitudine, pro fœcunditate TUA vota ſolventibus adnueris, huc quoque mitiſſima Muſarum Domina, Pallas Romana & Auſtriaca, ſerenos vultus flectes, quales nimirum & Solis ſunt, cùm primo exortu illuceſcens, umbras, nubesque ac nebulas diſpellit, TUOque imperio perpetuus, nunquam benignos radios avertit, etiam cùm Oceano conditus Atlanticis ſub humo populis vitam & calorem inſinuat. Summorum quidem ingeniorum ſummus hic labor erit, ut pietatem, ſapientiam, virtutes-

que TUAS, humanis majores, dignis ſermonibus efferant. Nec tamen exigua molâ litare prohibebis, qui hecatombas offerre nondum valet. Sed gratioſiſſimè concedes, ut tot gentium vice ſupplex, quot linguis hoc opere uſus, id eſt pleriſque omnibus, parum tranſpoſitis ſacratiſſimi nominis TUI elementis, tergeminâ ἐυφημίᾳ ut veteri Græcorum, novæque Romæ verbo Imperatorio dicam, denuò tertiumque TE venerari, ſceptriſque ex TE naſcendis ſceptra fatorum æternitate accumulanda augurari liceat.





CAPUT I.



Alenus, Medicorum princeps, II. Method. med. II. expositurus unde sua morbi nomina acceperint, quaternam originem designavit. Nam vel *à loco adfecto* denominatos ait, uti est pleuritis, peripnevmonia, podagra, vel *à symptomate aliquo sivè solo*, ut spasmus, Ileus, paralysis, *sive etiam addito loco*, ut odontalgia, cephalalgia, vel *à causa*, ut melancholia, cholera, hydrops leucophlegmatias, vel denique *ab externa quadam similitudine*, ut elephantiasis, cancer, polypus, morbi alii. Ebnsina, & ipse Medicorum princeps, & præterea princeps Medicus, plura addit: lib. I. sect. II. doctrin. I. c. IIX.

واما منسوبا الي اول من يذكرانه عرض له ذلك كقولهم القروح البلخية واما منسوبا الي من كان مشهورا بالانجاح في معالجاتها كالقرحة الجيرونية واما من جواهرها وذواتها كالحصبة والورم

Vopisci Fortunati Plempii versione: *Alii nomen trahunt ab eo, qui primus illis correptus fuisse memoratur, ut Ulcera Telephia à Thelepho quodam, alii à regione in qua frequenter grassantur, ut Ulcera Balchensia, alii à celebri quodam & famigerato ipsorum Medico & curatore, ut ulcus Chironium alii deniq; à substantiis & essentiis nomen acceperunt, ut febris & tumor.* Unde

de Arabica Medicei Codiicis ex CPo. & Commentario, Carashii ſuplenda eſſe patet: كالعروق الطلفيه من فلان اسمه طلف واما منسوبا الى بلاد الذي تكثروا فيها كقولهم العروق البلخية & quæ ſequuntur, adfectum, quem explicandum proponimus, Venam Medinenſem appellat, nomine, quod intelligere pronum eſt, partim *à quacunq; vena ſimilitudine*, partim *à loco natali* deſumpto. Sic enim ipſe initio primi capitis: *prodit rubri quidpiam ad nigredinem vergens:* & in fine: *generatur plurimùm Medinæ, & propterea refertur ad eandem:* quæ verba non omninò malè ad ſenſum, non autem ad vim nativam Alpagus reddiderat: *Et plurimum quidem generatur in Medine, & propter hoc denominata eſt ab ea.* Latius enim patet Vocabulum نسب cum præpoſitione الى conſtructum, quam ut ad ſolum etymon trahi debeat, cùm omnem relationem & reſpectum quemvis includat: ùt apud Hippocr. περὶ τέχνης, τὸ διά τι: quod olim quoque Gerardus innuere cupiebat, cùm barbarè redderet: *& propter hoc proportionatur ei:* Vox quidem عرق latiori ambitu omnia corporis humani vaſa denotat, adeoque præter venas, arterias quoque & nervos: Venam tamen, non nervum, reddidimus, quia ruber color illi, huic, magis convenit, quem etiam Ebnſina noſter toto opere ſuo non عرق ſed perpetuo عصب apellat. Unde quatuor illis fontibus Galeno memoratis haut ab re quintus addi poſſet, à patria nimirum, qua natus eſt adfectus, aut etiam gente, quam vel primam adflixit, vel præcipuè exercet, deducendus. Quod tamen non propter iſthunc tantum adfectum, ſed alios quoque faciendum, qui ad quaternam Galeni originem reduci nequeunt. Nam morbo, quem

quem Itali Gallicum, Rondeletius Italicum, alii Hispanicum, aut rectius Indicum appellant, nomina hæc cuncta non locus adfectus, non symptoma, non causa, non similitudo imposuit, sed variarum gentium primi ortus convicia amolientium inter se contentio, quemadmodum haut ita pridem ad Marcelli Cumani obs. IV. ex Roderico Diacio notavimus. Neq; tamen propterea Galenum reprehendimus, ac si is hac in re quidquam omisisset, sed potius tum temporis denominationes à loco natali planè inusitatas fuisse suspicamur. De Vena enim Medinensi res plana est, cùm aliquot post ipsum sæculis Ebnsina demum id nominis usurpârit. Morbum quoque Indicum Galeno ignotum doctiores omnes consentiunt, quidquid in contrarium Zacutus Lusitanus I. hist. Med. princ. quæst. XXXV. argutetur, qui vetustissimum non Galeno tantum, sed ipsi & Hippocrati cognitum somniabat: cui tamen nemo crediderit, etsi per Anchialum jurasset. Ut jam de febri Hungarica, plica Polonica, sudore Anglico, & similibus morbis aliis, vix ultra sæculum natis, aut saltem cognitis, nihil adferamus.

Cæterùm quam Venam Medinensem in versione nostra nominavimus, eam in sua interpres antiquus ipsa Arabica voce & terminatione imperitissimè retenta Venam Medeni appellat. Perperam quoque Alzaravii Interpres *Harac Almendatu*, & Adolphus Occo in Pr. sua Msta. *Medom ac Medomi* vocabat. Alii, qui de hoc adfectu commentati sunt, longè ineptius Venam *Medenam*, *Meden*, *Medin*, *Endimini*, & *Medianam*, quoque nominarunt. Quæ nomenclaturæ iccircò omnes, ut barbaræ, & inscitæ, in posterum à viris doctis reprobari, atque ex universa Republ. literaria ejici ac exterminari merentur. *Vena Medinensis à Medina*, sive (articulo addito apud Petr. Bellonium II. observ. LIII.) *Almedina*, oppido Arabiæ dicitur, de quo Erpenius scitu dignissima ad Josephi historiam ex Alcorano à se editam adnotavit. Nec enim ipsa illius verba adscribere pigebit, quod instituto nostro eam, qua indiget, lucem luculentissimam adferre queant: *Suratarum (quas Latinus Interpres corruptè*

Azoaras vocat) aliæ مكية *Meccenses, aliæ* مدنية *Medinenses inscribuntur, cùm enim pseudopropheta Meccæ, quod celeberrimum est Arabiæ emporium, invito Magistratu & civibus plerisque doctrinam suam divulgaret, coactus tandem fuit urbem deserere, & Jathribam, quod oppidum est, X. dierum itinere, â Mecca distans, confugere: ubi â civibus cum gaudio acceptus, visum ei fuit imperii sui sedem collocare, unde &* مدينة النبي *Civitas Prophetæ, & absolutè* مدينة *Civitas dictum fuit. Hic, quæ accepit cœlestia, scelesta penè dixerim, oracula, ea Medinensia vocata sunt, ut quæ antea suis Meccæ obtruserat, Meccensia.* Sic ille. Abulfeda tamen, princeps Geographus non modò يثرب sed etiam أثرب vocat, tanquam pinguedine abundantem dixeris, sive propter soli fertilitatem, sive, quod verosimilius, propter fœturam animalium: Latrippa Ptolemæi, viri summi Jacobi Golii conjecturâ. Cujus plura alia nomina apud Firauzabadium in Oceano L. Arab. & Jauharium in Lexico, occurrunt, quæ nempe primò epitheta tantum atque elogia, appellativa denique & propria, consuetudine facta sunt, quemadmodum & Mecca apud eundem أم رحم appellatur, quod illam patriam habuisset, tanquam matrem misericordiæ quis dixerit. Ita دار sive â figura rotundi ambitus appellata, sive quod domum & habitaculum exuli præbuisset: طيبة item bona & delicata: الموفية integræ fidei, & المرحومة tanquam Deum propicium experta. Genes. X. 30. *Mesa & Sephar:* R. Saadiæ, & Paraphrastæ Arabi vetustissimo, qui ex Illustris viri Francisci Savarii de Breves, Legati quondã Regis Gallia-

Galliarum ad Turcarum Imperatorem, Bibliotheca instructissima in Heptapla Parisiensia adsumptus est, مكة ومدينة exponebantur, urbes Arabiæ celeberrimæ, quarum altera deinde Muhammedi patria, altera asylum exstitit. Neque dissentiens R. Abrahamus Zacutus in libro Juchasin f. 135. b. ajebat: *Meso, quæ linguâ Arabicâ Mecca dicitur* משא והיא הנקרא בלשון ערבי מכה; Incidit autem hæc Muhammedi fuga sive migratio Medinam in Epoches Christianæ annum IↃCLXII. Unde peculiaris Muhammedanorum æra, de qua Georgius Ebn Elaamidus, Elmacini nomine notus. I. histor. Sarac. I. quam eidem Erpenio debemus: في السّنة الرابعة عشر *Anno quarto decimo* هاجر صلي الله عليه الي المدينه *migravit Muhammedus gloriosæ memoriæ Medinam.* Paucisque interjectis: وعلي هذه السّنة التاريخ بسّني الهجرة وهي السّنة الربعة والخمسّون من عمرة صلي الله عليه وسّلم *Atq; ab hoc anno æra ducitur Hegiræ, estq; annus ætatis Muhammedi gloriosæ memoriæ quartus & quinquagesimus.* Gregorius quoque Abulfarajius de orig. & mor. Arab. de eodem:

اصابته قريش بعظيم من اذا فهرب عنهم الي المدينة وهي يثرب Viri summi Edoardi Pocokii versione: *Cum magno illum malo adficerent Coraishitæ, ab illis Medinam, Jathrebum scil. fugit.* Conventicula eorundem & machinationes prolixis fabulis, & interveniente *Ablis̈o sive Diabolo*, senis effigie adsumpta, enarrat Ebn Oomarus Beidaciensis in Commentario Suratæ Coranicæ IIX. Gabrielem tandem Archangelum cœlo delapsum

lapsum fingens, qui Muhammedo diceret: ان الله تعالي يقول لك اخرج من مكة الي المدينة *Mandat tibi Deus altissimus, ut Meccâ egressus, Medinam abeas*. Ex quibus omnibus satis apparet, quantopere fallatur Amatus Lusitanus, qui Schol. ad Centur. VII. cur. LXIV. Venam Medenam dici sibi persuadet, quod præcipuè apud *Mediam*, uti loquitur, juxta Persidem nascatur. Nihil indoctius dici poterat ab eo, qui se linguæ Arabicæ non imperitum credi volebat, quemadmodum è Schol. Centur. I. cur. I. & Cent. VII. cur. LIII. colligi potest. Ut enim taceamus, quod Latinè *Vena Medica*, à *Media*, non autem *Medena* dicenda fuisset, sicut & poma Citria ab illa regione mala Medica vocantur, ipsa vocis Arabicæ orthographia manifesto reclamat: Non enim العرق المدينى sed potius العرق المادى scribi debuisset, siquidem quos Medos B. Lucas nominat Actor. II. 9. eos ماديون appellat in paraphrasi sua Arabs Erpenianus. Cui accedit, quod Medorum nomen jamdudum ante Ebnsinæ tempora omninò exoleverit, quod ex illius scriptis facilè ostendi potest. Ipsa etiam *Media*, (quam vulgares Geographi, linguarum Orientalium imperitiâ omnia depravantes, ineptè *Sark* vocârunt, quà parte septentrionem spectat, in regione شروان *Shirvana*, hodiè collocatur, quà verò meridiem, in provincia آدربيجان *Adirbeyana* dicta, quod rerum Persicarum peritissimus vir Adamus Olearius V. Itiner. sui. II. pluribus animadvertit. Ut vel hinc pateat, quantum tribuendum sit Gerardi Mercatoris, cæteroquin diligentissimi sententiæ, qui *Addiabenen* الذباب Lyciam majorem & minorem olim Assyriam,

in qua

in qua Ninive شرق *prædatoriam* interpretatur, quæ potius Orientalis eadem nominis origine. Qui EbnZachariam Rasæum, à vulgo Medicorum Rasin dictum, nobis dederunt, quotquot illi fuerint, quamvis vim vocis satis intellexisse videantur, dum tamen pro Vena Medinensi VII. ad Almans. XXIV. & XII. ejusd. II. nec non XXVI. Contin. tr. II. c. I. *Venam Civilem* reddiderunt, nec ipsi culpâ vacant, ut qui nomen Grammaticis proprium dictum sine ulla ratione, nec sine obscuritatis vitio in appellativum transmutârint, perinde, ac si quis v. g. *Midianem* Abrahami F. Genes. XXV. 2. memoratum, non proprio hoc suo nomine, Latinè vocare vellet, sed Judicem potius, quod apud Hebræos hæc vocabuli significatio exsistat. Quam culpam Interpres quoque Ebn Jezlæ Venam civilem vertendo cùm admisisset, librarius in Msto. Codice Bibl. Reipubl. nostræ *Venam Medicinæ* multò imperitius reposuit, atque in *Venam Madan* Jo. Magebuchius Comm. in Cantic. Ebnsinæ part. IV. Chirurg. §. XXIX. ap. nos Msto. non sine errore commutavit. Saltem Vesalius, qui inter Rasæi interpretes postremus esse noluit, & ipse tamen Arabicè nequidquam doctus, non potuit ignorare, plures hodieque Hispaniæ urbes Arabicâ voce Medinas appellari, ut qui sub Hispano principe natus, ejusque stipendia aliquot annos meritus, debuerat omnem illam regionem, quam in familiam Cæsaris adscitus, itinerisque comes perlustrarat, haut perfunctorie novisse. Sic in Castella veteri *Medina cæli* dicitur, quam vett. inscriptiones *Eceleſtam* nuncupant, non verò *Augustobriga*, ut Josephus Moletius putabat: hanc enim rerum Hispanicarum elegantissimus Scriptor Jo. Mariana. *Villar del pedroso*, appellat, & murum propè *Agredam*: In eadem alia duo oppida: *Medina de pamar*: & *Medina del campo*: ab Ortelio recensentur: in regno autem Legionis: *Medina de rio seco*: quam imprudentiores *Augustam Emeritam* faciunt, cùm hæc in Castella citeriori seu nova antiquum nomen satis referat: *Merida* enim dicitur: In Bætica autem *Medina Sidonia*, quam Floræ delicium, Carolus Clusius, *Asindum* suspi-

suspicatur. Cum verò hæc nomina urbibus istis propria in alia mutare nemini liceat, non debuit id in Medina Arabiæ interpretibus fas videri. Neque adsentiendum est Laurentio Franciosino, qui in Vocabulario Hispan. Ital. cæteroquin optimo, Medinam *Metropolin* exponit: *Medina, voce Arabica, vale città principale, Metropoli.* Nam & ex hisce omnibus, quas memoravimus, vix una & altera Metropolis nomen sibi vindicare potest, & apud Arabas Medina latius accepta, omnem civitatem notare solet: Jathribæ autem καθ' ἐξοχὴν tribuitur, ob causas supra ex Erpenio adductas. Quin ipse Muhammedus illa Corani Suratâ, quæ الانعام inscripta & est, patriam suam Meccam Metropolin laudaturus, non مدينة sed ام القرى vocat. Cæterum in transcursu advertimus, antequam ad reliqua synonyma accedamus, Theophrastum Paracelsum Medenarum quarundam in operibus suis meminisse, quas, quia nusquam aperte descripsit, sed more suo non intellecto nomine, tenebris involvit, levi tantum, ut dicitur, brachio attingemus. Reponit autem illas in V. de tum. pust. & ulc. morb. Gall. c. VI. à Josquino Dalhemio Latinè converso, inter dubia illius signa: Et in fragmentis, quæ parti IV. operis Chirurgici Argentinensis inserta sunt, p. 659. curationem Medenarum, Nactarum, & parotidum tradit per hyoscyamum, Caphuram, & nescio quem Viscum, instituendam. Unde solâ narratione patescit, Medenas istas Paracelsicas cum Vena Medinensi nullam cognationem habere, siquidem & Ebnsinæ luem Indicam planè incognitam fuisse, clarius est, quam ut nunc multis argumentis probari debeat. Per Medenas igitur suas Paracelsus haut dubiè tumores quosdam fervidos, malignos, & planè venereos innuere voluit, quos ideo parotidibus & abscessibus junxerat, omnem curationem in doloris mitigatione, sive, ut ipse vocabat, mortificatione, collocans. Quidquid tamen alii sentiant, parum refert, & nos auctori suo relinquamus. Ad reliqua propterea adfectus nomina transeundum, quæ ap. Arabas & Bar-

& Barbaros occurrunt. *Passionem Venæ exeuntis*, aut *Venam exeuntem*, Alzaravius tr. XXIIX. Pract. c. XII. aptè & eleganter appellat; quam eodem significatu Franciscus Pedemontanus in supplementis Petro Aponensi Conciliatori additis in II. secretorum Ebn Masviæ conscriptis sect. II. part. II. c. VII. *Venam egredientem* vocat. *Harac almendatu* vitiosè scribebat Interpres cæteroquin non malus, quisquis fuerit, quem Sigismundus Grimius, quondam ex nostris Medicus pereruditus, primus in lucem protulit. (ex ipso enim fonte Arabico versionem eduxerat, ut satis ex vocabulis relictis colligi potest, non Hebraica paraphrasi, quam ipsam tamen R. Ben Jonæ rarissimam & difficillimam inventu monuit Amplisf. Lambecius lib. I. de Bibl. Cæs. Vindob. part. II. addit. II.) عرق المنضض Nam نض *Exire* est, sed *tanquam exsudando ad instar aquæ*, ut hoc nomine egregiè undosus motus dracunculi innuatur, de quo in sequentibus plura, serpentibus proprius, unde نضناض *mobilis nec uno loco quiescens serpens* apud Jauharium in Lexico. Ratione iccircò appellationis ex ipsa adfectus natura & qualicunque similitudine desumpta, de qua deinde uberius verba faciemus. Ebnsina enim prodire rubri quidpiam ad nigredinem tendens, statim initio adfirmat. At Aali Ebn Aabbasum Venam famosam vocâsse putabant quidem Guido Cauliacensis tr. II. Chirurg. c. IIX. & Ambrosius Paræus lib. VII. Chir. c. XXI. verùm interpres illius vetustissimus & auctori ætate proximus, ut qui undecimo Sæculo à Christo vixerit, Stephanus quidam Antiochenus, qui se Philosophiæ discipulum modestè profitetur, non *famosam*, sed, *saniosam*, scripserat, & recte ediderat jam olim Antonius Vitalis, Medicus Pyrranensis è Vasconia. Unde aut illos elementorum adfinitate deceptos, aut, qui eorum opera excuderunt, Typographos halucinatos, sponte dispalescit. Cur autem saniosam dixerit, causam existimamus, sive quod saniem fundat tumor crudus, sive quod non rarò soleat suppurari, qua de re infra dispiciendum, cùm recentiores

peregrinantium observationes commemorabimus. Abulcasimus (qui vulgo corruptè Albucasis) lib. II. c. XCI. *Venam crucis* à similitudine, locoque frequentius adfecto nominat: Sed laxius nonnihil, cùm isthac ratione à veris crurum venis nequaquam distinguat. Ebn Zohari morbum hunc *Halalnachaidini* dici Jo. Langius adfirmat lib. II. epist. XLII. quam voculam Jo. Schenkius V. observ. CLXXXVI. unâ syllabâ auctiorem, *Halalnachalaidini* extulit: Ex quibus, quam quisque volet, eligat. Quid enim significent, ut hac vice edisseramus, nemo exspectabit. Quamvis enim diu easdem pensitantibus non una conjectura sese facile obtulerit, cùm tamen plures & diversissimæ scripturæ esse possint, nos autem Arabico Ebn Zoharis textu destitui ingenuè fateamur (quo olim quoque Medicus ille Patavinus, Jacobi cujusdam Hebræi operâ usus CIↃCCLXXXI. pariter destitutus, Hebraicam tantum paraphrasin usurpârat, neque ex alio Codice ullo interpolârat Hieronymus Surianus CIↃCCCCXCVI.) maluimus hunc nodum aliis solvendum relinquere, quibus videlicet ea felicitatis pars obtigit, ut auctorem suâ linguâ scriptum sive possideant, sive usurpent, quam temerè quidquam in medium adducere, aut multa de literis & scriptione ipsa hariolari. Nec enim dubitamus alicubi latere. Paschalis Gallus in Bibl. sua p. 124. apud Guil. Postellum Mss. exstitisse commemorat. In cujus autem manus, illo rebus humanis exempto pervenerit, nobis non constat, cùm ipse præfatione Cosmographiæ suæ ad Ferdinandum, tùm Romanorum Regem, Arabica Volumina, quorum maximam copiam ex Oriente advexerat, partim in sarcinis librariis Venetiis à se relicta, partim Ottoni Henrico, Bavariæ Duci, oppignorata narret. Nos sanè meminimus in Vaticana quondam, cui superioris belli fortunâ Palatina inserta est, hunc ipsum Codicem frustra à nobis requisitum. Qui verò in Regia Scoriacensi no. LV. habetur, de experimentis Med. senioris videtur, ab introductorio filii no. XXV. plurimum diversus. Ut tamen aliquid liberius adferre liceat, scribendum suspicamur: هل او هلل الخض المدينى ،

المديني *Serpens pulposus seu musculosus Medinensis, telæ araneæ in modum convolutus*, quod naturæ adfectûs perpulcrè conveniret.

Guil. Salicetus I. Chir. de apostem. LIV. Venam civilem & *Venam vitis* nominat. De illa jam dictum. At Vena vitis Rasæo IX. ad Almanf. per varices exponitur cùm aliis, tùm Christophoro Barsisio in c. CLXX. Causam reddit Jo. Michael Savonarola, Pr. c. XXII. rubric. IV. quod Venæ tortuosæ incedant, ut vitis. Claviculas aut Capreolos vitis, quos Plinius crines, Græci ἕλικας vocant, dicere illum voluisse verosimile putamus. Non enim placet, quod Vesalius Comm. in c. XCII. similitudinem ad majores vitis ramos inæqualiter distributos retulerit. Sed & Gerard. Bututus Bituricensis, quem vulgò Ger. de solo appellant, in c. XCVII. Venam vitis vocat, cùm Venæ crassiores, plenæ, & diversimodè incurvatæ viridesque in crure appareant. Unde luculentius constat Guil. Venam Medinensem, cum Varicibus confudisse, cujus erroris Socios habet plures alios, omnes tamen judicii imbecillitate permotos, ut crederent, eundem adfectum esse, quem Aali in unum caput conjecerat, & plerique pari ratione curari scripserant, qua vulgò etiam Varices tractari docentur.

Pustula Vermicularis Jo. Colle Elucidar. Chir. sive Comm. in IV. Ebnsinæ Sect. IV. tr. II. c. XXI. novè convictum nomen est, & quo carere poteramus, pluribus tamen inferius c. IV. examinabimus. Ne enim diutius apud Arabas & Semibarbaros hæreamus, in Græciam quoque & Latium transeundum est. δρακόντιον igitur appellat Auctor defin. Med. quæ falsò Galeni nomine inscriptæ. Et Auctor introductionis inter cutis adfectus δρακοντιάσιν recenset, sive is Herodotus Agathini discipulus, Pneumaticæ sectæ, sive Herodicus potius (Amati Lus. opinione Cent. VII. cur. X.) sive fortasse alius fuerit constituendus. Τὰ λεγόμενα δρακόντια, plurium numero Galenus ipse commemorat VI. de loc. adf. III. Paulus Ægineta IV. rei Med. LIX. Leonides apud Aëtium tetrab. IV. Serm. II. c. LXXXV. & Jo. Actuarius IV.

Meth. med. XVI. & VI. c. IIX. Latini interpretes *dracunculum* & *dracunculos* reddiderunt. Nomenclaturæ ratio ubique evidens & planè eadem. Græcis enim ἀπὸ τοῦ δράκοντος, Latinis à Dracone ὑποκοριστικῶς dicitur, quasi parvus quidam draco, propter similitudinem, de qua nos postea copiosius differemus. Nam & Rasæus XXVI. Contin. tr. II. c. I. expresse sub cute progredi ajebat, ad instar serpentis. *Dracones* vocabat Petrus Borellus Cent. I. observ. XXIIX. vermes longissimos in suris Indorum, & Guil. Rheginus Exercitamentis Med. sed nullo antiquitatis consensu aut testimonio adducto. δράκων verò plerisque ἀπὸ τοῦ δέρκειν, à visu scil. acuto omnibus ferè serpentibus proprio, deducitur. Attamen ἀπὸ τοῦ δρακεῖν propius derivari posset. Sic enim Hesychius: δρακεῖν, ἰδεῖν, βλέψαι. Festus clarissimè: Dracones dicti ἀπὸ τοῦ δρακεῖν, quod est videre. Solus Scaliger pater Exerc. CLXXXIII. §. XII. Draconem, inquit, Grammatici, atque eos sequuti magni viri παρὰ τὸ δέρκεσθαι deduxêre. Nobis commodius atque acutius visum est, παρὰ τὸ δρᾶν ἄχος. Sed benè sit tanti viri manibus, nil quidquam opus erat nova hac Etymologia, quæ præ antiqua illa omninò nihil subtilitatis continet, quam tamen à Cardano toties, & tanto strepitu requirit. Neque δρᾶν ἄκος, satis adridet, quamvis id multò doctius de Æsculapio ejusque filia Panacea IV. Theol. gentil. LIIX. adduxerit Ger. Jo. Vossius, quia vim etymi soli Medicinæ adstringit. Acutius profectò & ad omnis antiquitatis fidem propius Macrobius L. Saturnal XX. *Esse draconem inter præcipua solis argumenta etiam nominis fictione monstratum, quod sit nuncupatus* ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *h. e. videre. Nam ferunt hunc serpentē acie acutissimâ & pervigili naturam sideris hujus imitari, atq; ideò adium, adytorum, Oraculorum, thesaurorum custodiam draconibus adsignari.* Unde & illud Tullii in M. Antonium philippica XIII. *An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, q. Thesaurum draco.* Et fabula Græculorum recentiorum de filia Hippocratis in Draconem conversa, quam tanquam narrationem veram Jo. Mandavillius Itiner. c. VI. inseruit & tanquam singularem & mirabilem nuperrimè eleganti

ganti Hippocratis editioni Cl. Lindenus præfixit. Nisi enim occulto quodam significatu, (quod facile fieri poterit) de fortuna artis ipsius Medicæ exponatur, cæteroquin vanissimam & futilissimam nemo non sponte capit. Addendum, etiam virginitatis, ut est apud Nonnum XIV. Dionysiacorum de Baccha quadam:

καί τις ὄφιν τριέλικτον ἀπήμονι δήσατο κόλπῳ
ἐνδόμυχον ζωστῆρα κεχηνότα, γείτονι μηρῷ,
μείλιχα συρίζοντα, φυλακτήριόν τε κούρης
ὑπναλέης ἄγρυπνον ὀπιπευτῆρα κορείης.

Vertente Eilhardo Lubino:

Et quadam anguem sinuosum indemni illigabat sinui
Intus latentem cingulum biantem vicino femore,
Dulciter sibilantem, vini amantisq; puellæ
Somnolentæ insomnem custodem Virginitatis.

Euripides tamen in Bacchis causam à Jove Bacchum in femore occultante deducens, crinibus innecti adserebat:

στεφάνωσέν τε δρακόντων
στεφάνοις, ἔνθεν ἄγραν
θηροτρόφοι μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις.

Guil. Cantero interprete:

Coronavit draconum
Coronis, unde prædam
Ferarum altrices Mænades captam injiciunt undiq;
Suis crinibus hanc iis innectentes.

Nec aliter Horatius II. od. XIX. cùm Bacchum adloqueretur:

Tu separatis uvidus in jugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.

Imò ad manes ipsos custodia hæc dimanavit. Sic enim Plinius XVI. 44. *Durant*, inquit, *in Linternino Africani prioris manusatæ olivæ. Item myrtus eodem loco conspicuæ magnitudinis. Subest specus in quo manes ejus custodire Draco traditur*. Pertinet

huc etiam ridiculum ostentum, quo securitatis præsidium Nero sibi quæsivisse à C. Tacito memoratur XI. annal. XI. *Vulgabatur adfuisse infantiæ ejus dracones in modum custodum: fabulosa, & externis miraculis adsimilata. Nam ipse haudquaquam sui detractor, unam omninò anguem in cubiculo visam narrare solitus est.* Suetonius paulò aliter de eodem c. VI. *Gratiâ quidem & potentiâ revocatæ restitutæq; matris usq; eò floruit, ut emanaret in vulgus, missos à Messallina uxore Claudii, qui eum meridiantem q. Britannici æmulum strangularent. Additum fabulæ est, eosdem dracone è pulvino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est, deprehensis in lecto ejus circum cervicalia serpentis exuviis.* Sed & Horatius lib. I. Satyr. III. acutissimum visum draconibus adscribit:

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius?

Et Ovidius de Dracone Velleris aurei custode ab Jasone Medeæ suæ artibus sopito in VII. Metamorphos. canit:

Somnus in ignotos oculos ubi venit, & auro
Heros Æsonius potitur.

At Scholiastes Apollonii Rhodii non ad visum aut vigilias refert, sed aliorum opinione paullò aliter commemorat, ut historiam, à fabula distinguat: τὸν δράκοντα λάδωνα ἐκάλουν, τοῦτον δὲ Πείσανδρος ὑπείληφεν ἀπὸ τῆς γῆς γεγενῆσθαι, Ἡσίοδος δὲ ἐκ τυφῶνος φησίν. Ἀγροίτας δὲ ἐν γ'. λιβυκῶν, φησὶ μὴ μῆλα εἶναι, ἀλλὰ πρόβατα κάλλιστα, ἃ χρυσᾶ ὠνομάσθη. ἔχειν δὲ ταῦτα ποιμένα, ἄγριον, ὃν διὰ τὸ ἀνήμερον δράκοντα ὠνομάσθαι. lib. IV. Argonautic. v. CIↃCCCXCVI. Nostra interpretatione: *Draconem appellarunt Ladona. Hunc verò Pisander ex terra Hesiodus Typhone genitum narrat. Agroetas autem in tertio Libycorum non mala fuisse ait, sed oves præstantissimas & pulcerrimas, quæ ideò aureæ vocabantur. His autē fuisse pastorem quendam agrestem hominem, qui propter feritatem suam Draco sit nominatus.* Nec multum aliter Origenes quoq; draconem dæmonem appellabat Chrysostomi sententiâ, διὰ τὸ ἰσχυρὸν ὁμοῦ καὶ ἰοβόλον.

ἰοβόλον. Homil. VI. in Ephes. II. Theophilus autem II contra Autolycum *διὰ τὸ ἀποδεδορκέναι αὐτὸν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ.* David Hœschelius in notis haut malè: *διὰ τὸ ἐπὶ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἀπηνὲς δέρκειν.* A videndo quoque, *ἀπὸ τοῦ δέρκειν*, oculi, *δερκέες* dicti Nicandro in Alexipharmacis v. 481. inter Symptomata leporis marini hausti:

πᾶς δὲ παρὰ δρακέεσσι φανεὶς ἐχθαίρεται ἔλλοψ.

Vertente Jo Gorræo:

Omnem aversatur piscem, visoque repentè
Nauseat: sive quod idem est, oculis oblato.

Cui in plerisque consentit Dioscorides ille, quisquis fuerit, qui *ἀντιφάρμακα* nondum edita scripsit, in Bibl. Mediceâ ad S. Laurentii Florentiæ eodem codice exstantia, quo etiam Mich. Ephesii Comm. de part. anim. undè Franciscus Redus, haut ita pridem in observ. Ital. de viper. p. 47. pseudepigraphum, Eutecnii potius Sophistæ, & Scholiastæ librorum Nicandri suspicabatur, cujus paraphrasis Gr. etiam Venetiis exstat. Sed missis draconibus ad dracunculos redeamus. Similitudinem enim quandam denominationi causam præbuisse modò diximus, & infra quoque amplius dicemus. Eadem & aliis Dracunculi seu *δρακοντίου* nomen commune fecit. *Draco sidereus* in Arateis Germanici Cæsaris eleganter depictus Hugonis Grotii juvenilibus curis dividens ursas, & custos Hesperidum, quem auctor incertus abaci constellationum apud nos scitissimè scriptus Pythona etiam appellabat, illum videlicet innuens de quo Apollo in I. Metamorph. Nasonis triumphans gloriabatur:

Stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.

quod tamen, ut alia plura, nemini ex antiquioribus sic relatum aut probatum, Arabicarum vocum non satis intellecta notione, بيتن pro تنين suppositum esse potuit. Ex animalium genere piscis est, quem quidam alteram aranei speciem constituunt, sed Guil. Rondeletius Dracunculum appellat, suisque

que Vulgo *lacertum* dici adſerit, quem C. Geſnerus IV. hiſt. anim. de aquatil. ſatis pulcrè deſcribit & pingit. Hunc verò valdè probabile eſt eundem hunc dracunculum eſſe, cujus & Plinius XXXII. 11. meminit, cùm de conchis ageret. *Extra has ſunt rotunda in oleario uſu cochleæ, cucumis, cynopus, cammarus, cynoſdexia, draco. Quidam aliud volunt eſſe dracunculum. Eſt autem graculo ſimilis, aculeos in brachiis habet ad caudam ſpectantes.* Quanquam Ulyſſes Aldrovandus II. de piſc. L. etiam *draconem minorem Hippolyti Salviani Medici* Romani doctiſſimi dracunculum nominari poſſe putet, utut à dracunculo Rondeletii multum ſit diverſus: nec non & piſcem illum, qui Ephippo apud Athenæum VII. 20. *δρακαινὶς* vocatur, ubi & c. LI. alterius mentionem facit, quem *Uranoſcopi* nomine ſibi comunicatum refert, capite draconem, & pinnis dracunculum, reliquo autem corpore, colore, & lituris lucium æmulari, neque differre à draconibus & dracunculis, quam quod ad inſtar lucii ſquammis contegatur, ut ex icone Jonſtoni XXI. elegantius, quam apud Aldrovandum, tab. XIV. no. II. apparet. *Murana* quoque *draconis marini* nomine deſcripta ab Arnoldo Villanov. & Geſnero δράκων [illegible] Nicandri in Theriacis, & Ebnſinæ IV. ſect. VI. tr. III. c. LVI. De Hippocampo autem P. A. Matthiolus Comm. in Dioſc. II. 3. *ſunt qui velint Hippocampum eſſe piſciculum illum, vel potius marinum monſtrum, qui quibusdam dracunculus, aliis verò equuleus marinus vocatur, cujus nullus in cibis uſus fluxuoſum equum Hippocampum vertentes.* Quamvis autem Amatus Luſ. hæc vellicare conatus fuerit, qui illum contemptim magnum radiciſecam vocabat Cent. VII. cur. XLI. ab eodem tamen in Apologia ſtrenuè ſunt vindicata adſentiente Aldrovando VII. de inſect. c. XVI. ubi Italicè *Cavalletto ò Cavalin Marino*, & *Dragonetto* appellari teſtatur. At *Draconis abyſſi* Jeſaiæ XXVII. 1. quos nonnulli *balenas* interpretantur: תנין אשר בים *Cetus qui in mari.* Ariæ Montani verſione, ſimilitudinem tantum hoſtium Eccleſiæ denotant, quam à draconibus, & balænis pari ratione deducere licet, cum utri-

utriusque generis iſtius animalia navigantibus infeſta quotidiana experientia oſtendat: Sunt enim etiam ſerpentes marini ingenti corporis volumine majora etiam navigia evertentes, quibus iccirco vox תנין non minus competit, quam Chaldaico: רימא *Unicornes* deſignante, quales in Pelago maximè Septentrionali capiuntur eviléſcente præ copia pretio, depingente Tulpio IV. obſerv. Med. c. LIIX.

Pſalmo quoque LXXIV. 13. ubi verba Aſaphi habent: *contrivisti capita draconum in aquis:*

שברת ראשי תנינים על המים:

Victorinus Bythnerus: *Crocodilorum*: interpretabatur, quia dracones aquatici ſint, Chaldæum Paraphraſten ſequutus, qui reddiderat: תברתא רישי תניניא ושניקתא מצראי על ימא: *contrivisti capita draconum, & merſiſti Ægyptios in mari*: Poëticè enim Crocodilos ſive *Dracones aquaticos* dictos. Quod verò ibidem v. 14. ſequitur: *confregiſti capita Leviathan, & dediſti eum in eſcam populo Æthiopum*: לעם לציים: οἱ LXX. λαοῖς τοῖς αἰθίοψι: Chaldæus iterum, ſine tropo ullo expoſuit; רישי גברי פרעה *capita procerum Pharaonis*: (qui ſcil. ita cohærebant, ut ſquammæ in cetorum quadam ſpecie) יהבתגון לגמרא לעמא בית ישראל וגושמיהון לירורי: *dediſti eum ad deſtructionem populo domus Iſrael, corpora vero eorum Draconibus.* ציים; *Incolæ locorum aridorum & deſertorum*, quales ſanè Libyes, & reliqui Æthiopes. Arabi etiam Auguſtini Juſtiniani in Octaplis ſuis: لشعب الحبش quorum terris draconum & ſerpentum ingens proventus eſt, ut poſtea dicemus: quæ ſanè & ipſa omnia Poëſin ſpirant, gentes illas Draconibus, aut Cetis, aut etiam Crocodilis, comparantem. Unde tamen accuratè loquentibus & Naturam conſiderantibus, nihil inferre, nec animalia ipſa magis confundere licuerit, quam Talmudici fabulatores Leviatha-

nem non Æthiopum genti in escam datum, sed sibi reservatum somniare debebant, cujus nimirum tomis ingentibus muriâ conditi putidoque garo, venturum quondam Messiam suum magnificè excepturi sint. Inter aves Dominicus Germanus, vir omnium propemodum linguarum orientalium, sed Arabicæ maximè peritus, شقراق Italicè *Dragoncello*, & Latinè *Dracunculum* exponit in fabric. L. Arab. Lat. Ital. additque volucrem esse discolorem. Ant. Giggejus avem rubro, viridi, alboque distinctam ait, sed nomen aliud nullum adponit, quamvis ibidem frequentissimam pronunciet. Nec dubium, quin illa fuerit, quam Leonard. Rauvolfius part. II. Hodoeporici c. XI. corruptè *Succaruk* & *Alsecrat* appellat, quamvis nonnulli accipitris speciem elegantiorem & cœrulei coloris esse ferant. EbnHammadus Jauharius in Lexico amplissimæ integritatis ac eruditionis, quod verè صحاح اللغة iccircò inscribitur, non solum شقراق sed etiam شرقراق appellat: Golius ὁ πάνυ ad mentem illius *picum viridem* interpretatur: Plempius *Chlorionem*: Gesnerus autem *falconem sacrum & peregrinum*, cui propemodum sono Arabicum adstipulatur: שלך in Lex. suo Arab. p. 214. habet Franciscus Raphelengius, sed avem immundam cum Hebræorum עקעק: eandem constituens, quam Santes Pagninus in thes. L. Hebr. *mergum* existimabat Levit. XI. 17. quo loci οἱ LXX. καταῤῥάκτην reposuêre, Arabs Erpenianus الزمج quod nomen Persis زمج avis rapacis, non aquaticæ, quæ aliàs دو برادرين q. *duo fratres*, quod prædæ impar à socia juvetur. Pulcriori sanè colorum varietate *boscades* & *querquedulæ* cæteræque anates feræ, inprimis torquatæ, luxuriant, quam *Colymbi, corviq́ aquatici*, quicunque ad mergorum familiam referuntur. Ut hinc for-

fortasse aliqua ex maculis similitudo cum viperis & Serpentibus, & Dracunculi nomen أخيل Jauhario & Firauzabadio i.e. multos habens nævos, de ipsa illa avi شقراق quæ ideò vix picus viridis esse poterit, sed *accipiter* aliquis maculosior, qualis *fringillarius sive Nisus*. Quod sanè in versione Æthiopica observat etiam doctissimus Ludolfus ad illud Levit. XI. 10. καταῤῥάκτης Mergus, : כתרבתי *fulica dentata*, quam plerique imperitius aviculam exiguam exponant: דמבע

Arab. صقر *Accipiter, & quævis prædatrix.*

Quod verò Cantic. VII. I. : חרוז dicitur, & LXX. ὁρμίσκον interpretati sunt, vulgata: monile: Æthiops Græco vocabulo retento: : ארמסכם *quod picum* quoque *arborarium* significat, cui nimirum mira colorum apparentium varietas, qualis & conchis margaritiferis ac nautilis, monile enim præcipuè ex unionibus notatur. Nimirum cùm paucissimi ejusmodi animalia satis discernere norint, plerumque confundere necesse est, unde & aliis Arabum صرد eodem nomine censetur, quæ tamen avis albo nigroque tantum colore, non vario picta est, ex mergorum scil. sive anatum genere, non rapacium, nec curvirostrarum. Quidquid tamen fuerit, nobis in re obscura nihil decernere visum est, imò nec ultra quidquam conjectare. Quæcunque enim avis censeri debeat, dracunculi appellatio tam Latinis, quam Italis, in universo volucro genere planè inaudita est. Huic tamen addamus, quod vulgatus Interpres Levit. XI. 22. inter aves, ut vocat, prohibitas etiam Ophiomachum retulerit. Volatilia rectius reddidisset alterum scil. genus, saltantium supra terram: אשר בהן על הערץ οἱ LXX. ὀφιομάχην eosque sequutus Æthiops in versione sua : אפימקן appellarunt, quod nomen Plinii sententiâ

 omni-

omnibus locustis conveniens. Sic enim ille XI. 29. postquam, quæ peperissent, vermiculo circa fauces nato statim strangulari narrâsset, addebat: *Tam frivola ratione morientes, serpentem cùm libuit, necant singulæ faucibus ejus apprehensis mordicus.* Ex insectorum verò familia, aran. us XV. & XVI. Aldrovandi tabul. I. corpore rotundo, pectore carens, coloris sublutei, & maculis tortuosis serpentium gyros æmulantibus variatus lib. V. insect. c. XII. depictus, Serpentinus aut Draconites non adeò ineptè vocare posset, quemadmodum ex plantis plures Dracontii sive Dracunculi nomen meruerunt. Ophioglossum à Paracelso tr. II. Chir. Vuln. c. III. dictum Dalhemius in versione sua Latina l. c. sed c. VI. dracunculum minorem vocat: sine ulla tamen necessitate aut exemplo, nisi quod etiam Gualterus Rivius, Medicus Argentinensis adnot. in Diosc. II. 158. & Antonius Pinæus histor. plant. seu compend. Matthioli p. 235. nec non Matthiolus ipse in Diosc. II. 161. eandem plantam inter reliquos dracunculos depingi curârint. Sed & Gerardus Dorneus in dictionario Paracelsico, & qui hos ubique imitatur Martinus Rulandus in Lexico Alchemiæ, nec non qui utrumque exscribunt Guil. Johnsonus Lex. Chem. & Michaël Hornigius part. IV. Pr. Theophr. Dracunculum exponunt ophioglossum eâdem omnes culpâ, sed versione Dalhemii decepti. Arum præterea Ebnsina noster lib II. tr. II. c. CCCCXXXII. in Alpagi editione duplex constituit, unum planum, alterum crispum appellans. Arabica autem sic habent:

لوف ، منه بسّط ومنه جعد والجعد اصفب من الذي

يقال له لوف الحية ، Gerardus Carmonensis reddidit: *Alia est plana, & alia est crispa, sed crispa est calidior, & existimatur, quod sit ea, quæ dicitur Lux serpentis. Inquit Diosc. folia ejus sunt similia foliis Drachithũ, & minora propter diversitatem impressionum in eis.* Plempius ad fidem Codicis Buzantini اصليب ، legens

legens reddebat: *Crispum calidius est, atq; existimo esse id, quod dracunculus nominatur.* Romanus enim & Halebensis habebant: *Et Crispum purius est, quam id, quod vocatur dracontium.* Verè quidem, si tamen ipsas voces attendamus, أصفى etiam *selectius, præstantius, melius*, reddi poterat, imò debebat, & لون الحية *Annum serpentarium.* Reliqua etiam emendari postulant: قال ديسقوريدوس ورق شبيه بورق Ejusdem Plempii دياقوبطرب واصغر لاختلاف interpretatione: *Dioscorides inquit, folia ejus esse dracontio similia, sed minora, ob diversitatem macularum.* Qui rectè ideò in Scholio subjungit: *Dioscoridi non convenire, qui minus maculosa scripserit.* Legendum enim دراقو نطيون & : لاختلاف non: *minora ob diversitatem macularum*, reddendum, quæ enim magnitudinis ratio à colore? sed: *è contrario minora.* Sic enim ipse Diosc. II. 196. Dracontio φύλλα κισσοειδῆ μεγάλα, πίλυς ἔχοντα λευκὰς. Aro autem c. CXCVII. μικρότερα (non μακρότερα) καὶ ἀσπιλότερα adscribit. خلاف enim oppositum denotat, & بخلاف contra ac: ل autē præfixum non semper causam, sed sæpius attributionis proprietatē significat للاختصاص ut loquitur Ebn David Sanhagius, Airumi nomine celebris Grammaticus inter: اسم مخفوض بالحرف اللام nomina scil. quæ Cufenses خفض Chafdi, Basrensibus adversi appellant, quibus eadem جر Jarri dicuntur. Illa quoque Ebnsinæ lib. II. tr. II. c. XIX. de Cen-

de Centaurio in versione Gerardi: قال ديسقوريدوس من الناس من يقال انه الداري الرومي بالعربيه لوفا الصغير *Vocant hanc plantam aliqui Diosc. Dracontium Græcorum ab Arabibus dicitur Lupha minor.* Vitiosâ scriptura pro لوفا & versione, quæ pro Dracontio reponere debebat: *Aroma Romanum aut Græcum:* Id enim داري Arabibus, quod دارو Persis denotat. Aroma autem idem quod *pigmentum, medicamentum, pharmacum, fucus:* Quicquid ad materiam medicam spectat. Gallis: *Les Drogues:* & Italis: *Droghe.* Hunc sanè errorem sequutus videtur quoque Auctor Glossarii veteris, qui *fel terræ Dracontion* exponebat, quem ideò jure reprehendit eruditiss. Rhodius not. in Scribon. Larg. compos. CCXXVII. Arum igitur Serpentarium Ebnsinæ, δρακόντιον Diosc. è cujus scriptis se sua petiisse ipse ingenuè fatebatur. II. 197. ἄρον τὸ καλούμενον παρὰ σύροις λοῦφα *Arum quod Syris Lupha dicitur.* Planta enim illa, quam Luffæ Arabum nomine descripsit Illustris Veslingius, à Lupha Ebnsinæ diversissima, not. & obs. in Prosperi Alpini de plant. p. 48. Cucumis reticulatus Ægyptius eidem appellatur. Sed, ne dissimulemus, Petro Gassendo, rectius *Lifa* seu *Cucurbita Meccensis.* ليف enim Arab. filamentum significat, tota siquidem filamentis ad opus textorium, non absimile sericeo, idoneis turget, qualem unà cum panno ex eadem materia confecto Virum Illustrem Nic. Fabricium Peireskium habuisse: ingens illud Curiæ Aquisextiensis, totiusque Galliæ decus, idem Gassendus in vita ejus prodidit. Cujus & Ebnsina meminit lib. II. Can. tract. II. c. XI. de Cassutha: شي يليف على الشوك والشجر

والشجر يشبه الليف المكي Plempius vertit: *Spinas arboresq; complexu suo fili instar Meccani irretit.* In notis tamen de Cassuthæ tantum vocabulo sollicitus, filum vulgare intellexisse & plantam istam ignorâsse videtur, quam certè exponere debuisset, ut inde descriptioni lux adfulgeret. Nobis enim Cassutha Arabibus & Persis autem Lifa ista Meccana notior; à Bauhino quoque in pinace omissa. Nec alia fuerit, quam Plinius XII. 10. in Tylo sinus Arabici Insula maturitate ruptam lanuginis pilos ostendere ait, è quibus vestes pretioso linteo fiant, ut eruditè divinavit Carolus Avantius magno rei herbariæ detrimento, ipso ætatis flore, mortalitati ereptus, not. in Bapt. Fieræ Cœnam p. 41. apud quem elegantius depingitur, cucurbitæ bombycinæ nomine, quod ex Arabico قرع الحرير aut قرع به حرير indicio Alphonsi de Andrada, Eq. Lusitani formaverat i. e. *Cucurbita Serica: sive: Cucurbita in qua Sericum.* τολύπαι Hesychii, & Suidæ in Lex. λίνον ἀπὸ τῶν δενδρεών Linum arboreum, Nearchi apud Arrianum in Indicibus suis: Ubi arbor, Tala, dicitur, summumque fastigium, ut in palmis, esculentum commemoratur: καὶ φύεσθαι ἐπ' αὐτῶν, καθάπερ τῶν φοινίκων, ἐπὶ τῇσι κορυφῇσι, εἰάπερ τολύπας. i. e. veluti glomos lanarum carptarum ut Nic. Blancardus interpretatus est. Arbores eriophoræ Theophrasti IV. histor. plant. IX. in Tylo Insula sinus Arabici & India vitigenis foliis, fructu nullo, sed malo simili, quo lana continetur, diversæ à Byssiferis Sinensium, cujus exemplar amplissimo suo Thaumatophylaceò servabat Laurentius Hofmannus Medicus perelegans Halæ Saxonicæ, nec Plinio cæteroquin Theophrastum transscribenti ignotum l. c. *Ejusdem Insulæ excelsiore suggestu lanigeræ arbores alio modo, quam Serum.* Hoc enim silvestre, arboreum, Xantungense, recentiori observatione Jo. Neuhofius, ab erucis bombycinis produci p. 143. commemorat. Nec aliunde fortassis oriundum Sericum Virginianum, herbis adnatum Valtheri Rahleghii relatione. τύλον in sinu Persico innuens, quæ sic Straboni

boni, non πύλος, vocata, δίπυλος Homeri, censura doctissimi Pauli Leopardi II. emendat. VII. Cæterum δρακόντιον Diosc. vetusti quidam Codices etiam δρακοντιαίαν vocant, quos olim Marcellus Virgilius sequebatur, ex qua deinde Amatus Lus. II. enarrat. CLX. & Gesnerus in Catal. plant. quadrilingui, δρακοντίαν fabricârunt: Exemplaribus etiam quibusdam Oribasii adjuti, in quibus δρακοντία *habetur*. δρακόντειον Jo. Bodæus in Var. lect. Theophrasti reposuit, si modò utrobique scriptura sibi constiterit, quam librarii incautiores subinde dictantium vocem non probè adsequuti, aut soni ac literarum similitudine decepti, pervertunt & depravant. δρακόντειον tamen etiam Strabonis ed. antiquior habet p. 784. Romanis quoque Draconteam & Colubrinam dici adfirmat L. Appulejus aut quisquis verior auctor est libelli de Medic. herbar. c. XIV. quod nomen Carolus Magnus in Capitulari de villis suis §. LXX. ex sæculi illius more & Italica consuetudine in, Dragontea, commutavit. Draconia, &, Draguntea, auctor Synonymorum Ebnserafionis, in Bibl. nostra publica Mss. Dracometice, Draguntea, Basilicus, & Basiliscus, & Crocodillus, corruptissimè alius ibid. qui Synonyma Semibarbara Rasæi & Ebn Masviæ collegit. Collum draconis, utrumque Luf sine serpentaria; tam crispa, quam plana, interpreti Ebn Masviæ, de simpl. med. c. XLIIX. Ms. in eadem Bibl. Dracontia Cælio Aureliano II. tard. XIV. ubi de empyemate: expurgando Dracontia Herba, sive quæ appellatur aron. Luf Serapionis Jacobo Sylvio not. in Ebn Masviæ II. simpl. XXIV. quamvis Ebn Serafion de simp. XLIII. hoc nomine & arum & dracontion, ut Ebnsina, comprehendat. Matthiæ Lobelio in stirp. observ. p. 327. Anguina, Dracontia, Serpentaria, & Colubrina dicitur. Quæ nomina omnia non alia ab re, quam versicoloribus Serpentum aut Viperarum maculis accepit, quod verè Plinius XXV. 2. atque ex illo Jo. Bapt. Porta V. phytognom. XVI. pluribus notavit, non quod radicem subrutilam, ut idem Plinius XXIV. 16. aut draconis modo convolutam habeat, quod falsissimum Bodæus in not. ad Theophr. VII. hist. plant. XI. ostendit: neque quod è sanguine

Dra-

Draconis planta ſit enata, quam Appuleji hypobolimæi fabulam jam olim in not. ſuis Gabriel Humelbergius exploſit, à qua tamen parum abeſt Jo. Buſtamantici ſomnium in lib. de reptil. S. Scr. ab ipſo enarratis, meritò exſibilandum, ne cum doctiſſimo Jo. Fabro dubitare opus habeamus expoſ. anim. nov. Hiſp. p. 829. A macularum utique varietate nomen ſerpenti colorato ad inſtar pardi, ברדלס ; qui aliis lenticularis, Cenchrine, & Arabum ألجاورسية miliaris, λέων Nicandri ſcholiaſtæ. At Hermannus Comes Nevenarius Appuleium immeritò reprehendit, ac ſi Dracontiam pro Chamæleonte perperam nominârit, cùm tamen in libello illius nihil tale reperiatur, quin ipſe c. CIX. Chamæleontem cardui ſilveſtris ſpeciem conſtituit, quod tamen ille, tanquam neſcium, fruſtra docere conabatur. Inter ari etiam genera cùm alii retulerunt, tùm maximè induſtrius rerum Naturalium indagator Baſilius Beslerus Horti Eyſtadienſis deſcript. verè Regia ord. II. plant. vern. f. I. n. I. ſed & ἀρωνίαν Phaniæ Ereſii apud Athenæum Dodonæus lib. I. Hiſt. ſtirp. c. VI. dracunculum adfirmabat, quamvis incautus eandem minoris ſui effigiem nobis obtruderet, quam c. præcedente ari eſſe fatebatur. Nam ἀρωνία Dioſc. I. 169, *Meſpilus* eſt *Aronia* dicta, cui cum dracunculis & aris nihil omninò eſt commercii. Plinius verè XXIV. 16. *aron magnæ cum dracontio litis*, pronunciabat. Et Erotianus in Lexico: δρακόντιον. βοτάνης εἶδος. οὕτω δὲ καλεῖται καὶ ὁ τοῦ ἄρου καυλὸς παρὰ τὴν πρὸς τὸ ζῶον ὁμοιότητα. *Dracunculus herbæ ſpecies, ſed & ari caulis ſic vocatur, ob eam, quam cum animali habet ſimilitudinem.* Neque vires utriusque multum ſunt diverſæ, ceu omnibus eſt notiſſimum: Ut forſan nequaquam adſpernanda ſit ſententia illorum, qui ῥίζαν λευκὴν, *radicem albam* auctori l. de morb. mul. vocatam, arum eſſe exiſtimârunt, licet Galenus in Gloſſ. Hippocr. explan. τὴν τοῦ δρακοντίου: Erotianus nimis longè recedens: ῥίζαν ἀλθαίης: interpretatus fuerit. Certè iisdem verbis & Dioſc. II. 197. de aro: ῥίζα λευκὴ πρὸς τὴν τοῦ δρακοντίου: *radix*

dix alba, dracunculi radici proxima. An verò *Ophis herba* apud eundem auctorem II. de morb. mul. præscripta, & semine muliebribus medicinis utilis pro dracunculo accipienda sit? non injuria dubitavit Hermolaus Barbarus Coroll. II. in Diosc. c. CLXXXIII. cùm ad hæmorrhagiam uteri compescendã in suffitu commendetur: ἐπὶ ἢ τὸ πῦρ ἐπιπάσσειν τὸ ξὺν τῷ ὄξει, καὶ τοῦ καρποῦ τοῦ ὄφεος: quæ Foësius reddit: *Medicamentum verò cum aceto paratum & serpentis semen in ignem spargito.* Dracunculum enim menstrua potenter provocare adeò certum est, ut Diosc. l. c. è radice illius κολλύρια fieri testetur, καὶ πρὸς ἐμβρύων κομιδὴν, *etiam ad extrahendos partus.* Nisi quod interdum usu venit, aliæ sint radicis virẽs, aliæ seminis. Nec obstat Plinius, qui XXIV. 16. dracunculum majorem *percussis in potu prodesse* ait, *ut & menses sistat:* videtur enim hoc posterius aliquid superstitionis redolere, dum addit: *si ferro non attingatur.* ὀφιοστάφυλος Oribasio XI. Collect. §. ἄμπελος λευκή. Ex Diosc. IV. 184. Bryonia seu vitis alba, Jo Bapt. Rasarii versione, *vitis serpentum:* nisi, ut nos suspicamur, glossema hoc utrobique librarii alicujus fuerit, qualia plurima inter illius notha meritò rejecit doctissimus Saracenus. ὀπὸς, δρακόντιον Geoponicis apud Fulv. Ursinum, pro quo mallemus, ὄφις rescribere quam ὀῤῥὸς, i. e. πτύα, quod ille præferebat not. in Varron. de re rustic. p. 98. Crassiss. porrò & vetustiss. officinarum error quondam fuerat, bistortam pro dracunculo accipere, non alio argumento, quam quod radicem serpentis modo convolutam haberet, unde & serpentaria nonnullis appellata est, cui fortasse Plinius occasionem præbuit, ceu Dodonæus lib. I. pempt. III. c. IX. non adeò obscurè innuit. Hunc tamen etiam Valerius Cordus vituperans ad not. in Diosc. II. 158. *Bistortam,* inquit, *magno errore hactenus dracontion majus esse credidit tota ferè Medicorum & pharmacopœorum multitudo, cum tamen in temperamento extrema sit differentia.* Addamus nos: etiam figura & colore, & reliquis omninò omnibus: quod Hofmannus quoque advertens II. med. offic. XXXIIX. Britannicam hoc nomine commendare satagebat. Non defuerunt quoque, qui dracontion

on cum Colocasia confunderent, quos ideò refellit ingeniosissimus Athan. Kircherus in supplem. prodrom. & Lex Copti c. IIX. eâ præcipuè ratione, quod *Colocasia*, *nativa* quoque *brassica* dicta, gratissimus Ægyptiorum cibus sit, dracunculus autem igneâ mordacitate polleat, ut ferè ad insaniam sumentes adigat, unde & nomen Copticum, ερμιον, traxisse videatur. Cæterum Derusitum apud Ebnsinam nostrum IV. sect. VI. tr. 1. c. IV. corruptissimè dictum inter Venena recenset Alpagus, & dracontium interpretatur, quem sequutus videtur Franciscus Sanchez, & ipse sem. dracontii inter Venena enumerans. Perquam absurdè tamen, cùm Dorycnium intelligatur, sive enim scribendum دروقنيون، ut suspicari licet, sive retinendum potius دروقنيون، quod est in Codice Mediceo, satis notum putamus omnibus Arabicæ peritis, Mauritanos literam Kaf unico tantùm puncto supernè insignire, atque aliunde apertè colligitur, Gerardum, hominem Hispanum libris in Africa scriptis, non Orientalibus usum fuisse. Talis certè & viri Illustris Sebastiani Tengnagelii JCti, qui nunc in Augusta Bibliotheca Cæsarea Vindobonæ servatur, librum tantum de simplicibus II. antiquo charactere Africano continens, sed rarus omninò & eximius, monente Amplissimo Lambecio lib. I. de Bibl. Cæs. part. II. addit. III. quo olim usus Petrus Kirstenius multum de posteris mereri poterat, si typis suis, vel absque versione edidisset, qua sanè ut animum ipse mirificè torquebat, ita parum feliciter res succedebat, quod linguæ Arabicæ elegantiam totidem verbis Latinæ inferri non posse, parum animadverteret absque legentium nausea, & aurium cruciatu. At verò Matthiolus cùm Dioscoridis Vulgatam lectionem sequeretur, quâ duo diversa capita, de dracontio majori, & minori inscripta erant, figuram quoque utriusque edidit: Verum Jo. Ant. Saracenus, doctissimus & optimus Interpres, caput hoc posterius è contextu jure sustulit, & inter spuria rejecit, ita ut dracunculus vulgo notus, major eidem existimetur, minor autem, si quis sit,
 ipsum

ipſum arum cenſeatur. Atque ſic etiam ſcriptos olim Codices habuiſſe ex Ebnſeraſione patet, qui part. II. ſimpl. XLIII. de Luſa Dioſcoridem adducens : *Sunt ejus*, ajebat, *duæ ſpecies*, *una earum dicitur in Græco aron*, *& ſecunda Dragontea.* Cui accedit, quod multis ante Dioſcoridem ſæculis Phanias Lesbius, Ariſtotelis diſcipulus V. de plantis apud Athenæum IX. 2. Dracunculum quibusdam aron dictum commemorârit, minorem ſcil. ad cujus differentiam majorem quoque ἄρον τὸ μέγα vocabat Auctor III. de morb. inter Hippocratica ſcripta, pro quo Foëſius p. 493. rectè quidem *dracunculum magnum* intelligebat, ſed ipſam voculam mutare non debebat, ne ſuam antiquitati gratiam eriperet, cui jam tùm arum *majus & minus*, idem erat cum utroque dracontio, & cum dracunculo ac aro. CertèMatthiolus herbariorum omnium reprehenſionem incurrit, quod dracunculum ſuum majorem ex ingenio tantum adpoſuiſſet, nunquam in rerum natura hucuſque deprehenſum: quod eruditione non minus, quam ſtemmate & virtutibus CelſiſſimusPrinceps Federicus Cæſius tab. phytoſoph. XV. opportunè advertit. Et Guilandinus in Synonymis Mſs. acrius inſectatus, delirâſſe ajebat, quod eruditis obtrudi poſſe ſperaverit. Viciſſim tamen plerique dracunculum aquaticum ſive paluſtrem, radice arundinis ſpecie geniculata præditum deſcripſêre, arum aquaticum Geſneri, haut dubiè diverſum à Cretico, quem folio hederaceo Bellonius obſ. c. XIIX. & præterea nemo quiſquam deſcribit. Hic tamen ab utroque longius differt, non ſecus ac eſculentus, in hortis frequens, & culinis notiſſimus, de cujus nativitate tam mira refert Andreas Cæſalpinus XIV. plant. XXXVI. *Fama eſt*, *ortum primo ex lini ſemine in cepa incluſo*, *aut raphanis*, *aut ſcilla*, *ideò ſaporem non abſimilem cepæ ineſſe & lini folia.* Quod tamen experimento capto vix ulli ſucceſſiſſe teſtatur Caſtor Durantes in hort. ſan. & ſe quoque non ſemel irrito conatu tentâſſe fatetur Avantius not. in Fieræ cœnam, etſi Aldrovandus II. ſerp. & drac. c. I. à fide dignis intellexiſſe ſcripſerit, *eum*, *qui marino adflatu ſemen lini ſcillæ non evulſæ inſeruerit*, *dubio procul voti compotem futurum.* Pleriſq; hæc planta

ta *Draco* hodiè vocatur. Fortaſſis & Græcis olim aliquando δεράκων dicebatur, licet id ex illorum ſcriptis, quæ ſuperſunt, apertè monſtrari nequeat. דרכון ſanè nonniſi Græcorum imitatione Talmudicis apud Buxtorfium in Hieroſolym Kilaim c. I. herbæ ſpecies obſcurior, quia de forma & viribus nondum liquet, quo nomine & morbum oris, ſive *vermem ſub lingua*, homines occidentem, pro : הדריקון ſive hydrope legendum putabat Buxtorfius, in Lex. Talm. : דרקון βατεάχιον, ſive ranula, quæ aliquando faucium occluſione letalis viſa Valentino Henero ap. Jo. Schenkium lib. I. obſ. Med. ICCXXI. dum recidiva à ſectione nimium excreviſſet, quod tamen fieri non ſolet, ſi folliculus integer eximatur, quemadmodum Epiſagm. noſtrorum obſ. XXVI. monuimus. Unde & Arabes ac Ebnſina noſter antitheſi & metatheſi literarum haut infrequente طرخون efformâſſe videntur, quod inter recentiores Græculos animadvertens Simeon Sethi, Arabum hanc vocem, ut plures alias, ταρχὸν, ſimpliciſſimè retinuit: niſi è Græco τάριχον ἢ ταρίχιον deducere quis mavelit, quod muriâ aliquando condiretur, ut veteres quoque olera ſervare ſolitos Lud. Nonnius III. rei cibar. XLV. advertit. Nam & hodiè Itali *Bottarga ò Botarcha*, quaſi ὠὰ τάριχα appellant, ut idem Nonnius exiſtimat: apud quos Draco iſte ſeu dracunculus hortenſis in crebro uſu eſt, narrante Al. Traj. Petronio III. de victu Rom III. ad embammata conficienda, quæ patriâ linguâ, *Salſe*, nominant, oxypora reddit Adrianus Politus, Apicii imitatione, ut videtur, apud quem variæ deſcriptiones habentur, moretum verò aut intinctus Philippus Venutus, uterque in diction. Ital. Lat. ἀβυρτάκη χλόης Antiphani ἐν λεδκαῖσ apud Jul. Pollucem, ex quo propterea Athenæum II, 26. Caſaubonus emendabat. اصيران Armeniorum dialecto, pro quo cur Franc. Rivola in Lexico ſuo: *Cibum ex oleribus ſolo ſale adſperſis:* reddiderit, nulla cauſa apparet. Hebræis : טבול *Intinctus* & : טרם Græcorum τρίμμα.

Doctissimus Hadrianus Junius *dracunculum acetariorum* à præcipuo usu nominat. Nam quamvis etiam de dracontio suo Diosc. II. 196. sic scribat: λαχανεύεται δὲ ἡ ῥίζα καὶ πρὸς ἰλὺν ἐν ὑγείᾳ χρήσιν, ἑφθή τε καὶ ὠμὴ ἐσθιομένη. *Ipsa verò radix etiam ad sanorum usūq;, nimirum in cibos cocta crudaq́; oleris vice recipitur.* Mallemus tamen adsentiri Theophrasto, qui VII. hist. plant. XI. ait: ἡ δὲ τοῦ δρακοντίου (καλοῦσι γάρ τι δρακόντιον ἄρον, διὰ τὸ τὸν καυλὸν ἔχειν τινὰ ποικιλίαν) ῥίζα ἄβρωτος καὶ φαρμακώδης. *Radix dracontii (quoddam enim arum dracontion vocant à caulis vario colore) & esui inepta, & medicamentosa exsistit.* Nisi quis statuere velit, dracunculum etiam quibusdam in locis minus acrem esuique aptum produci. Plures enim plantæ cœli solique varietate vires diversas nancisci planum est, quod olim in vino jam observârat auctor IV. de morbis in Cod. Foësii p. 499. De aro autem ex antiquis Plinius XIX. 5. *In Ægypto nasci radice mollioris naturæ, quæ edatur & cruda.* Quod è recentioribus suâ experientiâ firmarunt Federicus Zeringus ap. Fabium Columnam part. II. min. cogn. stirp. c. I. & Illustris Veslingius not. in Alpin. de plant. Ægypt. c. XXXIII. idemque de eodem ad Cyrenen nato Galenus prodidit, transscriptore Oribasio IV. Coll. I. πρὸ τοῦ βλαστάνειν, antequam germina emittat, rusticum tantum cibum vocabat Athenæus I. 10. Cæterum Tarcon hoc Arabum & Græculorum Saturejam minus aptè exposuit auctor Synonymorum apud Ebn Serapionem Mſ. in Bibl. Augustana, quod pyrethri potius speciem, marasmo frigido commendabat Barthol. Montagnana Consil. CCXCVI. c. II. ex collibus Euganeis collectum, quo non inferius Britannicum suum laudabat Jo. Gadesdenius lib. II. Pr. p. 864. nec nisi regionum varietate differre videtur à Græco & Babylonico Elkarashii Commentatoris, quin pyrethron etiam *tarchon montanum* vicissim appellabat Plempius in II. Ebnsinæ tr. II. c. IX. Chrysocomen Diosc. V. 53. putabant Lugdunenses, & Ostriaginem Pseud-Appuleji conjectabat Jo. Prevotius ad fidem Mſ. Cod. Illustriss. Donatii Mauroceni, Senatoris Veneti, quamvis doctissimus Avantius not. in Fieræ cœnam p. 134. Hydropeperi maluisset.

luisset. *Dracoditus* Christophoro Guarinonio Conf. XLII. inter acetaria lienosis & calculosis utilia Conf. CXXV. sed ineptiusculè sic dictus. Nec alio pertinet dracunculus alpinus, scabiosæ folio à Gasp. Bauhino III. prodrom. theatr. Botan. c. VI. descriptus, circa Fabarias illoque alpium jugo, cui à S. Gothardo nomen, primùm observatus. Sunt etiam qui ptarmicam silvestrem nominent: quod fortasse folia dracunculi hortensis similia habeat, ut Lobelius advertit: Bauhinus dracunculum pratensem serrato folio appellat. Florem præterea peregrinum pulcerrimum, ob maculas, quibus variatur, Tigridis dictum, dracunculis, quamvis dubiè, adnumerabat Lobelius in stirp. obs. p. 59. & Dodonæus lib. III. pempt. III. append. quos sequebatur postea Jo. Theodorus de Bry in cujus Florilegio p. 79. & p. 113. vera effigies habetur, parum distans ab illa, quam penicillo Jo. Brancionis in hist. plant. Rovillius Lugduni expressit XV. 35. *Oloxochite* Mexicanorum apud Nard. Ant. Recchum IIX. de reb. med. nov. Hispan. XXIII. qui inter plantas acerbas & acidas recensuit, ejusque vires à dracunculorum omnium facultatibus diversissimas primus bono publico revelavit. Cùm verò vix ullam cum animali aut herbis, quas dracunculos vocamus, similitudinem præferat, rectius fecisse patet Fab. Columnam adnot. ad Recchi l. c. & Gasp. Bauhinum in pinac. II. sect. II. qui eum ad bulbos reduci maluerunt. Non dixerim tamen, an etiam ad eriophoros? quod huic soli hactenus placuit. Parum ab isto quoque differre alterum egregium & maculosum, planum est, quem *florem Lyncis* Jo Terrentius inter plantas Mexicanas ad not. ad lib. IIX. c. VII. descripsit. Præterea & arbor est, quæ Draco nominatur in novo Orbe ejusque Insulis, Canariis maxime & Madera frequentissima, quam Clusius I. stirp. rar. per Hispan. obs. c. I. etiam Olyssiponæ vidisse se testatur, & Lobelius Antverpiæ in horto Petri Coudembergii crevisse ait, cujus fructus dracunculum egregiè referre dicitur à Nic. Monarde de simpl. c. XXXIIX. his verbis: *Attulit ex novi orbis continenti Episcopus Carthaginensis fructum arboris, ex qua manat lacruma illa, quam speciem Draconis vocant. Est autem hic*

hic fructus admirandus, nam sublata, qua integitur pelle, illicò dracunculus apparet, tanto artificio à natura fabricatur, ut à peritissimo aliquo artifice è marmore sculptus videatur, collo oblongo, ore hiante, spinâ aculeis horrida, caudâ oblonga & pedibus conspicuis. Ab eo fructu denominationem sumpsit procul dubio arbor & ejus lacruma, quæ ex illa per incisionem legitur. Meminit hujus *palmæ Dragonalis* nomine etiam Jo. Fragosus c. XV. Fructum autem dracunculum referentem depingunt Lugdunenses XIIX. 84. qui tamen ex Clusii sententia ceu fabulosus mox iterum rejicitur, Ut sanè nugas illas redintegrare non debuerit Michael Majerus tr. de volucri arbor c. IIX. *Draconarium* vocat Amatus Lus. in V. Diosc. enarr. LXIX. Sqammoso trunci cortice insignem, unde haud dubiè Jo. Vigandus in horto Georgii Gobelii Med. Gedanensis conspectam CIↃ IↃLXXX. Aizoo seu Sempervivo similem descripserat, à cujus tamen natura, etiam cùm arborescit, plurimum differre satis jam constat. Aëtius è contrario tetrab. IV. serm. III. c. XII. in descriptione emplastri πορφύρα dicti, sanguinem draconis in India ex herba dracunculo colligi adserit: Cui tamen parum fida relatio aliorum facillimè imponere potuit, ut herbam crederet, quam tamen arborem esse neminem nunc latet, nisi qui materiæ medicæ omninò imperitus est. Achilleam seu Sideritidem Græcorum imitatione Arabes quoque vocant, inprimis Ebn Serafion simpl. c. CCCXLI. Alii rectius de succo erythrolapathi seu rumicis cruenti, cum Dodonæo, accipiunt: nec enim de sideritide id satis apertè constat, quamvis Vta illius species Bauhino sanguineis notis conspersum rictum floris ostendat, neque de stratiote, quam Achilleæ nomine Dodonæus & Lonicerus insignivêre, nonnulli hæmagogam errore fecerunt, ut not. ad Chil. II. cur. XVII. advertimus. Hic sanè, qui olim sic dicebatur, sanguis Draconis herbaceus, ab altero arboreo immensum quantum distabat, quod mirum Guilandino in Synon. plant. Ms. non observatum, ubi Amethystum Plutarcho in Sympos. laudatam constituebat. Nec minus mirum, cur Vigandus de plant. Boruss. f. 83. Aizoo sive Sempervivo similem pronunciârit. Elegan-

gantior multò opinio Viri Nobilissimi Alberti Sebizii, Med. Profess. Argentinensis Celeberrimi, qui aliquando è baccis amaranti Americani confectum succum pro sanguine draconis habendum conjiciebat, qualem ipse ex horto suo instructissimo collectum humanissimè ostendit, ac ipsi postea ex fragis bliti Indici bacciferi, non minus quam ex illo æmulati sumus. Quem verò ex succo Sorborum admixtâ bolo Armena & sanguine hirci nonnullis parari Jo. Jac. Vueccerus adnotavit. l. Antid. special. sect. XVI. ad mangonia pertinet, quæ vituperium merentur. Genuinum autem Jo. Langius lib. I. epist. LXV. Cinnabari Indicum, vegetabile vocat, ex arbore scil. sanguinis dicta, Americana dialecto, Erquahuitl ap. Nard. Ant. Recchum III. de reb. med. nov. Hisp. c. XXII. ubi & altera ejusdem species depingitur c. XXIII. jam olim Ebnsinæ nostro cognita, ut cujus radicem III. sect. XIV. tr. III. c. XVI. ad Apostemata dura hepatis præscribit. Utraque tamen diversa à draconibus Insularum Fortunatarum, quamvis simillimum succum præbentibus ap. Recchum l. c. Diversa etiam ab illo Ligni Colubrini genere, quod Christoph. à Costa c. XXXIII. geminum describit, quorum prius hederæ in modum & colore serpentariæ Præditum, cui iccircò draconis aut dracunculi nomen apprimè convenire videtur: *Tantam enim* (verba illius sunt) *habet hoc lignum cum colubro similitudinem, ut, qui non norit, aut de die viderit, sed ad Lunæ splendorem noctu conspiciat, vivum colubrum esse existimet.* Quò sanè & Xylophytum Liburnicum Kircheri referre licebit lib. XII. mundi subterr. sect. I. c. IX. A maculis quoque id nominis concedi posset Narcisso Indico serpentario, quem perpulcrè in horto Bernardini de Corduba arcis novæ Neapoli præfecti Regique Hispan. à consiliis interioribus conspectum depinxit Fabius Columna adnot. ad Recch. p. 885. & 899. A figura autem & convolutione serpentibus propria vitis quoddam genus dracontion cognominatur apud Columellam III. rei rust. II. *Unam vitem præcoquem nobis ante hoc tempus incognitam, Græcâ consuetudine Dracontion vocitari comperimus, quod fœcunditate jucunditatève*

arcelata, *Basilicaque & Biturica comparari possit*, *generositate vini Aminea.* At Plinius XVII. 23. de Dracone paulò aliter: *Nuper*, inquit, *repertum draconem serere juxta arborem*, *ita appellamus palmitem emeritum*, *pluribusque induratum annis.* Quo sensu, haut dubiè, & ficus quædam species Euthydemo δρακοντίας vocatur apud Athenæum III. 2. quæ aliis Cirrhocœladia in notis Dalechampii ad Athen. III. 5. Cucumis item anguinus, δρακοντίας apud eundem III. 1. Tritici quoque genus in Græcia dracontion vocatum Plinius narrat XIIX. 7. *Ex omni eadem genere grani prætulit dracontiam*, *strangiam*, *& Selenusium*, *argumento crassissimi calami: ita pingui solo hæc genera adsignabat.* Dalechampius è Vesontino Cod. in margine notaverat: *Canchrydiam*, *stiengyn & Alexandreum Theoph. dracontion*, *& istelepant*, *& selinusium:* quem antiquissimum & sanissimum è Chifletii Bibliotheca se accepisse prædicabat. Verùm cùm Plinium è Theophrasto ista transscripsisse nullum dubium esse possit, verba ipsa illius adponamus, quæ IIX. 4. habentur περὶ πυρῶν: ἔχουσι τινες καὶ ἀπ' ἄλλων τὰς προσηγορίας, οἷον καγχρυδίας, στλεγγὺς, ἀλεξάνδρειος. *Habent nonnulla triticigenera etiam ab aliis denominationes*, *ut Canchrydias*, *Stlengys*, *& Alexandreum.* Bodæus Plinio exscribenti favens legebat: καγχρυδίας, δρακοντίας, στραγγίας, σελινούσιος: rationesque satis probabiles in Comm. adducebat, dracontiæ nomen, à qualicunque figura draconem convolutum referente, derivans. Paucisque interjectis addebat Theophrastus: καὶ κάλαμον οἱ μὲν λεπτὸν, οἱ δὲ παχὺν. καὶ λεπτὸν, ὁ λιβυκὸς ἔχει, παχὺν δὲ ὁ καγχρυδίας. *Aliud calamo tenui*, *ut Libicum*, *aliud crasso constat*, *ut Canchrydias.* Quæ tamen omnia doctioribus relinquamus, quia librorum opem non vulgarem vitiosæ apographorum lectiones desiderant: Et antequam ad Venam Medinensem revertamur, obiter hoc quoque adspergamus: Georgium Phædronem, ex Chemicorum familia suo tempore non incelebrem, sed vel Dessennii invectivâ notum, in praxi sua Jatro Chemica, quæ è Bibliotheca Schenkiana prodiit dracunculi cujusdam meminisse, quem Augustanum sexies appellat, novo atque inusi-

inuſitato nomine, cujus fortaſſe rationem nemo facile reddiderit, neque nos multum cognoſcere avemus, cùm enim eundem ad apoplexiam, dentium putrilaginem, tuſſim, uteri carcinomata, ulcera & oſſa fracta in vulneribus relicta commendârit, quis alium hunc eſſe putet, quam dracunculum vulgarem, quem olim jam Dioſc. ad hæc mala penè omnia utilem celebraverat? Sunt aliæ quoque plantæ quibus Serpentum & Draconum nomina à forma radicum, aut macularum, in ſcapis & foliis, varietate, indita: Ut Hieracium draconites Gaſp. Svvenkfeldii I. ſtirp. Sileſ. p. 107. quod polycephalum alpinum VI. Cluſii à radicis effigie draconem multis capitibus referente. Polygonatum anguſtifolium ſerpentariæ appellatione deſcriptum apud eundem p. 162. Acorus paluſtris, cujus radix geniculata, Draconitis Sileſiorum ap. eund. p. 10. vocatur. Rectius utique quam eupatorium Ebnſinæ p. 69. cui omninò nihil ſimile natura conceſſit. Hydropeperi rubrum Fuchſii, quod Dracontium Pegneſiacum Mauricii Hoffmannii in delic. Silv. Floræ Noricæ. Cynoſorchis Dracontias apud eundem l. c. Scorpioides Luſitanicum conſpiratum inſtar ſerpentis, non hirſutum, & alterum Campoides erucam contortam referens ejusd. Hoffmanni. Numularia item ſerpentina minor ejusd. p. 145. Echion, viperina auctoris de med. herb. c. V. Polypodium, à nodoſa & flexuoſa radicum ſimilitudine, Draco à Dalechampio vocatum, cui ſanè propior, quam dentibus caninis, quibus Zeinolattharus Perſa in Synon. Arab. Perſ. æquiparabat: بسفانج اضراس الكلب Æſchrioni Samio θεῶν ἄγχωσις in Jambis apud Athen VII. 12. Scorzonera, Hiſpanicâ nomenclaturà, Colubrinam aut ſerpentariam ſignificante, cujus plurima genera, latifolia tamen humilis Bauhino nervoſa dicta, Pannonica II. & præcox Cluſii inprimis ſic appellari meretur, radice minus compacta, poroſa, minusque ſucculenta, amariori, cortice nigro craſſiori, plurimisque ſubtus ſpiris quaſi ſerpentinis horridior ap. Jo. Mich. Fehrium prodrom. I. tr. propr. c. II. Cui proxima Anglica Jacobi Cornuti, in fine plant. Canadenſi-

densium descripta; & Amagriensis Danorum ap. Sim. Paulinum quadripart. Botan. Class. III. Quod verò Domitius Calderinus in Lex. suo Ital. Lat. *Dracontium Plinii Serpentinam: Dracunculum autem Carum* interpretatus sit, nisi typographi culpâ acciderit, Carum & arum ineptius permutantis, admitti ab eruditis non potest, omni omninò ratione destitutum: Quemadmodum & illud Coleri in Oecon. sua, cujus obiter meminit Jo. Andr. Graba sect. I. Elaphographiæ c. II. *Seseli, aut Siler Montanum, Draguntei nomine, cervis ad partum faciliorem reddendum valdè expetitum* prodentis, non aliud quam meram rei herbariæ insciam arguit. Quemadmodum & pentaphyllum, Alberti Magni serpentina, quòd ex radice serpentes rubei nascantur, ad nugas quorundam Arabum pertinet, quorum mixobarbaras versiones ubique transscribebat: nam pentadactylum ejusdem, quod pariter quinquefolium vocabat, ad gramen Ischæmon pertinet, cujus IV. genus Bauhino, Coronopo Leoniceno habetur, non dixerim quam benè, sed Coronopus tamen silvestris, Lobelio quoque & Lugdunensibus Serpentina minima appellatur, nullâ sanè cum serpentibus comparatione, sed nudâ tantum etymi deductione, quia in terra dispersis q. in orbem foliis serpere videatur. Atque eâdem similitudine & lapides nonnulli, & fossilia alia serpentum ac draconum nomine inscripta breviter recenseri possunt. Dracontias sive Opisianus ex Alphæste pisce & Jynge ave ad philtra expetitus ap. Kiranidum Scriptorem Græculum & semibarbarum, nugis exuberantem part. I. c. X. de quo & Posidippus ap. Jo. Tzetzem Chil.

ἐν μέτρῳ δ' ὁ ποσείδιππος, ὡς κεφαλαῖς ταῖς τούτων
λίθοι τινὲς εὑρίσκονται, τὴν κλῆσιν δρακοντίαι
αὐτόγλυφοι τυγχάνοντες, ὧν ἐν ἑνὶ καὶ ἅρμα,
ἐγγεγλυμμένον καθιδεῖν αὐτοφυῶς πῶς λέγει
μὴ φαίνεσθαι τὸ γλύμμα δὲ, πρὶν τυπωθῇ κηρίως.

Pauli Lacisii versione:

In metro autem Posidippus, quod in capitibus horum
Lapides quidam inveniuntur, nomine Dracontiæ,

Per

Per se sculpti exsistentes, quorum in uno currum
Insculptum conspici per se natum quodammodo dicit.
Non videri autem sculpturam antequam imprimatur
cera.

Posidippum non Comicum, sed qui de Cnido scripsit, historicum apud Clementem Alexandrinum, rectè intelligebat Ger. Jo. Vossius III. hist. Græc. & pro κηρίως, κηρίοις, rescribebat, cui consentit Ms. nostrum, quod olim Arnoldi Arlenii, fuerat, quamvis Nic. Gerbelius eodem aliquando usus abbreviationem, ut videtur, non satis capiens, κηρία in margine reposuerit, quam voculam editioni quoque suæ inseruit. Præcedentes verò:

οὐ ποταμὸς κελάδων ἐπὶ χείλεσιν, ἀλλὰ δράκοντος
εἶχε ποτ' εὐπώγων τὸν δε λίθον κεφαλὴ
λευκὰ φαληριόωντα: Sic emendabat Vossius:

Non fluvius resonans in labris sed Draconis
Habuit quondam benè barbatum caput lapidem
Colore albo splendentem.

Lacisius ceu nomen proprium, *Evpogon*, reliquerat. Ms. nostrum κεφαλῇ λευκᾷ: Draco lapis Ferranti Imperato XXIV. hist. Natur. XXI. Cornu Ammonis vulgò dictum. Et Astroites, Dracontium Marsilii Ficini, falsò ab agyrtis persuasi, ex cerebro draconum in India eximi, notante Olao Wormio lib. I. Musei sect. II. c. X. Ophioglossi, Glossopetræ Camillo Thomajo in Pharmacopœia spagir. Lapis vitrarius viridescens veste serpentiformi sive leberidoide, serpentinus dictus ap. eundem Imperatum XXIV. c. XVI. Rupes Draconem referens in lacu Sinensium tonitruali dicto ap. Jo. Neuhofium Itin Sin. p. 147. Draconites pyramidalis niger, circuitu pallidus, in quo depictus quasi serpens pulcerrimus, quem nobilis matrona Alberto Magno donaverat, memorante Matthæo Silvatico Pandect. Med. c. CCCCXVII. ad Ceravnias pertinuisse videtur, aut saltem ad Basaltem & marmoris quoddam genus, quo sæpè miri naturæ lusus, atquæ picturæ æmulationes reperiuntur. Elegantissimi quoque erant lapides illi, quos olim in Pinacotheca sua Ludovicus Guetius Sulcensis,

rerum pariter Naturalium curiosissimus, & scientissimus omnium quæ arte parantur, servabat, unum quidem filamentis muscosis variè implicitis, alterum pilis quodammodo aureis, & convolutione vermes aut potius dracunculos repræsentantibus, crystallina perspicuitate. *Deacrites & Ossianus*, crystallina transparentia apud Camill. Leonardum is specul. lapid. §. propr. nominibus corruptissimis pro draconite & Opisiano. Lapidem quoque serpentis in spiram revoluti effigie apud seipsum narrabat Leon. Bauschius Med. Suinfurtensis tr. de Unicornu fossili p. 174. & Somersetenses serpentes saxeos in Anglia, Jo. Daniel Major epist. de cancr. & serp. petrefact. p. 36. Lapides à vermibus excavatos, incisuris contortis copiosis ex observatione D. de la Soy: Corallia item verminosa & Ostrea, in quibus vermes longi, duarum linearum in Museo Montmorii prodidit Hedovillius in Ephem. erudit. quæ admonent nos Ostracitæ lapidis apud Plin. XXXVII. 10. *Ophicardelon vocant barbari, nigrum colorem binis lineis albis includentibus.* Cujus iconem produxit Kircherus tom. II. mund. subterr. lib. IIX. sect. I. quamvis lineæ istæ simplicissimæ & rectissimæ nullam vermium speciem effingant: Et nos quoque minorem habemus, perelegantem, sed unicâ linea alba insignem quantum apparet, ad Achatis genera referendum. Nos quoque CIϽIϽCXLIX. in montibus Teinacensibus cùm acidas biberemus, & exercitii causa quanquam saxa ingentia revulsa ad scopum in valle præfixum devolveremus, serpentem reperimus, qui non sine horrore nostro (cùm tale nihil subvereremur) celerrimè se in silvam proripiens saxo ipsi, sub quo latuerat, quodammodo excavato, figurã corporis sui, eâ quâ erat magnitudine & convolutione, impresserat. Quod admiratione quidem non indignum, temporis tamẽ tractu evenit, non ulla singulari facultate quam vermiculo lithotomo Regis Salomonis χιϑοτόμῳ, שמיר dicto, Talmudici fabulatores in Sota fol. 48. adscripsêre, à templi excidio omninò deperditum, ne deprehendantur, ementientes. Sed ista, quia ad adfectum nil faciunt, prætereamus, & Venæ Medinensis nominibus Arabicis, Græcis, ac Latinis satis expositis, ut ab æquivocis distin-

distingui queant, aliarum quoq; linguarum Synonyma videamus. Cùm verò morb⁹ sit Orientalibus Afris quibusdam ferè proprius, evenit, ut aliis ferè gentibus ignotus, adeoq; iñominatus permanserit. Armenii Arabum imitatione *Draconem aut Dracunculum Medinensem* vocare possent: ماتينايب ويشاب aut etiam *Serpentem Medinensem sive Meccensem* ماتينايب او ماجيب اوز quod eò commodius fieret, quia اوز اوس iisdem non tantum serpentem, sed etiam circulum denotat, in quem plerumque convolvi & complicari solet, ويشاب Draco, unde inter elogia Divi sui, quem maximi faciunt, Georgii, hoc quoque celebratur, ut *Occisor Draconis* appelletur ويشابا شبان δρακοντόκτονος, sive δρακοντολέτης, quod in Pæane Florilegii vett. Græcor. epigramm. à Maximo Planude collectorum Apollinis epitheton est: θηροφόνος, πανδερκής. Guineenses Nigritæ ad litus auriferum habitantes linguâ suâ, Meinensi dicta اكن Ickon, appellant, quod ex Mſ. Samuelis Blommertii ap. Isaacum Vossium primus prodidit O. Dapperus nuperrima Africæ Universæ descriptione, p. 462. A Germanis tamen vocari, der Haarwurm/ aut simpliciter, der Wurm/ scribit Amatus Lus. explic. method. omnium corp. adfect. quam quidam Teucrius Annæus Privatus olim in lucem emisit. Sed putamus eum, quod multi alii faciunt, Venam Medinensem sive dracunculos cum adfectu infantium vulgò pilari dicto Commiscuisse, de quo sequente capite dispiciemus. Ita & Claud. Deodatus X. Panthei Hygiastici. XLI. vermes sub cute appellans, aut capillares infantium intellexit, aut Dracunculos vett. latissimo, nec satis accurato significatu,

ficatu, cum reliquis omnibus confudit. Præterea Petrus Forestus II. obs. Chirurg. XIV. testis est, à Delphensibus & Alcmarianis suis vocari, der Haarworm / speciem quandam valdè feræ serpiginis & impetiginis: quæ sanè huc non pertinet. In Germania quoque superiori der Haarwurm / serpigo exponitur à Jo. Bauhino hist. admir. font. Bollens. lib. I. c. V. & Gasp. Svvenkfeldio III. stirp. & fossil. Siles. p. 404. At Henricus Varenius in Nosologia sua Hermet. & Gal. à Joachimo Tanccio edita disput. XXI. thes. XIII. Germanicam appellationem, utpote re ignotâ, ignotam quoque arbitratur, analogicè tamen, Sehnadern Spulwurm / dici posse existimat, tanquum lumbricum nerveum quis dixerit. Quæ vox tam horrida si cujusquam auribus placere potest, ut placeat, per nos ipsi esto integrum. Batavi in Guinea simplicius, sed latius, lumbricos aut vermes, te voorme / appellant. Itali, *Dragoncello*, dicere possent, quomodo & herbam cognominem quidam illorum vocare consueverunt: & nisi fallimur, sic etiam Julius Jasolinus nominaverat egregii libelli Indice, de naturalibus remediis Insulæ Ænariæ. Nec obstat, quod Barthol. Montagnana Consil. XCII. apostemata gutturis sive anginam à vulgò Italiæ, & Leonardus Floravantius I. Chirurg. XXIX. & I. var. cogitationum. XXVII. bubones venereos à Neapolitanis, *Dragoncelli*, appellari scribant. Hispanis in Indiam Occidentalem navigantibus, *Culebrilla*, dicitur, prodente petro à Castro è Cantabria oriundo lib. I. de igni lambente c. VI. quamvis hoc nomine erysipelas biliosum, non carnem, sed cutem, infestans intelligat Amatus Lus. Cent. II. Schol. in cur. XXV. quod Lusitanis agrestibus, *Ammonte:* i. e. immane, dicitur. Nostro etiam tempore chœrades Venetis, *Dragoncelli*, dictas notavimus, tumores duros nucis ferè juglandis magnitudinem exæquantes, in collo præcipuè & artubus exortos, & sæpè ægrotos strangulantes, quos curabant emollientibus, inprimis oleo amygdalino, sine ignis opera expresso. Patavini eosdem *Galioni* appellant, apostemata nimirum anginosa, aut saltem non multum diversa. Jacobus Beringarius Carpensis Anatomes suæ f. 46. Synanchen veram, *Branconcellum*, dici

dici testatur, tanquam ὑποκοριστικὸν τῆ βρόγχε: Catarrhum autem corruptè *Dragoncellum*, appellari: Bononiensibus tumores faucium, *Strangojoni*, à strangulando, & Gajoni, quod Patavinæ dialecto propemodum convenit. Quin Græcis etiam στρηνὴς, in Jul. Pollucis Onomastico pars colli est exterior, per iram maximè incensa & tumens. At quod in Appuleji suppositicii de herbis editione à Phil. Lignamineo curata c. XXX. britannica ad *anguem* commendetur, qui Græcis Synanche, ex imperita vocabuli perversione enatum videtur, cui propterea in suis Cratander & Thorinus, & Humelbergius rectius *anginam*, ἄγχλω, substituerunt.

CAPUT II.

DE variis nominibus Venæ Medinensis præcedente capite actum. Hoc igitur discrimina expediemus, quibus à morbis adfinibus distingui queat. Vetus quidem dicterium: *Facilius esse, rem, quæ non sit, quam quæ sit, dicere:* Haut rarò tamen utrumque difficillimum occurrit, inprimis si confusa apud Scriptores, minusque accuratè expensa comperiatur. Quod fatum sanè contigit dracunculis: unde tamen eluctari conabimur. Turpissimus adfectus, si quis alius, planè abominabilis, quem Græci φθειρίασιν appellant, quantum ex historiis colligitur, duplex videtur. Unus quidem, si magna pediculorum copia in corpore, vel ejus parte aliqua prognata & cutem & carnem depascatur: Alter hoc longè gravior, & qui aliquid supra τὸ θεῖον Hippocratis nostri habeat, si animalcula illa inusitatæ formæ, & Vermibus propriè dictis simillima, aut etiam veri vermes in corpore nascantur, quo morbi genere Antiochum Epiphanem, & Herodem Antipam vindicta Divina occupavit. Ille enim adeò adflictus fuerat, ὥστε καὶ ἐκ τῆ σώματος τῆ δυσσεβῆς σκώληκας ἀναζεῖν. II. Maccab. IX. v. IX. vermes habet interpretatio B. Hieronymo adscripta. Hic verò γενόμενος σκωληκό-

ληκόβρωτος ἐξέψυξεν, Actor. XII. v. XXIII. à vermibus consumptus exspiravit. Quibus addi possunt, Pheretima Cyrenensium Regina apud Herodotum, ζῶσα γὰρ ἐξέζεσε εὐλέων: quo nomine *sæva vermina* explicabat Obertus Gifanius in Ind. lib. 5. vers. 20. Lucretii. Galerius Maximianus καταςκωληκμένος ut Theodorus Metochita histor. Rom. loquitur. Et Dominici Silvii Ducis Veneti conjux, Nicephori Imperatoris CPni. filia, quam nimiæ mollitiei hanc pœnam nonnulli tulisse scribunt, quod cœlesti tantum rore & aquis odoriferis manus abluisset, non sine insigni ἐυηθείᾳ quadam, quæ plerumque plebeji quidpiam, fortunis Principum infensa resipiat. Priori autem phthiriasis genere plures interiêre. Plin. XI. 33. *hac fœditate & Sylla dictator & Alcman ex clarissimis Græcis Poëtis obiêre.* Diogenes Laërtius III. de Platone: μυρωνιανὸς δ' ἐν ὁμόιοις φησὶ φίλωνα παροιμίας μνημονεύειν περὶ τὸν πλάτωνος φθειρῶν, ὡς ὅυτως αὐτοῦ τελευτήσαντος: *Myroniam in similibus ait Philonem meminisse proverbii de Platonis pediculis, quasi ille sic defecerit.* Ælianus IV. var. hist. XXIIX. Φερεκύδης ὁ Σύριος τὸν βίον ἀλγεινότατον ἀνθρώπων κατέστρεψε, τοῦ παντὸς αὐτοῦ σώματος ὑπὸ τῶν φθειρῶν ἀναλωθέντος. *Pherecydes Syrus miserrimè omnium hominum vitam exegit, toto suo corpore à pediculis exeso & consumpto.* Quamvis enim Diogenes I. in vita Pherecyd. ambigere videatur, confirmant tamen præter Plutarchum in Sylla, & Pausaniam in Atticis Aristoteles V. hist. an. XXXI. Q. Serenus Sammonicus, Suidas, & repetit Ælianus V. 2. Appulejus quoque Florid. XV. *Eum Pythagoras magistrum coluit, & infandi morbi putredine in serpentium scabiem solutum religiosè humavit.* Et Plinius VII. 51. *Morborum tam infinita est multitudo, ut Pherecydes Syrus copia serpentium ex corpore ejus erumpente exspiraverit.* Quo loco Dalechampius hæc notat: *Aurelianus c. de phthiriasi pediculos in eo morbo infestissimos non consuetos aut simplicis formæ, sed ignotos, latiores, duros magis, vehementer morsu sævientes, qui sæpè corpora sub capillo penetrent, ferales vocari tradit: eos fortasse, quos hîc Plinius serpentes vocat. Nec iis adsentior, qui serpentes hîc significari putant Medicorum dra-*

dracunculos, morbum Arabibus, Æthiopibus & corporibus in eo tractu melancholicis familiarem. Unde apparet fuisse, qui dracunculos cum phthiriasi confunderent: quos tamen vehementer errasse facilè deprehendent, qui argumenta illorum valdè infirma à Serpentibus Plinianis captata, diligentius excutient, atque præterea dracunculorum historiam cum Pherecydæ pediculis contendent, ut quibus vix ullam similitudinem obtinuerunt. His longè speciosius falluntur, qui dracunculos illo adfectu commutant, quem Æthiopiæ quibusdam populis, deserto conterminis, ex victus ratione, qua utuntur, tanquam naturæ quadam necessitate familiarem & fatalem adsignant Diodorus Siculus III. rer. antiq. III. Strabo in sexto decimo Geographiæ, & Agatharchides in V. περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, à locustarum esu *Acridophagos* appellantes. Historia ipsa, uti Græcè ex Agatarchide excerpta est, in Bibliotheca Photii Patriarchæ CPni. legitur p. 736. magnificæ illius editionis, quam olim David Hœschelius, civis noster, adornavit. Eam Hieron. Mercurialis lib. I. var. lect. XX. in Medicorum gratiam sese interpretatum ait. Illorum scil. qui Græca nec legunt, nec intelligunt. Summa est, populos illos non alio cibo, quam locustis, victitantes, propinqua jam senecta, quæ quadragesimo anno, aut citius eveniat, ab animalculis alatis, ingenti copia in corpore genitis, magno cum pruritu, & acerbissimo dolore, effluente etiam sanie, paullatim confici & interire. Nec enim placet, quod apud Strabonem verba hæc: τὰ γὰρ τετταράκοντα ἔτη σπανίως ὑπερβάλλουσιν, ἀποθηριουμένης αὐτῶν τῆς σαρκὸς: Interpretes pariter antiqui, Guarinus Veronensis, Gregorius Tifernas, & Conradus Heresbachius, quam recentior quoque longèque doctior, Guil. Xylander, reddiderint: *Raro annum quadragesimum transscendunt, eorum carne jam in ferinam mutata.* Rectius enim verterimus: *carne ipsorum in vermiculos sive animalcula mutatâ.* Quidquid alii de serpentibus objiciant. θηρία enim apud Hippocratem non uno in loco vermes seu interaneorum animalia significant. Et Diosc. III. 163. λεπτὰ θηρία, vocat insecta, Saracenus vertit, *minutas bestiolas*, ut & ante ipsum Janus Cor-

narius, cui id caput est, 147. Rem ipsam inter vett. Solinus quoque polyhistor. c. XXXIII. & recentiori observatione firmavit Nicol. Clenardus lib. I. epist. ad Jacobum Latomum p. 73. de Fessanis scribens integra plaustra locustarum in cibos convehentibus. Quamvis autem Sinensibus etiam locustas in deliciis Jo. Neuhofius Itin. Leg. Batav. p. 377. commemoret, & Palæstinis olim conditas in usu fuisse ex Talmud. Schab. fol. CX. 2. satis apparet, quo מוניני דקמצי : *salsugo locustarum*, non minus quam רנקירי : *Avicularum*: & simplici vocula κατ' ἐξοχὴν *pisciculorum* nominatur, & victus quoque agrestis B. Jo. Baptistæ τῶν ἀκρίδων satis evincit, quidquid nonnulli de plantarum τοῖς ἄκροις argutentur, quos ideò pluribus Ger. Vossius IV. Physiol. Chr. LXXIIX. refellit. Et Medicorum haut pauci non adeò insalubres conjiciant, quia nonnisi frumentis herbisque salutaribus vescantur, plerique tamen ad Galeni mentem λαχανοφαγίαν sanitati minus convenientem pronunciarunt, vitiosos quippe humores, & maximè serosos generantem, in quibus utique seminia lumbricorum aliorumque insectorum sæpius delitescunt. Qui igitur θηρία illa cum dracunculis eadem putârunt, opinionis suæ geminam ferè rationem adferre possunt: quod Æthiopibus familiaris adfectus sit, quibus dracunculos etiam attribuit Aëtius tetrab. IV. serm. II. c. LXXXV. & Jul. Pollux IV. 25. malum hoc adfirmat σπανιῶς μὲν τοῖς ἄλλοις ἐπιγιγνόμενον, Αἰθιόψι δὲ ἐνοχλοῦν, *raró aliis obtingens, sed Æthiopibus ferè continuè infestum*: Tùm etiam quod animalcula illa à forma dracunculorum non usque adeò recedant, siquidem dracones etiam alati ab auctoribus memorentur, ὄφεις πτερωτοὶ περὶ Αἰθιοπίαν Aristot. l. histor. animal. V. His tamen longè fortiora opponimus argumenta, quibus pediculos illos alatos à dracunculis plurimum differre evincitur. Nam solis Æthiopibus phthiriasis ista, neque his tamen omnibus, sed deserto tantum conterminis ab auctoribus, quos adduximus, ceu proprius, & fatalis adfectus adsignatur, cùm tamen dracunculos etiam Arabibus, Persis, atque Ægyptiis Ebnsina noster, ac Indis præterea

Aëti-

Aëtius l. c. & Paulus Ægineta. IV. 59. adſcribant. Senectæ etiam ſolius tempore ἀποθηριώσεις illa Acridophagis evenire, variisque Symptomatibus moleſta atque exitialis traditur, quod cum dracunculis ſeu Vena Medinenſi nequaquam convenire poteſt, quod primo intuitu utriusque morbi deſcriptionem conferenti patebit. Figura denique & magnitudo dracunculorum θηρίοις illis non competit, de qua nos in ſequentibus plura adferemus. Quamvis enim Dracones quosdam etiam alatos eſſe conſtet, qualem Petrus Bellonius lib. II. obſ. c. LXX. egregiè depinxit, ſunt tamen non pauciores ἄπτεροι, neque dum ſatis liquet, cur magis ab illis, quam ab his dracontia denominentur. Certè quotquot iſta deſcribunt Medici, alarum nullam mentionem faciunt, ſi unum Argenterium exceperis, de quo poſtea diſpiciemus. Quo circa ſinamus pediculos illos una cum locuſtis in Æthiopiam ſuam avolare, ut illic vivos vorent homines, & ab hominibus vorentur. Multo propius ad veri ſpeciem accedit illorum ſententia, qui dracunculos ad ulcera verminoſa referunt. Nam Ebnſina noſter non aliter videtur venam Medinenſem deſcripſiſſe, quando è puſtula ortum tumorem, contracta poſteà veſicâ perforari ſive exulcerari tradit, & quidpiam emittere, quod Medici nonnulli vermem exiſtimârint. Verùm nec iſta opinio adſenſum mereri debet. Cùm enim ulcera verminoſa ſatis frequentia ubivis locorum occurrant, Vena autem Medinenſis Aſiæ tantum Africæque peculiaris feratur, vel hanc unam ob cauſam adfectus iſtos diſcernendos eſſe patet. Et quanquam nos quoque vermem eſſe id, quod prodire cernitur, pluribus infra probaturi ſimus, ingens tamen diſcrimen inter hunc & ulcerum vermes animadvertitur: cùm ſæva illa vermina Lucretio in V. dicta, & gneratione, & magnitudine, & denique copia longiſſimè à dracunculis diſtent. Vermes enim è ſordibus in ulcere neglecto aut putrido naſcuntur, dracunculus autem jam genitus eſt, antequam ulcus excitetur. Qui in ulceribus quoque conſpiciuntur, omninò exigui eſſe conſueverunt, cum tamen Vena Medinenſis ab Ebnſina noſtro longiſſimè protendi dicatur. Dracunculum quoque unicum longiſ-

simumque lumbricum postea considerabimus, cùm in ulceribus haut rarò plus quam sexcenti vermes reperiantur. Quibus & hoc acetarii vice addimus: Etsi Jo. Actuarius VI. method. med. IIX. dracunculos iisdem remediis perimi testetur, quibus & vermes in ulceribus geniti necari solent, acribus scil. & amaris, non tamen hinc concludi posse, dracunculos ulceribus verminosis adnumerandos, cùm istis solis curatio Venæ Medinensis nequaquam absolvatur, quemadmodum ex sequentibus apparebit. Inprimis si cum Ebnsinæ hoc nostro textu, ulceris verminosi curatio accuratius conferatur, de qua inter vett. Paulus IV. 42. Oribasius III. Synops. & III. cur. morb. XXVI. Aëtius tetrab. IV. serm. II. c. XLIIX. ac è recentioribus Fallopius lib. de Ulc. c. XXI. Hier. Fabricius Aquapend. lib. III. Chir. Univers. c. IX. Jo. Riolan. sect. II. Chir. c. IIX. aliique copiosius egerunt. Nec audiendus Jo. Colle qui suo, ut vocat, elucidario Chir. sive Comm. in IV. Ebnsinæ fen. IV. tr. II. c. XXI. Ulcus cavum nobis persuadere conabatur, nullo quidem verme præsente, sed vermis tamen alicujus more tortuosè progrediens: quod sanè parum abest à tumore Paræi vermiculari, quem paullo pòst pluribus refutabimus. Mirus porrò adfectus est, cujus in scriptis suis Arabes & Medici quidam barbari meminêre. Interpretes parum Latinè, ut solent, passionem vel ægritudinem bovinam nuncupârunt. Causam nominis Alzaravius tr. XXXI. B. sect. II. c. XIII. reddit, quod plurimùm in bobus generetur. In describendo hoc morbo omnes quidem consentiunt, vermem esse, qui inter cutem & carnem generatus, totum corpus perambulet, & quà liceat, illius parte exeat, etiam per oculos, magno ægroti periculo, nisi sollertiâ Medici præcaveatur. De bobus res explorata est. Sic enim Jo. Nic. Stupanus Med. theoric. semiotic. particular. c. IV. disput. IIX. §. CLXXIII. *Bobus*, ait, *vidi apud Rhætos nostros tumores oriri cutem attollentes: quibus compressis exprimitur Vermis albus, parvæ castaneæ similis, duplo crassior lumbrico, sed brevis.* In ovibus hunc ipsum, ut videtur, Jauharius in Lexico حلمة

appel-

appellat, sub cute generatum. In homine verò an quisquam talem vermem, qualem Stupanus in bobus observavit, qualemque Alzaravius descripsit, viderit, nondum constat. Certè, si unquam à nostris conspectus esset, vix fieri poterat, quin emanasset in vulgus, aut aliquis observationes suas tam raro casu exornâsset. Unde nec jam de causis, nec de curatione, quæ ferè sectione aut ustione perficitur, multa commentari lubet. Cum vena tamen Medinensi confundit Petrus Monavius ap. Laur. Scholzium epist. CCXV. Franciscus Ranchinus tr. de morb. puer. sect. II. c. VI. Bernardus Paludanus not. in Linscot. Itin. c. VI. atque eandem esse, hinc fortè quis suspicari posset, quod Guil. Salicetus Placentinus lib. I. Chir. c. LXVI. inter signa ægritudinis bovinæ retulerit deambulationem sub cute de loco ad locum factam, ac si serpens esset, qui sub cute moraretur. Verum existimamus, neque Salicetum morbum hunc vidisse, qui nobis è vermiculo, ut Alzaravii interpres vocat, & quidem brevi, qualem in bobus Stupanus vidit, penè Serpentem fecerat. Quidquid tamen sit, dracunculum non esse planum est. Nec enim hic totum corpus percurrit, ut vermis ille ambulatorius, sed vel in cruribus, vel brachiis, aut latere fixus hærere solet. Præterea & ipse Alzaravius eundem á vena, quam exeuntem vocat, apertè capitibus distinguit, & Salicetus quoque Medenam suam cum varicibus confundit, quod supra jam animadvertimus. Atque hic vermis admonet nos insignis cujusdam fabulæ, cujus jam olim celeberrimi quidam Medici meminerunt, ut eam ex animo Vulgi nostri obstinatè insanientis tollerent. Concipiunt enim hominum stupidissimi spiritum vitalem nominatum, aut etiam ipsam animam in forma animalculi cujusdam, quod vernacula sua, **das Herg/** appellant, atque cum musculos temporum, frontis aliosve à subcutaneis flatibus contremiscere vident, ab isto animali fieri putant, quod exitum moliatur, magnumque vitæ periculum verentur, si ad oculos usque processerit, tanquam illac elapsurum meatus reperiat patentiores, cùm tamen per aures, è naribus palato & ore multò proclivius elabi posset. Unde Jo. Langius lib. I. epist.

epist. IIX. in sui temporis Chirurgos acriter invehebatur, qui, cùm sectâ venâ sanguinem in lebete ob flatulentum spiritum inclusum contremiscere viderent, vitam cum sanguine effusam suspicabantur, eumque ob id repente, antequam tepesceret, ægrotum absorbere cogebant. Cl. Sennertus l. Pr. part. III. sect. II. c. X. ἴπωον, oculorum adfectum sic dici existimat. Cui ut repugnandum non putamus, ita nec istud præterire possumus: nostratibus non istiusmodi adfectum, qui diurnus esse solet, sed temporariam brevemque contremiscentiam à flatibus sic appellari, qua olim quoque tam Græci, quam Latini omina capiebant, παλμὸν scil. inter tergemina grypho ternarii apud Ausonium comprehensa notante Josepho Scaligero l. lect. Auson. XVI. ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός apud Theocritum, quod Plauti imitatione: *Supercilium mihi salit.* At Paracelsus l. de apostem. & ulc. c. XXXI. testudinem (ulceris genus) *Celsam* suam decernit, h. e. quod huc atque illuc discurrit, quodque editio Germanica, das Ferg/ vocat. Quo magis mirari queas, cur ab ejusdem sententia ad nugas potius aniles recesserint Dorneus, & qui hunc lubenter sequitur Rulandus. Uterque enim: *Celsa*, ait, & alio loco, *Periodus, dicitur musculus vitæ, pulsus per singulas partes corporis oberrans.* Cæterùm cum verme illo bubulo fortasse magis, quam dracontiis, convenerit adfectus quidam recentior, quem morbum Varenum Paraphrastes Jo. Vieri apud Henricum Smetium. III Miscellan Med. alii Varos, Vestphali, Frisii, Geldri, & Batavi sibi familiarem & endemium, die loopende Varen/ aut, die springende Gicht/ appellant. Sic enim Henricus à Bra epist. ad Petr. Forestum quam hic in fine libri XX. observationibus subjunxit: *Doloris speciem statuunt ipsi ægri exedentem corrodentemque, qui vermiculum, musculos, & alias partes subitò, ac nonnunquam momento, variis simul locis, permeantem, depascentemq; arguere videtur; ab inseparabili proprietate ipsius morbi etymologiam deducentes, siquidem,* Varen/ *patria linguâ singulari quoddam lumbricorum genus denotat.* Verùm cùm opinio potius ægrotantium, ex ipso doloris genere vermem fingentium, lumbrici nomen

men morbo imposuerit, qaam ulla Medicorum experientia, eâdem dimissa, an quidquam cum dracunculis seu Vena Medinensi commune habeat indagemus. Vierus enim l. c. adfirmat, quendam sibi dracontia objecisse, ut morbum antiquis cognitum ostenderet, & Forestus subdubitâsse videtur, ut qui cuivis liberum reliquerit judicium, num ille sit dracunculus, cujus Galenus mentionem injicit & de quo Arabes scripsêre. Quidām ad alium adfectum potius referendum censuerunt, quem Henr. à Bra l. c. à Bertapalea *ventositatem perambulantem* appellari scribit. Is ipse verò est, qui à nonnullis flatus furiosus dicitur, quemque à suis Nakîr vocari Abulcasimus II. 93. memoriæ prodidit, elegantissimè, quantum nos quidem judicare possumus, ac si dolorem perforantem velociter hinc inde se movenrem dixeris, hæc enim omnia unica illa vocula denotare potest, cùm Arabibus نقر à quo نقير & cum articulo النقير perforare, terebrare, findere, celeriter hinc inde moveri atque etiam irasci significet, quod pluribus exemplis in thesauro L. Arab. Antonius Giggejus declaravit. Historiam morbi ab Abulcasimo memoratam commentariis illustrârunt Marcellus Donatus lib. I. hist. Med. mir. c. VI. & Zacutus Lus. VI. hist. Med. Princ. c. V. è quibus facilè elucere potest, Varos sive Varenos Vieri à flatu seu dolore isto furibundo haut parum discrepare, si quis utrumque accuratius conferre non gravetur. Ut non immeritò Jo Heurnius epist. de morb. novis ad Henric. à Bra tandem in hæc verba eruperit: *Frustra ad aliena conamur sæpè revocare mala nostra.* Alii igitur Varos potius arthritidis Vagæ quandam speciem constituunt, quam quia Scelotyrbicis familiarem experiuntur, Scorbuticam appellant. Id primus omnium, quod sciamus, aliis persuadere conatus est Vierus l. c. quem sequutus Severinus Eugalenus p. 99. tract. de scorbuto utilissimi, à Josepho Stubendorfio editi, ejusdem curationem observ. IX. & XII. exposuit. In quam sententiam legi merentur, quæ viri Clariss. Henricus Petrejus, & Gregor. Horstius

literis vicissim datis copiosius pertractârunt ap. eundem Horst. part. I. epist. Med. Sect. II. & Heurnius in epist. modò laudata Henrico à Bra plane adsentiens adfectûs causam existimabat ὀργασμὸν esse succi venenosi, tenuisque ac adustæ, pepasmique expertis bilis flatulentæ. Unde satis manifestum putamus Varos Vestphalicos sivè Batavicos à Vena Medinensi longissimè differre. Nec enim descriptio illorum, nec symptomata, nec causæ, nec denique curatio dracunculis ullo modo conveniunt. Lumbrici terrestres, insecta Majalia sive ephemera aut hemerobia, ut placuit Augerio Clutio, qui naturam illorum peculiari dissertatione, propterea perscrutatus est, tanquam varorum alexipharmaca ab omnibus commendantur, quorum tamen in dracunculis curandis vix ullus usus est: quamvis ex illis, quæ egregia varis pariter atque lumbricis pellendis Jo. Dravitius tr. de scorb. & Val. Andr. Mollenbrœccius descripsêre, etiam dracunculis necandis commoda fateamur. A Varis igitur ad Varices transeamus, quibuscum Venam Medinensem Guil. Salicetum commiscuisse supradiximus: quem postea errorem Guido quoque Cauliacensis erravit tr. II. Chir. IIX. aliique quos curationis qualiscunque similitudo à veri tramite transversos egit. Sic enim & auctor εἰσαγωγῆς ἰατρικῆς Galeno perperam adscriptæ, postquam c. XIIX. varicum sectionem edocuisset: Τὰ δὲ λεγόμενα δρακόντια ὅμοιά ἐστι τοῖς κιρσοῖς. μεγάλην δὲ ἀλγηδόνα ἀποφέρει κινούμενα μικρὸν προκύπτοντα, δεῖ οὖν διελόντα ὡς ἐπὶ τῶν κιρσῶν ἀποδέρειν καὶ οὕτως ἐξαιρεῖν. Jo. Guinterii Andernacensis versione: *Dracontia varicibus similia sunt, magnum verò dolorem, dum paululum prominentes moventur, concitant. Oportet autem divisis, ut varicibus, summam cutem detrahere, sicque præcidere.* Sed verò simile est neque hunc auctorem, sive Herodicus Diæteticus, sive Herodotus Lycius Pnevmaticus, ut quidam putant, sive alius quicunque fuerit, dracunculos vidisse, quemadmodum & Galenus disertè negat unquam sibi conspectos esse. Nam Ebnsina noster, & cæteri omnes, qui Venæ Medinensis meminerunt, ejusdem curationem tradunt à varicibus diversissimam, & blandam lentamque extractionem potius,

tius, quam exsectionem commendant, de qua plura sequentibus proferemus. Ut mirum sanè sit Matthiam Naldium lib. III. Pamphiliæ suæ, seu de amicitia Universi part. VI. c. VI. eandem tamen curandi rationem pronunciare ausum, cùm Ebnsinam cæteroquin sibi sequendum proposuisset. Præterea natura utriusque morbi alia atque alia est: Nec enim Vena Medinensis vena propriè sic vocatur, quæ sanguinem in se contineat, neque venarum quidam adfectus, sed vermis sui generis, quod paullò post luculentius ostendemus. Varix autem ἀνεύρυσις τῶν φλεβῶν Galeno definitur XIII. Meth. med. in fine, & Comm. in VI. aphor. XXI. Bdella Hippocrati, vena varicosa, opinione Marsilii Cagnati II. observ. c. II. Celso omissa, sive quod ignorârit, sive quod Ulceris nomine complexus sit. Nævus quoque Attiæ, de quo Suetonius in Augusto Cæs. §. XCIV. ab hoc adfectu plurimum tamen discrepat: *Attia balneis publicis abstinens ob maculam corporis draconem referentem.* Neque huc pertinent serpentes in humeris Sahaci Regis, de quibus ex Ferdusi Poëtæ Persæ thesauro Regio, notis suis pereruditis ad Saadi Rosetum Georgius Gentius c. I. p. 551. quos cerebro humano pascere oportebat, fabulæ enim propius videtur quam historiæ, quam ideò occulto Sensu mysterium Politicum commodius explicabat Adamus Olearius IV. Itiner. Mosc. Pers. c. XXXII. Nec tamen propterea Gentii opinio contemnenda, qui teterrima ulcera fuisse autumabat, quorum maligna edacitas humani cerebri malagmate mitiganda fuisset. Poterant sanè aliorum quoque animalium cerebra idem efficere, quæ humano temperie quam proxima essent, nisi ipsa remedii horribilitas aliquid arcanæ virtutis ad curationem, seu potius sustentationem medentium persuasionibus attulerit, aut arcanum tyrannidis obvelamentum suspicari liceat, è medio tollendi hoc nomine, quos lubuisset. Quod si omninò, uti descriptus est adfectus, intelligi debuerit, similiorem fortasse nemo excogitaverit, quam ille Indorum est, & Congensium in Perside, serpentibus in medio corpore enatis, & paullatim capite ad caudam prorepente, nisi lanceolis compunctum aut novacula con-

cisum mortificetur, cinctu letifero præfocantibus, ap. Phil. à S. Trinit. X. Itiner. or. c. IV. Admonent tamen nos hi Sahaci Serpentes fabulæ Stendeliensis, quæ in Marchia anno superioris sæculi sexto & quinquagesimo de matrona nobili percrebuerat frumenti copiam egenis denegante, cujus collo anguis ex nummo argenteo miraculosa permutatione genitus, ita implicitus ferebatur, ut nulla ratione separari potuerit, quem ideò tanquam ingratum hospitem ali perpetuò oportebat, quærenti enim Hieronymo Nymmano Gymnasiarchæ Torgensi Jacobus Horstius Medicus magni nominis nihil, quod responderet, habere se fatebatur epist. à Reinero Reineccio editis. At quod tuberculum in India D. Thomæ frequentius, Syhy Æthiopum lingua spicam veluti emittens V. C. Jobus Ludolfus in Lexic. suo Æthiopico à doctissimo Vanslebio edito commemorat, clavum esse subdubitans, nostrâ opinione omninò idem est, cum tumore illo exsecratarum familiarum, de quibus infra c. V. ex Linscotano, aliisque, cum dracunculis tamen perbellè convenire posset, si illud quod egreditur, non tam spicæ, quam vermi, aut filo, aut denique nervo simile judicatum fuisset. Mira etiam trichiasis species, quam non tantum in capite Rhopalosin vocabat Auctor defin. Med. Plicam Polonicam vulgo dictam, sed etiam aliis corporis partibus præstantissimorum Medicorum observationes descripserunt, inprimis Jo. Scultetus Med. Noribergensis in abdomine inextricabili convolutione planè inusitatam delineavit, nec ipsa tamen ad dracontiasin spectat. In Æthiopia familiaris adfectus, & quasi naturalis, saltem hereditarius, à calore & siccitate regionis, de quo Muslahoddinus Saadus præfat. roseti sui:

جهان درهم افتاده چون موي زنگي ،

Orbis tumultibus implicitus, ut capillitium Æthiopum.

Propior itaque, nî planè idem fuerit alius à Petro Poterio descriptus centur. III. cur. IIX. filamenta nimirum faciei dura, & prætenuia, dolorem ingentem sine tumore inducentia, volsellis eximenda, tanquam Sericea dixeris, novo nomine Narbonensibus.

sibus, les Soyes, vocata, memorante Lazaro Meysonnerio tr. de morb. nov. c. IIX. tumor item genulentis tantummodo magnitudine cauterio apertus vermesque tenues, veluti pilos, cum vivo unico, apis instar aculeato, continens ap. eundem Centur. I. cur. XLVII. qui certè non absque causa, utrum dracunculus Aëtii & Pauli Æginetæ sit habendus, dubitabat, cùm signa pleraque ad amussim conveniant. Simillimi etiam videntur adfectus illi Indorum tam Orientalium quam Occidentalium, serpentes scil. circa lumbos nati, corpusque incingentes ap. Phil. à S. Trinit. VII. Itin. c. IV. & X. c. IV. & *Tunga* Brasiliensium, quem Lusitani, *Bicho dos pes*, tanquam serpentem pedaneum appellant, referente Guil. Pisone II. de med. Brasil. XXII. & Georg. Marcgravio VII. hist. Nat. Brasil. III. multum tamen & magnitudine, & Symptomatibus, & denique curatione discrepant, si quis descriptionem uberiorem conferre voluerit, ut sanè confundi nequaquam debuerit à Ranchino tr. de morb. puer. sect. II. c. VI. Theveti tantum fide subnixo, quam homini futilissimo sublestam fuisse, jã olim Casaubonus ostendit epist. CCLXIII. & CCCCXCIV. *Fungum, non hominem, appellans, nullarum literarum, nullius doctrinæ, nullius judicii, per varias quidem orbis partes circumlatũ, sed fabulas condentem, quibus eruditis imponeret.* Multò sanè veriora prodidit Illustris D. de Rochefort, Eq. Gallus descript. Antill. Insul. lib I. c. XXIV. §. VI. *Chiques* Americanorum eosdem cum vermibus Brasiliensium, *Tous*, dictis, & *Niguis*, Indorum sub Unguibus delitescentibus, adfirmans. Illud quoque animalculum, quod Scorpii marini effigie in digito genitum Petrus Borellus recensuit lib. I. obs. XXIIX. non valdè absimile videtur, cui addenda, quæ de tribus ejusmodi aliis ex spina scorpii marini Frontiniaci genitis, in vita Illustriss. Peirescii doctissimus Gassendus commemoravit, ubi seminium tamen proprium verius subfuisse conjectabat Borellus: & quæ nos de verme paronycho ad Marcelli Cumani obs. IX. notavimus, Jo Agricolæ & Zachariæ Brendelii testimonio haut parum pro Paracelsi sententia faciente quam lib. de Ulcer. c. XVII. protulerat. Haut parvam quoque affinita-

tem pustulæ illæ habere videntur, quas Variolis similes, pilis internascentibus, berylli colore, foraminulentas, duplicis generis sibi observatas, descripsit Bartholomæus Carrichterus, herbarius & empiricus haut exigui nominis, & Maximiliani Cæsaris gratia singulari famæ celebratus lib. II. Pr. c. XIII. Vermes præterea capillares, quas sic vocat Franciscus Joël X. Pr. sect. IV. §. IV. in digitis circa ungues nascentes & prominentes, quamvis à paronychia sive panaricio vulgò dicto omninò distinguendi sint, nostratibus forsan commodius radices unguium vocari consueverunt, nullum unquam vitæ animalis indicium præbere visi sunt, quos diversis temporibus in adolescentia inprimis observavimus, quanquam sine ulla molestia, quanquam tamen etiam cum rubore, & levi quadam digitorum inflammatione dolorem inferente, tùm maximè si prominulæ, tanquam è poris cutaneis appendiculæ quædam forficulis resecarentur; pauculis enim horis non sine pruritu, & excandescentia denuò succrescebant, donec sensim omninò prodiissent, nullo sui vestigio relicto. ציצין: Talmudicis in Schab. fol. XCIV. 2. צפורן שפירש רובה וציצין שפרשו רובה: *Unguis digiti, qui separatus est: Et fila (scil. circa unguem cutis) quæ absciſſerunt.* ציצית: *Villus, aut filus in se contortus, & in longum dependens.* At morbus horrendus & rarissimus, qui olim curandus obvenerat Achilli Gassero Poliatro nostrati, in Jacobo Tybingero JCto & Quæstore Cæsareo Marchionatus vicini Burgaviensis, quem in Consiliis exotericis recensuimus, aliquam cum dracunculis convenientiam habere videtur, inprimis si Sorani sententia de villis nerveis admitti posset, quam postea pluribus excutiemus. Huic enim ab hemicrania dolor primum sinistri brachii, & pedis cum febri lenta & fluxu quasi dysenterico, succedente mox virulenta musculorum brachii corruptione cum fœtore abominando molestus erat, villis venarum flaccescentium ex ulcere egredientibus, & putredine demum usque ad os coccygis progressa, cum febri colliquante letifera, non sine incantationis suspicione, CIↃIↃLX. quem tamen, ut alios aliarum partium

tium Sphacelismos etiam sine hac ortum fuisse, satis planum videtur, quod prolixius in notis nostris ostendimus. Morbus item fœdissimus in milite, à scelesto cadaveris contactu, cui tuberibus totum corpus scatebat, è quibus apertis vivi vermes prorepebant, quales in demortuis putrescentibus gignuntur, si modò vera sunt omnia, quæ Franciscus Mercurius Helmontius aliorum relatione prodidit Alphabet. Natur. colloq. V. multa enim in hostibus nonnulli, tanquam Numinis irati vindicias suggillant, quæ tamen ad causas ordinarias morborum graviorum referenda. Quin illud longè mirabilius, quod de gregario Sigismundi Imperatoris in Alpibus bellum gerentis recenset doctissimus Jac. Bidermannus III acroamat. §. XLVII. *Jacebat,* inquiens, *putore, sanie, fœtore horridum monstrum jam plurium annorum nive, humore, & ipso, si hæc defuissent, tempore consumptum. Increverant latè circum & per totum adeò cadaver paliuri, sentes, junci, spinæ, nihil ex homine, præter animum vocemq; hominis remanserat, nullum neq; cordis vestigium, nec cerebri indicium, nec pulmonis, hepatisq; signum exstabat,* & quæ sequuntur fidem omnem superantia, quam tamen cuivis liberam relinquemus. Sed & haut ita pridem Conradus Redekerus descript. font. Bilfeldiensis Civem quendam, Conradum Baumbrum tabe confectum ab usu aquæ novissimè detectæ universo corporis ambitu innumeros vermes tanquam sudore protrusisse referebat, è poris pennularum anserinarum crassitie extrahendos Exempl. IIX. quod mirum à Nic. Hobokeno nulla animadversione notatum, si maximè nullâ indigebat, ad vermicularem tamen potius adfectum infantibus cæteroquin magis familiarem pertinere videtur, quam ad dracunculos, quia de longitudine non constat. Superest enim alius quidam morbus quem in infantibus pilarem appellant. Hunc cum dracunculis confundunt Jo. Vierus apud Smetium l. c. Georgius Cunelius disp. inaugurali cujus mentionem facit Jo. Nicol. Stupanus Med. Theor. Semiot. part. c. IV. disp. IIX. §. 174 Gregorius Horstius part. I. tr. de Scorbut c. V. Franciscus Ranchinus tr. de morb. puer. sect. II c. VI. Theodorus Corbejus aut Verius

Jo. Ma-

Jo. Magirus II. pathol. sect. VII. c. V. & plerique alii. Diversus tamen adfectus est, quamvis fortasse nequaquam repugnandum sit Sennerto, qui lib. II. Pr. part. II. c. XXIV. propter similitudinem, quam cum Ægyptiis sive Indicis habeant, dracunculos vocari scribit. Sæpius enim accidere solet, ut morbos diversos eodem nomine censeamus. Attamen Sennertus ipse ὁμωνυμίας obscuritatem, ut videtur, fugiens, vermes dorsi, quam dracunculos, appellare maluit. Nos quoque Jo. Schenkii sententiæ accedamus, qui V. obs. CLXXXVI. *Falluntur*, ait, *qui ad Germaniæ nostræ infantium sive vermiculos, sive filos infantes infestantes, & ad maciem deducentes aut Gallorum pilarem adfectionem seu cridones, dracunculos referre contendunt, muscam cum elephante conferentes: manifestò utrimq; vitii exactâ collatione plurimum distante, &, quod primarium est, curatione minimè respondente.* Ut verò hoc discrimen eò manifestius cuivis apparere possit, singularem exercitationem de Vermiculis capillaribus infantium postea subnectemus. Hic verò auctarii vice duo, quæ sequuntur, adjicimus. Primum est: Raphaëlem Regium Volaterranum dracunculos cum angina aut nescio quo alio gutturis & faucium adfectu confudisse, cujus verba, tanquam ab homine Medicinæ imperito, & Græcè vix semidocto, profecta, non magni facienda sunt, sed vel sola enarratione ipsamet errorem produnt. Cùm enim XXIV. Comment. Urban. de morbis gutturis & faucium tractaret, sub ipsum finem hæc addit: *Dracontium ap. Indos, & Ægyptios in membris musculosis proveniens, vid. gutturem brachiis, coxis, cruribus. Soranus Medicus hoc ex animali quodam simili inter cutem innato dicit procedere. Paulus animal esse negat. Nos Alati inter Hernicos hodiè malum hoc frequens cognovimus. Ducunturque pro remedio noctibus per urbem crepitantibus simul æreis Vasibus, præsertim initio morbi.* Verùm vix dubium esse potest, vulgarem anginæ aut apostematum gutturis appellationem apud Italos, quibus teste Montagnana, *dragoncelli*, nominantur, Volaterrano imposuisse, ut veterum dracunculos esse halucinaretur. Nam præterquam quod curatio illa sive circumductio nocturna Herni-

Hernicis usitata valdè sit ridicula & superstitiosa, ac Magicæ cuidam Lunæ καθαιρέσει simillima, quam Scholiastes Græcus Apollonii Rhodii in Argonautic. lib. IV. vers. LVII. καθαίρεσιν τῆς σελήνης τῶν Φαρμακίδων τῶν Θεσσαλῶν, *Lunæ detractionem veneficarum Thessalicarum*, appellat, utrique, & Sorano scil. & Paulo, planè contrariam sententiam adfingit, ut ex inferioribus luculentius patebit. Alterum est: oppidò falli viros quosdam doctos, qui serpentes illos ignitos populo Israelitico refractario & murmuranti in desertis Arabiæ à Deo immissos, pro hoc dracunculorum morbo accipiendos censuerunt. Nec enim ullis idoneis argumentis conjecturam suam firmârunt, nec textus Hebraicus h. e. ipsa veritas, quidquam tale admitteret, quem sanè non ineptè contra Fortunium Licetum III. de spont. viv. ortu, c. LI. urgebat Ezechiel sive Petrus à Castro, quamvis illum defendere conatus sit doctissimus Bartholinus lib. de luce animalium, & Cent. I. epist. XXXII. atque adeò se ipse Licetus ibidem in responsoria epist. XXXIII. Sic enim Num. XXI. 6. legitur: וישלח יהוה בעם את-הנפשים השרפים וינשכו את-העם וימת עם רב מישראל: Benedictus Arias Montanus optimè ad verbum vertit: *Et misit DOMINUS in populum serpentes ignitos, & momorderunt populum, & mortuus est populus multus in Israël.* Vulgata versio: *Ad quorum plagas & mortes plurimorum venerunt, &c.* Ms. nostra antiqua in membranis copiosius, & rectè: *Ad quorum plagas, & morsus, mortesq; plurimorum venerunt.* Nimirum non in vocabulo שלח discrepantia illa quærenda est, ut Licetus argutabatur, mittendi nomine sæpe etiam pestem, ac morbos denotari objiciens, neque in altero שרפים quod etiam de clypeo fortium, de sermone Dei, eloquio, aliisque per metaphoram dici arguebat, sed reliquo contextu, & parallelis locis, ac optimorum interpretum versionibus, quæ istam Petri à Castro Hebræi, & Hebraicè non indocti censuram minimè elumbem sat gravi ratione fulciebant, contra quam illi videretur. Omnia sanè dracunculis omninò sunt contraria. Veri enim serpentes intelli-

telliguntur, quos versio B. Hieronymo adscripta, & cæteri pleriq; ignitos, sed Sebastianus Castalio, Immanuel Tremellius, & Franciscus Junius presteras appellârunt, quod tamen judicio Cl. Buxtorfii, & Hebraicæ literaturæ principis idem est. LXX. Interpretes haut parum à sacro fonte recedentes τὺς ὄφεις τὺς θανατῦντας, h. e. serpentes mortiferos reddiderunt. Rectius R. Onkelos in translatione Chaldaica, quæ Targum κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur, חיון קלן; reposuit. [Omnium clarissimè autem R. Jonathan Ben Uziel in Paraphrasi sua Chaldaica, diffusiori expositione non morbum aliquem, aut quodcunque vermium genus in corpore generatum, sed vera animalia in populum immissa, jussuque Dei extra accedentia, jam olim non aliter veteribus accepta, contestatur, quæ heic adscribere operæ pretium judicavimus:

וישלח] ברת קלא נפלת מן שמי מרומא ובן אמרת
איהון חמון כל בני נשא כל טבוון דעבדית לעמא
אסיקית יתהון פריקין ממצרים אחיתית להון מנא
מן שמיא וברון הזרו ועתרעמו עלוי והא חויא
דגזרית עלוי מן יומי שירוי עלמא עפר יהוי מזוניה
ולא אתרעם עלוי ועמי אתרעם על מיזוניהון ויגבתון
ית עמא די אתרעמו על מזוניהון בבן גרי מימא
דיי בעמא ית חיון הורמנין ונביתו ית עמו ומיתו
אבלוסין סגיאין מישראל:

Filia vocis cecidit ex cælis excelsis, & sic dixit: Venite, videte omnes homines omnia beneficia quæ feci populo, quos adscendere feci liberatos ex Ægypto, descendere feci illis Man è cælis, jam verò iterum murmurârunt contra me: Ecce autem serpens, de quo decrevi inde à diebus initii mundi ut pulvis esset cibus ejus, neq; murmuravit contra me, populus autem meus murmurârunt pro cibo suo. Jam verò venient serpentes, qui non murmurârunt pro cibo suo, & mordebunt populum, qui murmuran. de cibo suo. Propterea immisit verbum Domini (i. e. Filius DEI, ὁ λόγος ἐνδιάθετος

ϑκτος) *in populum serpentes regulos, & momorderunt populum, mortuaq; sunt turba multa ex Israel.* Huic per omnia consentiens Targum Hierosolymitanum plura quædam præterea addit. Filiam tamen vocis non cœlo delapsam sed è medio terræ exiisse, vocemque in excelsis auditam esse ait. Unde facilè colligas hanc ברת קלא: Targumistarum differre à בת קול: Rabbinorum, ut quæ cessante propheria ab Haggæi obitu, ceu gradum quendam minorem inspirationis Divinæ constituunt. *Propterea veniat serpens, qui non conquestus est de cibo suo, & mordeat populum hunc, qui murmurat de cibo suo. Itaq; immisit verbum Domini in populum serpentes ignitos:* חויא שרפיא ut in Hebræo textu, quo aliis etiam in locis generalissimè omnia vocabula *serpentes, regulos, aspides, viperas, hæmorrhoos, & Basiliscos*, denotantia Chaldæus : חורמנין appellavit, quod forsan Tavusius in Persica sua versione exprimere voluit, cùm مران مارهاي ، redderet. Nam Hebræa cæteroquin tam propè consectatus est, ut interdum Linguæ Persicæ genium neglexisse videatur. Samaritanus : נחשיה דמוקדים Syrus, ut Chaldæus خوتا خرمنا ، pro quibus iccircò Interpretes Latini : *Serpentes immanes:* reposuêre. *Exitiosissimos* tamen sive *perniciosos* etiam reddere licuerit, ut immanitas illa non tam de mole corporis, quam morsu venenatissimo, summèque letali accipiatur.] At verò Clarisf. Bocharti judicium de paraphrasibus istis Chaldaicis nimis severum videri queat qui lib. III. Hierozoici c. XIII. nugas vocat : ac si serpenti id in laudem sit vertendum, quod non murmuret in Deum, quem non novit. Hoc enim saltem voluerunt dicere Israelitas, homines ratione præditos diris illis bestiis pejores fuisse, quæ ratio loquendi sanè ap. Prophetas sæpius occurrit. Nam & asinis & bobus stolidiores dicuntur, qui præsepia Dominorum suorum nôrunt. Arabs Josephi Scaligeri, cujus paraphrasin R. Saadiæ Gaonis versioni jam ante sæculum à Judæis Constantinopoli sed

H 2 Hebrai-

Hebraicis tantum literis excusæ longè prætulit Erpenius التعابين المحرقة interpretatus est, quos pressissimè serpentes longiores majoresque seu dracones urentes, aut uno Græcorum vocabulo πρηστῆρας ἢ καύσους dixeris. Arabs Savarianus in opere Jayano & Londinensi, حيات محرقة quod idem est sed non nihil latius patet. πρηστῆρας γὰρ αὐτὰς καλοῦσι τινες, καύσωνας δ' ἄλλοι, ut habet Ælianus VI. de animal. XV. ubi ingeniosa narratio de dipsade Promethei pyrocleptæ proditione, & asini negligentia τὸ τοῦ γήρως ἀμυντήριον φάρμακον bibente. Hoc autem serpentis genus plerique ad mentem Dioscoridis idem faciunt cum dipsade, alii tamen potius distinguunt: Inter quos etiam Lucanus Symptomata, quæ morsu inducit, periculosissima in IX. Pharsaliæ suæ, dum Catonis militem per deserta Lybiæ vagantem memorat, his versibus egregiè describit:

Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit præster, illi rubor igneus ora
Succendit, tenditq́ cutem praeunte figura
Miscens cuncta tumor toto jam corpore major
Humanumq́ egressa modum, super omnia membra
Efflatur sanies latè tollente veneno.

Suidas etiam in Lexico: διψὰς λευκή ἐστι καὶ ἔχει ἐν τῇ οὐρᾷ γραμμὰς β'. πρηστῆρα δὲ αὐτὴν τινὲς καλοῦσιν, καύσωνα δὲ ἄλλοι. γίνεται δὲ ἐν Λιβύῃ καὶ Ἀραβίᾳ μᾶλλον. καλοῦσι δὲ αὐτὴν καὶ μελάνουρον, καὶ ἀμμοάτην, καὶ κεντρίδα. Confusè & vitiosè: *Dipsas alba est, habetq́ in cauda duas maculas. Presterem quidam hanc vocant, alii Causonem. In Libya maximè & Arabia gignitur. Nonnulli & Melanuros appellant, & Ammontem, & Centridem.* Sic enim vertimus ex antiquiori Chalcondylæ exemplari, in quo pro ἀμμοάτην dubio procul, ἀμμοβάτην rescribendum, ut ap. Ælian. l. c. & diversa serpentium genera sollertius distinguere oportet. Quamquam vulgatus Interpres Deuter. IIX. 15. utrumque hoc serpen-

ſerpentis genus conjungat: *Ductor tuus fuit in ſolitudine magna atq; terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio, & dipſas.* Sed minus accurata cognitione, aut ſaltem conſideratione L. S. quam ſæpè prodit, lapſus eſt. Benedictus Atias : צמאון *locum ſiticuloſum ſive aridum :* R. Onkelos : בירת צחונא *domum & locum ſitis.* Arabs موضع عطش quod idem notat, rectius expoſuerunt. (Sic enim haut malè in Regiis Antverpienſibus editum, ut nihil opus ſit Guidonis Fabricii caſtigatione, qui : בירת צחרנא *locum aridiſſimum*, Pagnino perperam dictum, ſic corrigendum monebat : בירת צחוונא in dict. Syr. Chald.) ſed & præterea mirari queas, cur idem Montanus verba hæc LXX. Interpretum οὗ ὄφις δάκνων, καὶ σκορπίος, καὶ δίψα: Utpote quam proximè ad linguæ ſanctæ ingenium accedentia, vulgatam verſionem fortean ſequutus reddiderit : *Ubi ſerpens mordens, & ſcorpio, & dipſas.* Targum Uzielidæ & Hieroſolymitanum :

במדברא רבא ודחילא אתר מלי חיוון קלין ועקרבין עקצין רבירת צוונא את דליתמוי :

Per deſertum iſtud magnum & tremendum, locum plenum ſerpentibus urentibus, & ſcorpionibus habentibus aculeos, per loca ubi erat ſiccitas, tamen ubi non erant aquæ. Samaritanus Codex : Deſertum ſerpentis adurentis, ſcorpionis, & dipſadis in quo non erant aquæ : appellat, ſi modò ſatis ſibi Latina verſio conſtat:

נחש מוקד עקרב וצואן דליתמים המפק :

HebræoSamaritanus :

נחש שרוף עקרב וצמאון אשר אין מים המוצא לם מים :

Quod ſanè de loco ſiticuloſo, non de dipſade accipiendum, & Hebræo ex aſſe par eſt: quemadmodum & reliqui omnes ita interpretati ſunt. Syrus iiſdem verbis, quæ Onkeloſus habet. Tavuſius Perſicè : نشنة اِسْتان Arabs Jayanus & Vualtonianus

nus عطش حيث ليس ماء plane ut LXX. Græci: δίψα, ἐ οὐκ ἦν ὕδωρ. Homo is sanè Christianus nî illos etiam aliis in locis imitatus sit, hoc saltem optimè Hebraicum expressit, utut in cæteris Saadiam transscripserit, quod Cl. Pocokius suspicatur, apud Vualtonum in prolegom. XIV. Hoc ipsum autem non ad animalia ulla, sed ad locum sive desertum referendum, vel sola particula حيث abunde docere potest. Aliud enim δίψα, aliud διψὰς Græcis dicitur. צמאון: *Sitis*, non dipsas aut *serpens sitim faciens*, quamvis sic visum sit Ger. Jo. Vossio IV. Physiol. Christ. LIII, nullâ auctoritate nulloque exemplo adducto. Quo sanè jam olim destituti sacri Paraphrastæ de loco, non de animali, sitis vocabulum accepêre, tam pronum quippe fuerat Chaldæo: היון צחונא quam: בית צחונא reddere, si id Hebraico convenientius credidisset: Et Arabs quoque حية العطش reponere potuisset, sive ut Ebnsinæ nostro vocantur IV. sect. VI. tr. III. c. XXXIIX. حيات المعطشة *Serpentes sitim facientes*, Gerardi Carmonensis versione. διψάδες, inprimis Libycæ Suidæ, *παλαιοί ὄφεις*, *siticulosi serpentes*, non *pingues*, ut contra Æmilii Porti interpretationem eruditè ostendit Reinesius III. Var. lect. VII. Nec contemnendæ Sebastiani Barradæ conjecturæ, cui IIX. Itiner. filior. Israêl c. XIV. §. III. serpentes igniti dicebantur, vel quia coloris ignei speciem præ se tulerint, vel quia morsus igneos intulissent, vel deniq; quia flatu quodammodo adurerent. Talis scil. qui Jesaiæ XIV. 21. שרף מעופף: dicitur, Montano: *Serpens ignitus volans*: & in margine: Cerastes, non benè, quia Acontiam rectius substituisset. Hic enim serpens volans etiam Auctori de natura rerum, &: *Jaculus volucris*: *serpens volatilis*: Æthiopi paraphrastæ: בגבנח nonnullis

ex

ex Æliano, qui tamen IIX. de animal. XIII. ἀλκιμὸν θηρίον appellat: *Saltu valens:* Interprete Petro Gyllio: & VI. c. XIIX. ἀκοντίζων δ᾽ κὴν ἑαυτὸν μεθίειν καὶ ἐπιφερόμενον: *Semetipsum jaculans, similiter atq; jacula:* quæ sanè & ipsa Poëtis ac Oratoribus sæpius volare dicuntur, ut Psalm. XCI. 5. : מחץ יעוף יומם *à sagitta volante per diem:* τοῖς LXX. ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας. Chaldæo: מן גיררא דמלאך מיתא דיש דרה ביממא: *à sagitta angeli noctis volantis in die.* Arabi paraphrastæ: مـن سّهـم كاير في النهار Vulgata non sine errore: *absorbens Volucrem:* tanquam שרף puncto in dextrum cornu primæ literæ rejecto legisset: hoc enim sorbere significat, ut in sinistro, *urere, succendere*, notante in suo Baal Aruc R. Nathane, & lectionem priorem firmante Masoretharum Tiberiensium studio, labore vix credibili singulas literulas, & apices universos, numerantium. LXX. Græci: ὄφεις πετώμενοι: quod iterum Arias non benè: *Serpentes pennati:* πετᾶν enim volare est, quod faciunt serpentes quidam, & plurima animalia, etsi non sint pennata, sed δερμόπτερα, ut Aristot. vocat I. histor. anim. V. alis cutaneis sive membraneis prædita. Castalio & Tremellius optimè: *prester volucris:* quemadmodum & Jesaiæ XXX. 6. Ubi vulgata: *Regulus volans:* Paraphrasis Chaldaica R. Jonathæ plurium numero: הרמנין מפרחין Basilisci volantes. οἱ LXX. ὄφεις πετώμενοι. Ingeniosa sanè opinio Samuelis Bocharti qui lib. III. Hierozoici sui c. XIII. probare conatus est serpentes, qui populum Israeliticum momorderunt, hydros & Chersydros fuisse. Hyeme enim in paludibus degentes innoxios ferè, æstate siccatis aquis nocentes fieri morsuque πεμφῖγας sive pustulas urentes induci ex Aëtii tetrab. IV. serm. I. c. XXXV. & Nicandri Thenac. vers. 363. colligebat, sed frustra rationem addebat desertum non fuisse ubique aridum aut inaquosum, (cum hodieque omninò ἄνυδρον peregrinatores contestentur, undè & mare arenarium dici solet, quia meris arenis

arenis obrutum) ſerpentes aliunde accitos non ibidem genitos fuiſſe, (cùm tamen locus ille planiſſimus appareat, quem ſupra adduximus ex Devteronomio: in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens & ſcorpio.

Cæterum letiferi morſus, quos ſacræ literæ ignitis ſerpentibus tribuunt, ſive illi dipſades, ſive preſteres alii fuerint, non tam animalibus in corpore generatis, quam extra accedentibus conveniunt. Ita & I. Corinth. X. 9. ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο: *à ſerpentibus perierunt*: de animalibus, non morbis, accipi debet, Syrus Interpres: ואבדן אנון חיותא *quos enecuerunt ſerpentes:* & Ebn Azalkefatus in Paraphraſi Arabica: فابادتهم الحيات iisdem propemodum verbis: *perire fecerunt ſive deleverunt*. Et auctor libri Sapientiæ, ſive is Philo Judæus fuerit, ut ex quorundam opinione B. Hieronymus in prologo refert, & non ita pridem ſingulari diſſertatione particulatim judicavit Jo. Coſtabadius, ſive quicunque alius XVI. 6. καὶ γὰρ ὅτε αὐτοῖς δεινὸς ἐπῆλθε θηρίων θυμὸς, δήγμασί τε σκολιῶν διεφθείροντο ὄφεων. *Cum illis ſæva ſupervenit beſtiarum ira, morſibusq; perverſorum colubrorum corrumpebantur:* Arabs Vualtonianus: وان كان قد واقاهم غضب الوحوش صعبا وافتنوا بلدغات الحيات الصعبة *Quamvis invaſiſſet eos ira beſtiarum ſæva & diris ſerpentum morſibus conſumpti eſſent.* Syrus: واېتيت عليهون حمتا دحووتا وهتو اهن حووتا بشور حناى *Super iſtos iram ſerpentum adduxiſti, & ſerpentes perniciosè momorderunt eos.* Et 10. de iis, qui ſerpentis ænei adſpectu evaſerunt: τοὺς δὲ υἱούς σου οὐδὲ ἰοβόλων δρακόντων ἐνίκησαν ὀδόντες. *Filios tuos neq; venenatorum draconum dentes vicerunt.* نيوب التنانين النغانه بالسم

Dentes draconum ſpuentis venenum: Arabi paraphraſtæ in opere Anglico: Syro ibidem paullò aliter: بنيك دين صموريتا دتننا وز يسنهون ربين هوو، *Filii tui draconum dentes & capita eorum ſuperârunt.* Quis verò in dracunculis dentes aut morſum, & ex morſu mortem unquam obſervavit? Venam certè Medinenſem ritè curatam Ebnſina noſter nequaquam letalem eſſe teſtatur. Nec alia SS. Patrum ſententia, de veris ſerpentibus, non morbo aliquo. B. Auguſtinus IV. locutionum in Numer. XXI. ranis Ægyptiis comparabat, quæ ſanè vera animalia erant, ad nullum corporis adfectum referenda: *Ora ad Dominum, ut auferat à nobis ſerpentem, ſicut in Exodo dictum eſt, ranam, ſingulare pro plurali. Et factum eſt, quando momordit ſerpens hominem, & adſpexit in æneum ſerpentem & vivebat.* lib. etiam I. de mirab. S. Script. c. XXXIII. *ignitos ſerpentes, flatuq; adurentes à Domino immiſſos ajebat, quorum flatu aduſtos plurimos murmuratorum necavit,* paucisque interjectis, de ſerpente æneo: *per illius adſpectum priorum ſerpentum vulnera curabantur.* A ſerpentibus vulneratos, reddiderat etiam B. Hieronymus epiſt. ad Fabiolam, quamvis jam vitâ deceſſerat, memoriæ tamen ejus reddens, quod promiſerat, ad illuſtrationem Pſalmi LXXVII. de XLII. manſionibus ſive caſtris filiorum Iſraëlis, quæ Græcis *ἀπάρσεις* dicuntur, manſ. XXXV. & XXXVI. quod Nicol. Malermus in verſione ſua Italica CIↃIↃLIIX. rariori paucisque cognita, ad Hebraicam *αὐθεντίαν* cæteroquin ſatis benè conformata, heic tamen non ſatis Italicè *acceſi ſerpenti* reddiderat: &: *per le ferite morſeno.* Anonymus Germanus cujus verſio CIↃ CCCCXLIX. Auguſtæ edita eſt, B. Hieronymi verſionem, ſeu potius vulgatam, ad verbum tam propè ſequutus, ut nec alterutrius rationē habuerit, putidius quidem reddidit: (**Um dieſe Sach der HErr ſandte feurin Schlangen unter das Volck zu einer Plag/ uñ um die tode maniger**) ex quibus tamen & ipſum de veris animalibus accepiſſe, manifeſtum eſt. Theodoretus quæſt. XXXIX. in Num. l. c.

Serpens æneus erat imago serpentum, non tamen illorum venenum gerebat, à serpentibus morsi serpentem intuentes sanabantur. Procopius Gazensis philosophus Christianus antiquissimus apud quem multa ex primævæ Ecclesiæ Antistitum operibus, nunc deperditis, reperias Comm. in Numer. h. l. ad Theodotionis, Aquilæ, cæterorumque mentem & ipse de veris serpentibus accipiebat. Cùn enim serpentes concupiscentiis comparâsset, ajebat Israelitas, cœlesti cibo contempto terrestrem desiderantes Deoque oggannientes meritò serpentibus punitos, quemadmodum & Adamus à serpente seductus & concupiscentiæ indulgens pariter cum serpente maledictionem pertulerit. Verba, quia nunquam edita sunt, sed edi aliquando non indigna, ex Mss. Græco Bibl. nostræ Aug. perantiquo atque pereleganti quod olim Papæ Nicandri Archidiaconi fuit, eo ipso, quo Interpres Claudius Thrasybulus usus est, adscribamus: θάνατος, ὁ ἐπὶ τῶν δηγμάτων θεραπεύεται, αὐτὰ δὲ τὰ θηρία οὐκ ἀφανίζεται. λέγω δὲ τὰς ἐπιθυμίας: *Mors, quæ ex morsibus redibat, curatur tantùm, ipsæq; bestiæ, non delentur: per bestias verò concupiscentias dico:* paucisque interjectis allegoriam suam sic prosequebatur: καὶ γὰρ ἐν τοῖς πιστοῖς ἐνεργεῖται πολλάκις τῆς ἐπιθυμίας τὰ δήγματα, ἀλλ' ἐπὰν τὸν σταυρωθέντα λογίσωνται, τὸν ἰὸν διαμύουσιν: *In fidelibus enim morsus concupiscentiæ sese movent sæpius, sed quando crucifixi recordantur, venenum diluunt.* Hieronymus Xaverius histor. Christi Persic. part. II. p. 152. parumper audaculè: *Serpentes ex oribus ignem projicientes:* appellabat, خدا بر ايشان غضب كرد ومارهاي بيشمار كه از دهنهاي آتش مي انداختند بر ايشان كماشت وبسيار مردم را مي كزيدند *Deus serpentes innumeros, qui ex oribus ignem projiciebant, super ipsos constituit, & multos mordebant, ac pleriq; cum doloribus corporis*

po i moriebantur. Tavusius in versione sua Persica: مرات
مارهاي 6 *Serpentes viperas:* Interpres illius Anglus reddidit.
Æneus certè à Moyse erectus maleficorum serpentum imaginem referebat, non aliud quodcunque vermium genus, morbo alicui aptandum. De quo & Stephanus Pighius in Hercule Prodicio, Mediolani in templo S. Ambrosii in nemore, cùm Carolus Dux, quid sibi vellet æneus serpens, marmoreæ columnæ impositus? interrogasset, responsum tulit: Theodosii Imperatoris munus unà cum clavo de cruce Salvatoris adlatum esse: & hunc quidem in S. Teclæ fano servari, serpentis autem imaginem eandem existimari, quam Moyses in deserto ad populi salutem fabricârit. Id sanè simplicioris alicujus devotioni persuaderi poterat, non illis, qui sacrarum literarum attentiori lectione impensius delectantur. Quid enim apertius IV. Reg. XIX. 4. ubi Rex Ezechias stupendo planè ausu tam venerandum antiquitatis monumentũ, ut idololatriæ materiem subtraheret, non diruisse tantum contentus, sed verbis etiam extenuans æreolum, נחשתן; ostendit, quam nihil ista absque DEI mandato, & fide in DEI filium valere possint aut debeant. כתת נחש הנחשת אשר עשה משה: *Confregit serpentem æneum, quem Moyses fecerat.* Ipsum scil. illum & genuinum, ne quis ad ejus ideam alium effictum sibi persuadeat, quem Rex non perfunctoriè diffregit, ut reduniri potuisset, sed omninò contudit ac contrivit. Id enim כתת: significat. Unde II. paralipom. II. 9. חטים מכות: *tritica percussa, contusa, & molita, i. e. farinam tritici,* ex R. Jona exponit Franc. Raphelengius in lexico Hebr. Pagnini emendatiori: & quidem subtilior, nam crassior טכן; dicitur in Mœdkaton c. II. Tantum abest, ut Bugato III. histor. Mediol. fides haberi queat, qui genuinum Moysis opus, non tamen à Theodosio, sed Arnolpho Arzago Archiepiscopo CP. Mediolanum deportatum putabat anno Christianæ epochæ ıɔccccxcvı. aut Francisco

ſco Birago, qui adnot. in Torquati Taſſi Hieroſol. recuperata lib. XX. Ode LXI. antiquitatis monumentū omnibus præferendum, ante Chriſtum annis CIↃ CCCCLXXIII. confectum appellabat. Haut majoris utique fidei, quam fabula illa pinguiſſima Muhammedanorum, qui Moyſen non tam adſpectu ænei ſerpentis vulnera preſterum curaſſe, quam ſerpentes ipſos Ibidum paſturâ ſuſtuliſſe ajunt, ut quas in loculis ex papyro Nilotica confectis plurimas ſecum in deſertum deportârit. Cujus iccircò vanitatem columna quoque marmorea refellit: diſertè enim Num. XXI. 8. habetur: וְשִׂים אֹתוֹ עַל נֵס׃ h. e. non: *Erige eum in ſignum aut pro ſigno:* ut vulgata verſio, & Syrum Interpretem plerique alii ſequuti reddiderunt: neque: *in vexillo:* aut: *in pertica*, ut alii exiſtimârunt, ſed verius: *in malo tentoriali:* quam נֵס׃ præcipuè ſignificat, ipſique hiſtoriæ commodiſſima cenſenda eſt, quia non loco humili, ſed editiſſimo, ut omnibus ſpectari poſſet, erigere conveniebat, id verò (nullis columnis marmoreis tùm præſentibus) cùm ocyus fieri non poſſet, quam in altiſſima tentorii malo, hoc ſenſu tantum admitti poterit, quod quidam de vexillis attulerunt, in illa ſcil. ſublimius erectis, non qualia manibus præferri ſolent, quod pluribus pereruditè Arnoldus Bootius Medicus & Philologus eximius II. animadverſ. in V. T. loca c. IV. demonſtravit. Samaritanus Codex habet: על כּבי Hebræo Samaritanus: על הנס Arabs Savarianus: علـــب علم ، à quo Tavuſus voculam mutuatus pro Perſica repoſuit ابر علم ، Erpenianus: علي علامة Syrus: ܥܠ ܢܣܐ LXX. ἐπὶ σημείου: quæ omnia ſignum quodcunque non tantum militare, aut vexillum, ſignificant. Uzielidès, & Hieroſolymitanus paraphraſtes; על אתר תלי *in loco edito*. Numer. ſanè II. 2. ubi de caſtrametatione ſermo eſt per turmas ſigna & vexilla, numquam vox iſta נֵס׃ legitur, ſed in Hebræo textu אִישׁ עַל־דִּגְלוֹ בְאֹתֹת לְבֵית אֲבֹתָם׃ *Unusquisq́; ſuper vexillum ſuum in ſignis domui pa-*

trum

trum suorum. LXX. Græci: *κατὰ τάγμα, κατὰ σημαίας, κατ' οἴκους πατριῶν αὐτῶν.* Mſ. Alexandrinum per antiquum non adeò benè *σημέας*: & Regia Antverpienſia: multò minus: *σημασίας*: Vetuſta enim & proba vox: *σημαῖα*:

Onkelos : על־ טקסיה באתון ; *juxta vexillum ſuum per ſigna.* Uzielides באתון דמסתמנין על־ טיקסיהון *ſecundum ſigna, quæ notata fuerunt in vexillis.* HebræoSamaritanus Hebræo ſimilis: על־ דליג באותות ; Samaritanus ad Chaldæum propius accedens: על־ טכסיו בסימנים ; Arabs Savarianus in opere Pariſienſi & Londinenſi : في مركزه بعلامات لبيوت اباهم ، Erpenianus: على بنده بايات لبيت ابايهم ،

Solus Tavuſus eandem voculam heic retinuit, quam illic ab Arabibus ſumpſerat, ſed planè latiſſimi ſignificatûs.

مرد ابر علمي او نشانها بخانهي پدرانشي ،

Cæterum verius illud, quod de inſignibus Mediolanenſium idem Biragus lib. I. ode. LXXVI. ex caſſide Volucis Saraceni ab Ottone Vice Comite devicti ex Pauli Jovii hiſtoriis referebat, quia Guil. Tyrius & Paulus Æmilius ſubticuiſſent, ſerpente nimirum ore infantem comprehendente, in cujus medio circumgyratione facta O. litera in Ottonis memoriam efficta: quo etiam Andr. Alciatus reſpexiſſe videtur emblem. I. ad Maximil. I. Imperatorem quamvis Franc. Petrarcha, Azonem Vicecomitem in Apennino recubantem, dum capiti galeam reponeret, cui vipera irrepſerat, non tamen læſum commemorabat, nocentiſſima fera per faciem innoxiè dilapsà. At verò Andr. Scotus Itiner. Ital. part. I. nullo licet teſte adducto, Humberto Angerio, qui poſtea Vicecomes dictus, id adſcribebat, quod draconem ad S. Dionyſii fanum plurimam ſtragem ſubinde facientem occiderit. Sed & jam olim non tantum Hebræos Idololatras ſerpente Moſaico abuſos, verùm Ægyptios quoque aſpidem averruncum & baſiliſcum illius æmulum *ὀφαῖον* rectius, quam *ὀραῖον* Horapollini, *πυεφιον*

ἤ πτοφιον Ebn Cabaro dictum, doctissime advertit Kircherus in tom. I. Oedip. Ægypt. Syntagm. I. Chorograph. Ægypt. nomo V. Quid quod & R. Moyses Majemonides tr. de Idololatria c. I. §. 7. non tantum Abrahamum adversus Chaldæos Idololatras disputâsse, sed deficiente ejusdem Doctrina paullatim apud posteros, etiam gentiles, haud pauca ante Moysen de vero DEO accepisse, & sequius intellecta ad creaturas nefariè detorsisse, in notis suis Dionysius Vossius adverterit, ut valdè verosimile appareat, Palæstinos quoque extrema Jacobi verba de filiis crassius interpretatos, suorumque Vaticiniis monitos venturos aliquando, qui illos sedibus suis ejecturi sint. Nota sanè inscriptio Phœnicia apud Seldenum Synt. I. de Diis Syris c. II. Josuam Ducem latrocinii exprobratione diffamans, ipse tamen Jacobus Genes. XLIX. 5. gladios Simeonis & Levi latrocinantes appellabat, quod licet Sichemitas respiciat, aliter tamen fortassis, accipiebatur ab illis, qui nonnisi conciliis se vindicare poterant: Judam quoque I. c. 9. leonem, Benjaminum 27. lupum, & Dan. 16. serpentem vocabat. Quæ omnia ab hostibus iniquius exposita satis probabile videtur, ut istum metum deinceps elusuris variæ idolorum formæ, tanquam ἀποτροπαῖαι, istis similes, excogitari potuerint, atque inprimis serpentis aut draconis & aspidis sive colubri, cui haut dispar ipsa itinerum Israeliticorum circumductio per deserta in mappis illis spectari & considerari meretur quas, Nic. Jo. Vischerus Amstelodami æri elegantius incisas, cum explicatione Belgica, emisit.

יְהִי דאן נחש עלי דרך שפיפן עלי ארח׃

Erit Deus serpens super viam, cerastes super semitam: Montani versione: *Coluber in via, cerastes in semita*; in vulgata: Chaldæo paraphrastæ: כחוי חורמן ישרי על ארחא *quasi coluber aspis insidiabitur super semitam.* Juda utique cum suis in castris primus, Dan ultimus erat, & præcipuum exercitus robur constituebant, non secus ac capite, & caudâ, serpentibus quoque, & draconibus, maxima Violentia, morsu ac verbere, inesse solet:

ſolet: quamvis non ignoremus omnium iſtorum ſenſus myſteria potius ſacra occuluiſſe, profanis tamen quoque eventibus non omninò excluſis. Serpenticulas quoque impios Titanibus ac Gigantibus in vetuſtiſſima fabula comparabat Origenes VI. adverſ. Celſum. p. 298. ſubjungens: ἔτοι οἱ ἀνόσιοι ἀπὸ τ̃ πολεμιωτάτε ἀνθρώποις ὄφεως καὶ φρικτοτάτε, ὡς οὐκ ἄνθρωποι, ὧν ἐχθρὸς ἐστιν ὄφις ἀλλ' ὡς ὄφεις, σεμνύνονται ἐπὶ τῷ ὀφιανοὶ καλεῖσθαι, καὶ εὐφράτην ἵνα εἰσηγητὴν τῶν ἀνοσίων αὐχοῦντες λόγων. Geleniana verſione: *Iſti impii, quaſi non homines, quorum ſerpens inimicus eſt, ſed ipſi ſerpentes eſſent, gaudent Ophiani denominari ab infenſiſſimo & horrendiſſimo hominibus ſerpente, Euphratæ quendam hujus impietatis habentes auctorem.* Hos autem, cum Cainitis inter hæreſes gentilibus pejores numerabat μηδὲ τ̃ ὀνόματος τ̃ Ἰησοῦ κοινωνήσας ἡμῖν: *Quibus ne nomen quidem JESU nobiſcum commune fuerit.* Deum nempe, aut quod idem eſt, ſapientiam, ſerpentem factum mentientes, atque creatori Adami contrarium agnitionem hominibus immiſiſſe, unde & ſerpens omnibus aliis animalibus ſapientior dictus ſit, cujus ideam in homine ipſa inteſtinorum figura & convolutio oſtendat, ut Ireneus I. adverſ. hæreſ. XXXIV. teſtis luculentiſſimus prodit. Cui iccircò ſimillimi videntur Sinenſes draconum æſtimatores maximi, & jactatores antiquitatis ad riſum usque vaniſſimi, ultra mundi primævam originem tot millia annorum protendere auſi, quot nemo unquam Præadamiticis ut vocant figmentis nec quacunque alia computatione excuſare aut valuit aut valebit. Cui nequidquam ſubſidii adferre poteſt Euſebius Nierenbergius XII. hiſtor. Natur. c. XXXIII. qui Agatharchiden, deſcriptionem dracontiorum ex hoc ipſo Moyſis loco de ſerpentibus ignitis acceptam, non ſatis intellexiſſe putabat. Quin hoc ipſum nec ſerpentes ignitos dracunculum morbum, nec dracontia ſingularem pœnam iræ divinæ portendere demonſtrat, quod putabat Gaſpar de los Reyes campi ſui Elyſii quæſt. XXXVI. verbis illis apud Photium in Bibl. permotus: καὶ τοῦτο τὸ πάθος ὅτι πρότερον εἶδεν οὐδείς: *Hunc ad finem neq. prius quisquam vidit*; leviſſimo argumento, cùm addatur; ὅτι ὕστερον

ἄλλοις

ἄλλοις, ἀλλὰ ἐκεῖνοις μόνον γινόμενον: *neq; posterius aliis, quam hisce solis* (ad mare rubrum sc.) *accidit*. Hæc sanè nullam idoneam concludendi materiam præbent, sed confusa omnia, & nisi de epidemio malo explicentur, falsa quoque comperiuntur, ut nos inferius docebimus. Hæc tamen omnia, & quod de serpentibus in hominum corporibus CIↃ IↃXLIX. in Pannonia genitis è Jobo Fincelio aliisque nonnulli adferunt, quorum etiam meminit Cornelius Gemma I. Cosmocrit. IIX. ut maximè vera sint, nihil tamen faciunt ad dracunculos, ut quos serpentes veros nemo hactenus credidit; utut inter istorum concitationem in populum Israeliticum ab Angelis (ut loquitur) & generationem in corporibus ad Liceti mentem doctissimus quoque Vossius ambiguum se ostendat IV. Theol. gentil. LVI.

CAPUT III.



QUî igitur Vena Medinensis ab adfinibus quibusdam morbis differat, ediximus. Nunc vestigia auctoris nostri pressius legentes signa illius διαγνωστικὰ ordine explicabimus. Sic itaque Ebnsina: *Vena Medinensis est, cum in quibusdam corporis membris pustula exoritur, quæ intumescens deinde vesicam contrahit*. A pustula scil. in parte aliqua corporis exorta adfectus hic initium trahit. Arabica Vox بثره significantius unicam pustulam notat: Grammatici iccircò nomen Unitatis appellant, & collectivo بثر opponunt. Vulgatus interpres forsan eò respiciens pro unica pustulam quandam lectoribus obtrusit. Nos simpliciter pustulam vertimus, sat planum existimantes, non alium, quam singulorum numerum sic intelligi. Hæc autem postea in tumorem attollitur: in cujus locum Gerardus & Alpagus inflantem reposuêre, barbarorum nempe

nempe consuetudinem sequuti, quibus solemne est tumorem quemvis inflationem appellare. Id parum advertentes nonnulli alii, quam primum inflationes audiunt, nescio quæ *ἐμφυσήματα* sibi imaginantur, & quod consequi necesse est, curatione sæpius aberrant. Phlyctænas quidem sive pustulas flatulentas commemorat etiam Fel. Platerus part. III. Pr. c. III. p. 283. vix alii cuivis dictas, sed illas ipsas humidas simul & aquam exsudantes p. 349. describit. Qualis verò hic tumor sit, ex iis commodius percipietur, quæ paullo post de materia, ut vocant, & curatione Venæ Medinensis differemus. Ne tamen quidquam omittamus, tumorem credimus inflammatorium, non autem legitimum, sed quem ichores serosi, melancholici, pauco sanguini permixti excitârint. Parum certè absunt ab hac opinione nostra plures Medici præclarissimi dum Venam Medinensem ad atram bilem referunt. Jo. Manardus VII. epist. II. Jo. Tagaultius I. Instit. Chirurg. II. Gabriel. Fallopius de tum. p. n. c. XXIV. & ex sententia plerorumque Chirurg. Ulysses Aldrovandus II. de serp. & drac. I. Imò & Ebnsina noster in sequentibus sanguinem calidum vitiosum & melancholicum non omninò exclusit. Tandem & vesicam contrahit. Sic enim reddere placuit, quod Interpres vesicare vocat. Quamvis enim plurimæ radicis نفط significationes exsistant, nulla tamen præsenti negotio aptior videri debuit, cùm & نفط اليد de manu vesicam labore contrahente satis frequens sit apud Arabas loquutio. *Φλύκταινα: φῦσκα ἐν τῇ χειρὶ ἐκ τοῦ κωπηλατεῖν.* Scholiasta Aristophan. in Vesp. In barbarorum quoque scriptis Medicis singularis adfectus commemoratur, quem illi vesicam & vesicationem appellant, quorum verba adducere operæ pretium fuerit, ut quantumvis horrida, interpretationi nostræ nonnihil lucis adfundant. Theodoricus Cerviensis (sive ut illum Petrus Argelatensis III. Chir. tr. I. c. XII. appellat, Henricus Theodericus Episcopus Cremonensis.) III. Chir. XV. *Vesica*, ait, *est*

quædam ægritudo faciens Vesicam, sicut fit ab ignis incendio, in qua est aqua subtilis, cujus superficies aliquando est nigra, & aqua contenta in ipsa est crocea. Leonardus Bertapalea in IV. Ebnsin. V. paullò aliter: *Vesicatio generatur ab aquositate magis spissa, elevata ab ebullitione sanguinis & aliorum humorum, & magis profundatur, quam inflatio, quia vesicatio fit magis ex humoribus crassis, inflatio autem ex subtilibus.* Cui planè contrarius est Jo. Vigo II. de apostem. XII. *Plerumque*, inquiens, *in corpore humano ex humorum cholericorum ebullitione & præsertim subtilium evenire solent, vesicæ aquositate plenæ quemadmodum accidit sæpe numero ex aliqua aquæ ferventis coctura.* Et mox: *Inflatio autem sequitur ex humoribus magis crassis, & ideò in loco aquositatis reperitur quædam virulentia aliquando ad instar loturæ carnis sanguinolentæ. Et propterea ista inflatio videtur magis profundari quam vesica.* Unde verosimile nobis videtur vesicas istas barbarorum easdem esse cum terminthis Græcorum, quas Galenus in VI. Hippocr. Epid. Comm. III. sect. XXXVII. *μέλανα τινὰ ἐκφύματα ἐν ταῖς κνήμαις μάλιστα γιγνόμενα* appellat: & Oribasius, recensente Paulo Ægineta IV. 24. *φύματος εἶδος φησὶ τὴν τέρμινθον, ἐπίκειται δὲ αὐτῇ ἄνω κάτω φλύκταιναν μέλαιναν.* Qua de re aliorum judicium esto. Nos, ut de colore nigro in Venæ Medinensis tumore nihil adfirmare aut negare audemus, ita de vesica, quam contrahit, persuasi sumus, eam à sanie tenuiori, sive quod idem est, ichore melancholico subtiliori excitari: adeoque per vesicas tumoribus supervenientes Ebnsinam, cùm hoc. tùm aliis in locis, non aliud intellexisse, quam *φλύκταινας* aut *φλυκταινίδας* à Græcis nominatas, quæ pustulæ sunt in summa corporis planicie enatæ, è tenui sanie cuti subtenta, eamque acrimoniâ sua erodente, ut ex Hippocrate notavit Foësius erudito Lexico suo, quod ipsi Oeconomiam Hippocr. appellare placuit. Unius, aut etiam trium pisorum magnitudine aquoso humore turgidas describit Michaël Hemmersamius Noricus, inter recentissimos Guineæ peregrinatores minimè postremus c. XIII. Nam & has *ἐν τοῖς φύμασι ἢ ἐκφύμασι*, oriri è terminthorum descriptione

patet,

patet, quam ex Paulo produximus. Ac aliunde notiſſimum eſt, humorem melancholicum pituitoſo ſatis frequenter, ſeroſo autem frequentiſſimè ſociari. Initium iccircò Venæ Medinenſis, ut repetamus, à puſtula ducitur, quæ in tumorem aucta veſicam ſeu phlyctænam contrahit. Atque hæc ſigna cum carbunculis communia habet: nam *ἄνθρακας ἕλκη εἶναι τὰ πολλὰ μὲν ἀπὸ φλυκταίνης ἀρχόμενα, τοῖς πυρικαύστοις ἐμφερῶς* Paulus IV. 25. & Actuarius III. *περὶ διαγνώσεως παθῶν.* XXXIV. teſtantur. Eleganter ſanè: *τὰ πολλὰ μὲν*: Rarius enim eſt, quod Galenus XIV. meth. med. X. anthraces Aſiæ epidemios citra puſtulas memorarit, & quod Hieronymus Rizettus I. de morb. peſt. & ven. XV. in peſte Brixiam vaſtante CIↃ IↃCXXX. carbunculos abſque veſicula aut ulla eminentia, latas tantum maculas referentes obſervàrit. Plerumque enim tenues ichores atram bilem comitantur, ut vel hinc ſatis planum ſit apud Hieron. Montuum part. II. Pr. lib. VII. c. III. cur rarius citra puſtulas naſcantur. Quod verò ſuperioribus ſæculis carbunculi ab anthracibus, à Gentili, Dino, Florentino, Petro Argelatenſi, Jo. Vigone, aliisq; diſtinguerentur, non aliam cauſam fingere licuerit, ac literaturæ Græcæ craſſiſſimam ignorantiam, quam ideo non injuriâ taxabat Auguſtinus Schurfius ſchol. in Hippocr. prognoſt. Mſſ. Arabibus quoque omnia *φύγεθλα* peſtilentialia الطواعين vocantur, quibus omninò accenſendi etiam carbunculi Italiæ epidemii in occultiſſimis corporum partibus, & plerumque ſub lingua duritie rubentes, varicis modo, ſed capite nigricantes aliàs lividi, ſine dolore, ſine pruritu, ſine ſomni indicio, aut intra triduum auferentes, aliquando horrorem, circaque puſtulas parvas excitantes, ut Plinius deſcripſerat XXVI. 1. peculiaris ſcil. generis, ne cancrum potius cum Dalechampio ſuſpicemur. Ipſe Hippocrates cùm II. Epidem. ſect. I. *ἄνθρακας ἐν Κρανῶνι θερινὰς* deſcriberet, mox ſubjungit: *φλυκταινίδες ὥσπερ πυριήκαυστοι.* Sic enim rectius Foëſius quam *πυρικαυστοι*, ut Aldina habebat, propter Ionicam dialectum, quam *παλαιὰν ἀτθίδα* vocat Marcellinus in vita Thucydidis. Strabo initio IIX.

 Geogra-

Geographiæ, & Galenus ipse Comm. in l. de fracturis: apud quem idem legas l. de tum. p. n. c. VI. φλύκταιναι προηγοῦνται δ' ἑλκῶς ὥσπερ ἐν τοῖς πυρικαύστοις. Quin illud ἀνδρῶδες ἰονθοὶ ἰχῶρες, quod Galenus in Com. I. aphor. XII. omnibus inflammationibus proprium adsignat, de pustulis quoque intelligi queat, quæ ἱδρῶα eidem sive sudamina aliis in locis, & V. loc. adfect. VII. ἰχῶρες ἀπαρέοντες vocantur. Huc autem illi omnes videntur respexisse, qui Venam Medinensem inter tumores atræ bilis recensuerunt. Adeò ut ad signa Medicis propria dicta rectè referantur, sed illa tamen, quæ omni quidem, non verò soli conveniunt. Nunc igitur ad ea progrediamur, quæ propria & inseparabilia simul vocantur, & omni ac soli competunt, quæque adfectum necessariò adesse significant, à Græcis iccircò παθογνωμονικὰ dicta. De quibus Ebnsina: *Mox eâ perforatâ prodit rubrum quidpiam ad nigredinem vergens, neq; cessat continuò protendi.* Interpres antiquior in versione sua vesicæ in tumore natæ apertionem sive perforationem planè omisit, quam tamen verbis Arabicis clarè expressam legimus, ideoque auctori nostro restituimus: Perforatur autem sive pertunditur ab acrimonia saniei sive ichoris melancholici in vesica aut phlyctæna contenti, unde fortassis Ebn Aabbasus venam saniosam vocavit, non famosam, quod supra jam contra Guidonem & Paræum observavimus. Quid verò sit illud, quod prodire cernitur, sequente capite uberius examinabimus. Interea scire satis sit: corpus quoddam esse, crassiusculum, teres, obscurè rubens, vel interdum albicans, longissimum, & tortuosum. Quæ Venæ Medinensis accidentia sigillatim considerare operæ pretium fuerit. Crassiusculum esse inde colligitur, quod Ebnsina inter plures alias sententias de natura ejusdem, hanc quoque enumerârit: *fuisse, qui partem putarent filamenti nervi corrupti & crassefacti.* De figura tereti nemo ambigere potest, in quam omnes omninò opiniones conspirant. Sive enim lumbricus, sive nervus, sive vena dicatur, figuram dictam obtinere concluditur. De colore major est difficultas: Hunc enim Ebnsina noster rubrum ad nigredinem vergentem constituit; cui, quia non solùm in cruribus,

sed

ſed etiam manibus & brachiis, & latere, vidiſſe ſe teſtetur, omninò credendum judicamus. Inter recentiores autem conſentit Thom. à Vega qui Comm. in VI. Gal. de loc. adfect. III. vermem ſatis longum & ſubrubrum appellat. At verò Alzaravii Interpres tr. XXIIX. Pr. XII. venam albam exire ait, & Amatus Luſ. Cent. VII. cur. LXIV. poſtquam hiſtoriam enarrâſſet, in Scholio ſubjecto addebat: *Ego oculatus teſtis, multis auritis veniam, teſtor morbum hunc, tanquam lumbricum, conſpici album.* Cùm igitur uterque color αὐτοψίᾳ ſeſe tueatur, cui potiſſimum accedemus? Amatus forſan venam jam arefactam nobis deſcripſit, nam ipſe disertè adfirmat, partem emiſſam, demùm cum areſcit, nervum exſiccatum à quovis dictum iri: Et Ebn Jezla l. c. inter ſigna primaria ſiccitatem etiam venæ repoſuit: Nec usque adeò abſonum videri debet, ſi quis exiſtimet, lumbricum illum externa ſuperficie leviter rubro colore tinctum, dum exſiccatur aut areſcit, eodem ſenſim evaneſcente quaſi dealbari, ut nervum ementiatur. Aut probabilius dicamus, hæc ſibi nequidquam adverſari, ſi Ebn-ſina à ſanguine melancholico obſcurè rubentem, Amatus autem & Alzaravius à pituita album lumbricum conſpectum adnotârit. Haut rarò enim colorem materiæ, ex qua generantur, aut qua aluntur, vermes referre ſolent. Et nos eodem adfectu, febri ſcil. maligna ab aliis albos, à quibusdam verò ruberrimos alvo dejectos vidimus. Dominicus Panarolus Med. Romanus præterea & nigricantes reperit, Pentecoſt. l. obſ. XLI. Et Joh. Bapt. Silvaticus hiſtor. Med. LXIII ubi de pituitæ concrementis oblongioribus, & lumbricis cum Urina excretis plura diſſeruiſſet, de pilis quoque in Galeni gratiam hoc addebat, quamvis capillis albis plerumque ſimillimi compareant, nequaquam tamen damnandos, qui flavos etiam vel ad nigredinem vergentes ſe obſervâſſe dixerint. Cui addendum, ut ſtrumas ac ſcrophulas non tam ex ſanguine in Venis aut arteriis contento, quam ſucco ſive rore nutricio generari veroſimilius videtur, quarum propterea rudimenta veluti ova membranoſo involucro concluſa, & humorem albumini ſimilem continente, ſæpius quidem maſſam quandam car-

neam referre, interdum tamen vermiculos quoque aut monstri genus alere Gualtherus Charleton Exerc. X. Oecon. anim. §. VII. compertum testabatur, cui quæ Anton. Deusingius tr. de nutricii succi commento novo § 29. opposuit, si rectè inspiciantur, exigui momenti sunt, & inveteratæ opinionis de sanguine & humoribus vitiosis, pertinaciæ innixa principium petunt, quod tamen nemo hactenus impugnavit, nisi qui pravos humores ex chylo, sanguine, & lympha, corruptis progigni ignorârit. Hac sanè causa nuperrimè vermes τριχώδεις, non tantum in puellis, sed etiam dracunculos malleolorum produci in adultis perdoctè adserebat Phil. Jac. Sachsius Ocean. Macromicrocosm. §.149. nec aliter exhalationes subcutaneæ admittendæ, quas ex Theophili Kentmanni dissertatione de exhal. fumos. ibidem adducit: cui addamus, quod Gaspar Peucerus Pr. Med c. IV. jam olim subodoratus erat, antequam recentibus nostræ ætatis inventis de succo nutricio quidquam constitisset. Credebat enim in cerebro præcipuè ejusque poris contentum, βλένναν Hippocratis esse, ἡμιπέπτου τροφῆς περίττωμα, superfluitatem proximi nutrimenti semicocti, quæ tamen in II. prædict. p. 109. ed. Foës. βλέννα Gal. in exeges. μύξα exponitur seu pituita crassior. Humorem quoque quem spermaticum, ὑγρότητα ἔμβρυον, materiam pilorum constituebat Lud. Duretus in l. Hollerii de morb intern. c. VI. à latice moderno aut nihil aut quam minimum differre valde probabile putamus. Succum medullarem nervorum per arterias quoq; transeuntem, & Chemicorum opinione, sulfur dulce Barthol. Carrichterus II. Pr. XVII. appellaverat, quod sanè mirari queas, cùm eruditionis, quam experientiæ, multò minus eidem plerique permittere soleant. Quæ igitur Nobilissimus Robertus Boylæus part. III. experim. de colore, inprimis XX. XXV. & XXXVII. de mutatione ejusdem per salia præcipuè acida, spiritus urinosos, & tincturas sulfureas, in sanguine meditatus est, heic quoque locum habere possunt, prout enim tale vel tale cruori aut latici nutricio immixtum fuerit, colores nunc isti, nunc illi etiam oriri consueverunt, atque in lumbricis quoque, dracunculis, pilis, aliisque

p. n.

p. n. genitis apparere. Sed & fortasse victûs, temperamentorum, & regionum varietas colorem immutare potest: Amatus enim de Æthiope in Græcia ægrotante loquitur, Ebnsina autem Arabum sive Medinensium, Persarum, & Ægyptiorum mentionem facit. Ut plurimum iccircò ex rubro nigricare ad mentem Ebnsinæ statuamus, quò etiam Amato & Alzaravio suus color constet, nec ipsi cogantur erubescere tanquam dissimulata veritate albos vermes pro rubris subdidissent, aut parum hac in re fuissent oculati. De longitudine quidem nihil determinavit Ebnsina noster, ingentem tamen apertè innuit, cùm ait: *Neq; cessat continuò protendi*. Hunc omnes alii sequuntur. Amatus autem Venam Medinensem trium cubitorum longitudine ex Æthiopis crure extractam vidit. Et Abulcasimus c. XCIII. quinque, decem, & interdum XX. palmos excedere expertus est. Undè Aëtius explicari debet, qui ex Leonide dracunculos magnos & parvos commemorat. Quod planè idem de lumbrico quoque lato accipiendum: sæpè enim tricenûm pedum, aliquando & plurium longitudinem superat Plinii testimonio XI. 13. cùm tamen tanta non sit omnium intestinorum, quod ideò frustra objiciebat Glossographus Dodonæi II. Pr. p. 508. Ex hac ipsa autem enormi longitudine enascitur tortuositas, cujus extremo loco meminimus. Cùm enim tibiæ v. g. aut brachii longitudinem longè exsuperet, in iis tamen tota hæreat, necesse est eam in gyros, sive sinus aut spiras circumflexam & convolutam esse. Atque hinc nomen quoque τ͂ δρακόντια apud Græcos, & Dracunculi apud Latinos natum conjicimus: quam sanè similitudinem ubique in serpentibus sive draconibus Poëtæ eleganter exprimunt: promiscuè enim has voces usurpari adeò verum est, ut Tranquillus utramque conjunxerit, c. LXXII. de Tiberio: *Erat ei in oblectamentis serpens draco.* Quo solò discrimina anguium in aquis, serpentium in terris, & draconum in templis à Servio in II. Æneid. Virgilii memorata nullius momenti esse constat, ut ideò significatus omnium plerumque confundi rectè notârit Ausonius Popma in I. de differ.

verbor.

verbor. Sic apud Ovidium XV. metamorph. Æsculapius in anguem seu draconem conversus, Romam profecturus;

- - - - - - Deus explicat orbes,
Perq; sinus crebros, & magna volumina labens
Templa parentis init flavum tangentia littus.

Quod Valerius Maximus lib. I. c. IIX. perpulcrè; *Ad triremem Romanam perrexit, paventibusq; inusitato spectaculo nautis, eò conscendit, ubi Q. Ogulnii Legati tabernaculum erat, inq; multiplicem orbem per summam quietem est convolutus.* S. Aur. Victor. brevius: *se in Ogulnii tabernaculo conspiravit.* Arnobius etiam in VII. adversus gentes de Æsculapio, tanquam illudens: *Serpentis est forma & circumscriptione finitus, per terram reptans, cœno cutis ut vermiculis mos est, solum mento radit, & pectore, tortuosis voluminibus se trahens, atq; ut pergere prorsus possit, partem sui postremam conatibus prioris adducit.* ῥυμβόνας intelligens, ut Apollonius Rhodius IV. Argonaut. vocabat, εἱλήσεις τῆς σπείρας, τὰς περιδινήσεις interpretabatur ejusd. Scholiastes, qui Sophocles Gramaticus, notante ex Stephano in voce ἄβαρνος, Jo Meursio in Hesychii Milesii Sophoclem. Has autem ut in aliis plerisq; statuis numisque videre licet, de quibus etiam supra actum, ita peculiares quodamodo exhibet Colosseros ille in Mausoleo Augusti Cæsaris sed valdè injuriâ temporum deformato, quo olim sæpius contemplandi & meditandi genera concessimus. Draco etiam à Cadmo interfectus ap. eund. Ovidium III. metam.

Ille volubilibus squammosos nexibus orbes
Torquet, & immenso saltu sinuatur in arcum.

Virgilius autem II. Georgic.

Nec rapit immensos orbes per humum, neq; tanto
Squammeus in spiram tractu se colligit anguis.

Et V. Æneid.

Dixerat hæc, adytis cui lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit.

Paucisque interpositis:

Ne quidquam longos fugiens dat corpore tortus

Parte

Parte ferox, ardensq; oculis & sibila colla
Arduus attollens, pars vulnere claude retentat
Nexantem nodos, seq; in sua membra plicantem.

E Græcis quoque Apollonius Rhodius IV. Argonautic. inter fumum & incessum draconis ad hortos Hesperios excubantis egregiam comparationem instituit:

ὡς δ' ὅτε τυφομένης ὕλης ὕπερ αἰθαλόεσσαι
καπνεῖο στροφάλιγγες ἀπείρετοι εἱλιάσσονται,
ἄλλη δ' αἶψ', ἑτέρῃ ἐπιτέλλεται αἰὲν ἐπιπρὸ.
νειόθεν εἰλίγγοισι ἐπήορος ἐξανιοῦσα,
ὡς τότε κεῖνο πέλωρον ἀπειρεσίας ἐλέλιξε
ῥυμβόνας ἀζαλέῃσιν ἐπηρεφέας φολίδεσσι.

Quos versus ex tempore totidem Latinis permutare conati sumus:

Non aliter super incensa quam quomodo silva
Ignea tolluntur glomerata volumina fumi
Atq; aliud citò post aliud succedere prorsum
Pergit, & ex imis sublimia scandere gyris,
Sic illud quoq; tunc Monstrum provolvere visum est,
Innumeros squammis tectos ardentibus orbes.

Nihil certè, præ ista Poëtæ descriptione, rarioris aut verioris habet experimentum Nicol. Franchimontii Archiatri Pragensis, quo fumum in destillatione Spiritus ⊖-li colubrum in vase recipiente retulisse narrat apud Kircherum XII. Mundi subterr. sect. IV. c. V. Et apud Euripidem in Hercul. fur. Alcides in eosdem hortos Hesperios penetrat:

δράκοντα πυρσώνωτον
ὃς ἄπλατον ἀμφ' ἑλικτὸν ἕλικ' ἐφρούρει
κτανών.

h. e. Guil. Cantero interprete:

Dracone rubrum habente tergum
Qui circa inaccessum & convolutum anfractum excubabat
Interfecto.

Atque hæc ipsa anfractuum similitudo apud Vett. aliis quoque plurimis draconis nomen indidit. Venas è corde illicò nascentes Ruffus Ephesius lib. I. c. XXXIII. Hippocrati δρακοντίδας dictas testatur, non aliam ob causam, quam quatergeminam reflexionem & implicationem aortæ utriusque cum vena arteriosa, & arteria venosa. Hebr. quoque: הדור *rotundum*, *in se reflexum*, *& rediens*, *tortuosum*. Jes. XLV. 2. ut Levitic. XVI. 10. 21. & 22. *desertum Isuk*, locus tortuosus, quale & universum Israëlitarum iter, de quo supra: הדרא כנתא *Intestina minora convoluta*, *Ileon*, *instar serpentis* R. Moysi Majemonidæ, Hilch. Schechita. c. VI. מלופפין ומוקפין זו לפנים מזו בעיגול במו נחש שנכרך: *Convoluta & orbiculariter complicata instar serpentis convoluti*. Seneca III. Nat. quæst. XXIV. & IV. c. IX. thermarum causam reddens: *Empedocles*, ait, *existimat ignibus*, *quos multis locis terra opertos tegit*, *aquam calescere*, *si subjecti sunt solo*, *per quod aquis transcursus est. Facere solemus dracones & miliaria*, *& complures formas*, *in quibus ære tenui fistulas struimus*, *per declive circumdatas*, *ut sæpè eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii*, *quantum efficiendo calori sat est. Frigida igitur intrat*, *effluit calida*. M. Ant. Muretus Vasa ad aquam calefaciendam dracones, à figura, dicta generalius notat, id quod è Senecæ verbis sponte colligas: in rebus omnibus flexus & circuitus ita appellatos Franciscus Juretus ibidem animadvertit. Andr. Baccius VII. de therm. IX. figuram adposuit, non tamen ad vetusti operis indubitatam fidem, sed è Vitruvii lib. V. c. X. illius editionis, cui à se curatæ jam olim Florentiæ inseruit Jo. Jocundus, magni Scaligeri judicio Exerc. CCXXVI. 12. architectorum coryphæus, & Laurentii Pignorii elogio, epist. symb. III. meritò à Budæo in libb. de asse, antiquariorum diligentissimus nominatus. Verùm nobis utraque haut parum rudior videtur, quam ut mæandros & flexus tubulorum satis referat. Veriorem certè balneorum formam vulgavit Jo. Ant. Siccus, ut ad Scribon. Larg. compos. LX. notavit Jo. Rhodius, quamvis nec istud nostræ exspe-

ctationi

ctationi ad fidem antiquitatis undique satisfacere fateamur. Utut Anton. Alegretum & Jo. Mich. Bonarotum, picturæ & statuariæ præcellentia omnibus anteponendum, secum eandem formam designâsse idem Baccius testetur part II. de vin. locum quidem, cùm thermæ Diocletiani, Pii IV. Pont. Max. auspicio in templi faciem refingerentur, curiosè lustratum adserens, sed alia nonnulla ex auctorum lectione, & conjecturis ad sensum accessisse, non ausus diffiteri. Neque antiquis tantum ejusmodi tubuli sive dracones excogitati, nostra quoque ætate in thermis Volkenstenienfibus descripsit Jo. Gœbelius lib. II. de aq. ad Hermunduros sitis, & deinde loci ipsius Dominus Augustus Hauptmannus tr. singulari c. VI. aquam per machinas exantliatam primum in castellum collectam, deinde in canales & tubulos derivatam commemorans, qui circa fornacem ingentem ad instar draconum circumvoluti seu circumducti erant, ut æstu illius calefieri posset: quos primum ingenio Pauli Salzbergeri Mechanici & Metallurgi Chionorini ab Augusto Electore Principe Saxoniæ exstructos, sed tempore malè habitos, resarcire is idem cogitabat. Ab istis autem tubulis sive draconibus omninò diversi sunt illi, quorum in D. IIX. l. XIII. mentio fit, & quibus Zætas sive vaporaria calfaciebant. Baccius l. c. & Langius I. epist. L. eos à Paulo ICto definiri ajunt, per quos paries torretur. Sed neque definitio hæc verè est dicenda; neque Paulus ibi, sed Proculus adducitur (quem sub Claudio & Nerone peculiarem sectam condidisse, adeoque antiquiorem illo sub Antonino Caracalla demùm vivente, apertè constat.) Hunc alius consulturus (ut Gothofredus doctissimus edidit) *Quidam,* inquit, *Hiberus nomine qui habet post horrea mea insulam, balnearia fecit, secundum parietem communem. Non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem.* Quæ quidem huc usque generalius prolata sunt. Tùm addit: *De tubulis eò amplius hoc juris est, quod per eos flammâ torretur paries.* Nimirum non quod hic genuinus tubulorum usus sit (debebant enim Zætas, non parietes, quibus inclusi, aut, Senecæ verbo, impressi erant epist. XC. calefacere) sed accidens


potius inevitabile, de quo tamen eò magis jure experiri liceat, quia & æstus parietem communem vitiare, & aliàs vicino plurimum incommodare possit. Sed hæc ICtis curæ sunto. Hos tamen tubulos non flexuosos, sed rectos Romæ ad S. Cæciliæ in regione Transtiberina inspeximus, & Illustriss. Eq. Cassiani à Puteo munificentia perpulcrè depictos protulit Rhodius eodem, quem modò laudavimus, loco. Antiquitatis certè minus periti videri possunt, qui σωλῆνας interpretantur i. e. *fistulas ex castello aut cœlo aquam capientes*, quemadmodum & qui καπνέχας tantum in notis adferunt. At sinuosi illi nobis in memoriam revocant vasa, quæ Chemici Serpentina vocant, & quæ profectò mirum est ab ipsis draconum nomine nunquam fuisse insignita, ut quos ejusmodi nomenclaturis sæpè nimis quam liberales esse constat. Vix tamen apud quenquam hodiè in usu sunt, & operosâ suâ vanitate jam dudum eviluerunt. Quorum figuras cùm apud plerosque contemplari liceat, elegantius tamen videtur Thermometron illud Florentinorum, qui suæ societati, aut Academiæ, ut vocant, cæmenti cognomen præside Leopoldo, Sereniss. Etruriæ Ducis fratre, imposuerunt, Experiment. Natur. I. fig. IV. Et instrumentum circulatorium helicoides novissimè delineatum apud Kircherum lib. XII. Mund. subterr. sect. IV. c. I. §. III. Porrò inter signa militaria Romanorum Dracones numerantur apud Zosimum III. histor. de Surena: ἐγκρατὴς ἐγένετο στρατιωτικοῦ σημείου, δράκοντος ἐκτύπωμα φέροντος. οἷα φέρειν εἰώθασιν ἐν ταῖς μάχαις Ρωμαῖοι. Interprete Jo. Leonclavio: *Vexillo militari potitus est draconis imaginem referente, qualia in bellis Romani gestare consueverunt.* Unde qui hæc portabant, draconarii dicebantur, quam tamen posterioris ævi vocem inter glossemata Latinobarbara jure recensuit. Ger. Jo. Vossius III. de vitiis serm. X. δρακοντοφόροι in Gloss. Latin. Gr. δρακονάριοι Leonis Imper. constit. III. Dracones verò ipsos Justus Lipsius, Musarum ocellus, IV. milit. Rom. dial. V. non fuisse in velo pictos, aut acu textos, sed solida corpora pluribus demonstravit. Id tamen eo modo accipiendum arbitramur, quo Suidas luculentissimè descripserat, ap-

quem

Draconis, Signi Dacici, et Draconariorum Scythicorum effigies
ex columna Traiani Cæsaris
num 149. et num 294.



Draconarij Romani
ex coniectura
Iusti Lipsij.




I.

II.




III
Signum Draconarij
ex notis Tironis et
Senecæ. P. CLXI.







I.

II.



Seta aquatica
sive
Vitulus marinus.
III.
Scolopendra marina.





Melchior Haffner sc.

quem in voce, Ἰνδοὶ: δράκων ἐςὶ ἐπὶ κάμακος ἀνατεταμένος. ἐ ἀργυρᾶ μὲν ἡ κεφαλὴ πεποίηται, σεσηρότων ὀδόντων. καὶ ἐκ χάσματος ἀπειλὴν ἔχοντος. τὸ δ᾽ ἄλλο σῶμα σηρικοῦ ὕφους ἦν, ἔς τι μῆκος καὶ βάθος, καὶ τὸ ποικίλον τῆς χρόας ἐς ἀληθινὸν δράκοντα. h. e. *Draco extensus in pertica. Ejus caput ex argento factum erat, dentibus restrictis & nudis, minaci rictu: reliquum corpus serico textu longitudine & crassitie & varietate coloris in verum draconem.* Addamus nos etiam motu, ita ut cauda flexili ac aëris impulsu variè crispatâ & vivere, & nescio quid minari videretur. Apparet id ex Arriani Tacticis, quæ cùm Lucas Holstenius Serenissimæ Reginæ Sueciæ Christinæ obtulisset, ejusdem deinde jussu cum Mauricii Strategico Jo. Schæfferus edidit, §. LI. ποιοῦνται ξυῤῥαπτοὶ ἐκ ῥακκῶν βεβαμμένων, τάς τε κεφαλὰς καὶ τὸ σῶμα πᾶν ἔςαι ἐπὶ τὰς οὐρὰς εἰκασμένοι ὄφεσιν, ὡς φοβερώτατα οἷόν τε εἰκασθῆναι. i. e. *Fiunt ex pannis inter se consutis diversicoloribus capite, reliquoque corpore omni ad caudam usque simili serpentibus, in speciem maximè formidabilem, quantum potest, instructo.* Paulloque post: ἐμπνεόμενα ὀγκοῦνται πως μάλιςα τοῖς θηρίοις ἐπεοικέναι, καὶ τι καὶ ἐπισυρίζειν πρὸς τὴν ἄγαν κίνησιν ὑπὸ τῇ πνοῇ βιαίᾳ διερχομένη. i. e. *Inflati turgescunt in tantum, ut ipsas quoque feras specie referant, sed & sibilum edunt, per frequentem agitationem, cumque ventus violentior eos inspirat.* Ex Ammiano Marcellino XVI. dracones dicuntur: *Caudarum volumina relinquentes in ventum.* Et ipsum τὸ πρέπον requirit apud Claudianum, cùm in Honorii sextum Cos, pompa:

Mirantur sine fine nurus, ignaraque virgo
Cui simplex calet ore pudor, per singula cernens
Nutricem consultat anum, quid fixa draconum
Ora velint, ventis fluitent, an vera minentur
Sibila, suspensum rapturi faucibus hostem?

Et ap. eundem in tertio illius Consulatu:

Hi volucres tollunt aquilas,, hi picta draconum
Colla levant, multusque tumet per nubila serpens

Iratus stimulante noto, vivitq; receptis
Flatibus, & vario mentitur sibila tractu.

Quod enim muta hæc signa vocârit Fl. Vegetius III. de re militari V. Vocalium respectu factum est, quæ erant tubarum clangores, tympanorum strepitus, tesseræ item militares certis verborum formulis comprehensæ. Draconum pallia vocabat S. A. Prudentius, & δρακόντειον φλάμουλον Jo. Curopalates de Offic. CP. cujus ideam à Lipsio quoque mutuo acceptam IV. milit. Rom. V. Alphonsi Ciacconii opera ex columna Trajani heic damus, plura cum Deo addituri, si quondam elegantiori cælo recudere, & carmine bellum Dacicum luculentius describere licuerit, quod per otium moliri cœpimus. Nec enim ante id temporis Romanis usitatum, sed tanquam victoriæ perpetuum monumentum ex spoliis hostium adsumptum in consuetudinem castrorum transiisse videtur. Quamvis id multo serius à CPnis. Imperat. factum, Assyriorum æmulatione putârit Ger. Jo. Vossius, Codini testimonio de offic. CP. adducto. Nostras certè conjecturas Arrianus in Tacticis §. LI. satis firmare potest, apertè Σκυθικὰ σημεῖα appellans, signa Scythica, ἐπὶ κοντῶν ἐν μήκει ξυμμέτρῳ δράκοντας ἀπαιωρουμένους, *Dracones convenienti longitudine ex contis pendentes.* In marmore etiam quadrato Rhætico Draconarius conspicitur apud Marcum Velserum de monumentis Augustanis, sed ex parte Vindelicorum, qui cum Romanis ad lacum Acronium confligunt, ab Augusti, ut videtur ævo, quo his dum insueta signa fuisse putamus. Cryptæ præterea draconariæ nomen, quod C. Tacitus XV. Annal. XLII. commemorat, à gyris ejusmodi flexuosisque mæandris ortum, de fossa navigabili ab Averno ad ostia Tiberina: *Manent vestigia irritæ spei:* quia hodieque visuntur, descripta à Jo. Elysio Med. Neapolitano tr. de baln. Campaniæ, Scipione Mazzella de antiq. Puteol. c. XVI. ex Suetonii. XXXI. & Steph. Vin. Pighio Herc. Prodic. p. 364. cui tamen castellum potius aquarum ad usus Classiariorum videbatur. p. 366. inscriptionibus persuaso. Et certiori iccircò conjecturâ quam qui nuper Luculli opus, canales ex monte Miseno excavato, quaqua-

versum

versum in villas deductos putabat, Ferrantes Loffredus Marchio Trevicanus, novissimâ antiquitatum Puteolanarum descriptione. Quo sanè pacto jam olim Solinus Polyhistor. XXVII *Draconis ad Hesperidum hortos excubantis fabulam de maris æstuario*, exponebat, *adeò sinuosis lateribus tortuoso, ut visentibus procul lapsus angueos fractâ vertigine mentiatur. Itaq́ quod hortos appellavere, circumdari. Inde autem pomorum custodem interpretantes struxisse iter ad mendacium fabulandi.* Nec alia, quam similis prospectus, nomenclaturæ causa Monti Draconis dicto apud Baccium lib. V. vinorum proventu celebrato, Falerno & Massico & Gauro ap. Sinuessam ac Lirin fluv. Tutuli item Latinorum ap. Varronem in ornamentis capitis muliebribus, de quibus Juvenalis Satyrâ VI.

- - - - - - - altera lævum
Extendit pectitq́ comas, & volvit in orbem.

paullòque post:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput: Andromachen à fronte videbis,
Post minor est.

ὄφεις, Græcorum proverbio: *ἐξ ὀφεῶν τὴν Ἀνδρομάχην διασκευάζειν*, quod Appulejo II. nequitiæ suæ: *cùm frequenti subole spirosus crinis cumulat verticem*. Sic enim legendum, non: *spissus*: ut Beroâldus putabat, doctè advertit Rob. Titius IV. loc. controvers. VII. quod ille ipse pluribus sic exponebat: *Uberes crines leniter emissos, & cervice dependulos, ac deinde per colla dispositos, sensimq́ sinuato patagio residentes, paullisper ad finem conglobatos in summum verticem nodus adstrinxerat.* A capillamentis autem in mundo muliebri diversi erant serpentes & dracones aurei. *δράκοντες περιχεῖροι, ἢ περὶ καρποῖς καὶ βραχίοσι δράκοντες* Luciano in amoribus. Catellæ, Armillæ, Spintheres S. P. Festo. *ὄφεις περισκελίδες* Nicostrato ap. Clement. II. pædagog. c. ult. in Bibl. vett. Comicorum Græcorum à Jac. Hertelio collectis fragmentis & veronæ editis. *ὄφεις τὰ δρακοντώδη γενόμενα ψέλλια. Μένανδρος παρακαταθήκην ἑαυτοῦ ὄφεις λέγει* apud Hesychium in Lex.

ὄφις

ὄφις τὸ χρυσοῦν περιβραχιόνιον apud eundem. Qualis armilla Lucretiæ Borgiæ Ducis Ferrariensis serpentis effigie, carmine Bembino celebrata:

Dipsas eram, sum facta Tago dum perluor aurum
Tortile, nympharum manibus decus.

Fibulæ quoq; anguium specie, quales è divite penu Francisci Gualdi Equitis, cum pluribus aliis descripsit Jo. Rhodius eruditissima sua de acia dissertatione c. V. Quo etiam pertinere videntur figuræ serpentum in calceis Israëlitarũ sive nuda tantum ornamenta fuerint, ut Lunulæ Romanorum sive in memoriã periculorum à serpentibus in deserto, de quibus supra, sive denique superstitionem quandam redoluerint, quod verosimile videtur. צורות דרקון: Vajikra Rabb. sect. XVI. Unde draconum signa in nummis pariter, aliisq; ornamentis prohibita, contra Schiccardi sententiam, perdoctè advertit Seldenus. II. de jur. Nat. & gent. c. VI. Sive denique ad medicinam faciendam excogitatæ fuerint, quod non sine Magicæ cujusdam Vanitatis suspicione ex Schabb. c. VI. mischn. VI. colligitur, ubi mulieri in Sabbatho non egredi permissum c. monetâ super pustula (sive Clavo) יוצאת בסלע שעל הצינית: Monetam singulari quadam figura (i. e. telesmate, haut dubie infami,) insignitam, medicinæ loco, plagis & pustulis, clavisque, in plantis pedum adligatam exponebat R. Maimonides in Comm. l. c. Mischnâ certè X. ejusd. c. plura talia à sapientibus prohibita dicuntur: והכמים אוסרים *propter mores Emoræorum*, sive ut verba ipsa habent: משום דרכי האמורי: *propter consuetudinem Amorræorum* (gentilium.) In vestimentis quoque ProRegis Cantonensis draconis insignia Phrygio opere expressa & tunica cœrulea Legati Mogolici aureis draconibus intertexta memoravit Jo. Neuhofius Itin. Sinens. p. 64. & 189. In vestibus quoque primatum Tataricorum, qui Sinis imperant, elegantissimè depinxit Athanasius Kircherus in Chin. illustr. Navesque singulis trimestribus è provincia Nankinga ad Imperat. Sinicum donaria defe-

I.

Nummus Pescennij Nigri Imper.[r] apud Io. Sambucum. Pag. 89.



II.


Pag. 89.



III.

Numisma Solis effigie. apud B.A. Abbatium.

Pag. 89.



Æsculapius Hygeiam manu ducens in Sardonyche apud nos.

Pag. 92.



Æsculapius in Museo Octavij Tronsarelli, Romæ.

Pag. 89.



IV.

VI

Signum Draconis ex notis Tullij Tironis. P. 92.

Et Dracunculi.

Æsculapius in ædibus Maximorum Romæ.

Pag. 90.



V.

Melchior Haffner sc.

deferentes, quæ ideò *Lungychuen*, i. e. naves veſtimentorum draconariorum dictæ, depinxit idem Neuhofius p. 121. & *Lungſchon* navigium Cæſareum ſerpentarium Sinenſe. p. 131. ubi & ſignum draconis in vexillo Tatarorum.

Cæterum quamvis Ebnſina noſter de flexibus & voluminibus Venæ Medinenſis ſive dracontiorum nihil adferat, ſub longitudine tamen illa inſigni ſatis comprehendit. Amatus autem Luſ. tæniæ contortæ modo conſpici teſtatur. Nos, ut de forma ipſa ſinuum illorum, in quos dracunculi complicari dicuntur, aliquid conjicere liceret, iconas quasdam ſubjecimus ſerpentes & dracones variè circumvolutos exhibentes, quas è numismatis & ſtatuis antiquis ſelegimus. In prima Solis ſeu Apollinis effigies cum geminis ſerpentibus conſpicitur, quos tamen Baldus Angelus Abbatius præfat. in lib. de Nat. viper. viperas putabat. Dracones autem potius dicendos hinc ſuſpicamur, quod inter præcipua ſolis argumenta draconem è Macrobio jam ſupra monuerimus. Nummus deinde æreus, in cujus parte altera Peſcennii Nigri Imperat. facies, altera Æſculapius cum baculo ſerpente involuto cernitur, quem olim ſuum tanti faciebat Jo. Sambucus politioris literaturæ Medicus & Hiſtoricus Cæſareus, omnis antiquitatis ſcientiſſimus, ut eum unicum tota Europâ ſupereſſe perſuaſus fuerit, hodieque inter rariora Cimeliarchii Cæſarei ſervari nuperrimè teſtatus eſt Illuſtris Lambecius Comm. de Bibl. Vindobon. Cæſ. lib. I. part. I. p.76. unà cum aureo & duobus argenteis, qui tamen iidem cum iſto, an diverſi ſint? eodem docente cognoſcemus, ſi quam ingenti Reipub. literariæ bono promiſit, pinacothecæ Auguſtiſſimæ deſcriptionem ediderit. Ille utique, quem Cæſareæ urbis nomine inſcriptum produxit Anton. Auguſtinus averſa parte non Æſculapium ſed Bacchum referre putatur. Ab hac autem figura Æſculapii, omnique alia, qua vulgò depingi ſolet, multum diverſa eſt illa Jo. Bapt. Caſalii de rit. profan. Rom. c. VII. producta ex Muſéo Octavii Tronſarelli; huic enim prægrandis ſerpens membra circumligat, ſiniſtra baculum, dextra poculum tenet, à dextra etiam aquilam, à ſiniſtra arietis caput exhibet. Cui adjun-

ximus aliam non minus raram & elegantem Romæque in ædibus Maximorum exſtantem, quam inter ſtatuas reliquas edidit Jo. Bapt. Rubeus lib. I. ſtat. XIIX. At quæ ſequuntur, Auguſtæ quondam erant penes Ill. & Generoſum Com. Raymundum Fuggerum, intra ſummum fortunæ faſtigium eruditiſſimum, & literatorum omnium maximum ac liberaliſſimum patronum. Utramque harum Petrus Apianus depinxerat, unam quidem Laocoontis, alteram filii ipſius arbitratus. Nos tamen priorem & umbellatam potius Herculis ſuſpicamur draconum guttura elidentis, aut etiam Commodi Imperatoris de quo Ælius Lampridius: *Accepit ſtatuas in Herculis habitu:* quo ſanè quondam plures Romæ conſpeximus, ſed omnium pulcerrimam & maximam in hortis Vaticanis à proſpectus amœnitate celebratis ſubſcripto artificis nomine: Ἀπολλώνιος Νέστορος Ἀθηναῖος ἐποίει. Xiphilinus quoque epitome Dionis de tabula Malli in Cilicia exſtante, qua depictus puer erat duos ſerpentes præfocans, quod capi non potuerit, πρὶν πυθέσθαι τούς τε ἀδελφοὺς ὑπὸ τοῦ Κομμόδου, ὃς μετὰ ταῦτα τὸν Ἡρακλέα ἐζήλωσε, τρόπον τινὰ πνιγέντας, ὥσπερ καὶ ὁ Ἡρακλῆς ἔτι νήπιος ὢν ἱστόρηται τοὺς ὑπὸ τῆς Ἥρας ἐπιπεμφθέντας αὐτῷ δράκοντας ἀποπνῖξαι. *Antequam fratres à Commodo, qui Herculem poſtea imitatus eſt, quodammodo ſuffocatos eſſe intelligeretur, ut Herculem, infantem adhuc, memoria proditum eſt ſerpentes à Junone immiſſos ſuffocâſſe.* Altera quoque Laocoontis filii nequaquam haberi poteſt, cùm plures heic ſerpentes numerentur. Maro autem diſertè II. Æneid.

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
Horreſco referens, immenſis orbibus angues,
Incumbunt pelago, pariterq; ad litora tendunt.

Quod Eumolpus ap. Petronium Satyr. XLIX. paullo aliter extulit:

Reſpicimus, angues orbibus geminis ferunt
Ad ſaxa fluctus.

Quod tamen in medio relinquendum, quando ſatis fuerit ipſas ſerpentium contorſiones obſervari. Nam Q. Smyrnæus pa-

ralipom.


VI.
Pseudolaocoon, Petri Apiani:



VII
Pseudolaocoontis Filius, ejusd.



IIX
Commodus, Herculis habitu serpentes elidens apud Jacob. Paulutium Albertonium Romae.



IX
Ejusdem alia statua in Muséo Hieronymi Garimberti, Romae.



Melchior Haffner sc.

ralipom. ab Homero XII. à Virgilio plurimum dissentit, ut cujus testimonio Pallas ex Insula Calydna serpentes accersit,

ἔνθεν ἀναςήσασα βίην καλέεσκε δρακόντων,

Inde excitam draconum vim advocat.

A quibus etiam solos filios interemptos, patrem autem Laocoontem luminibus privatum narrat:

- - - - - - φάος ἥ οἱ ἐσθλὸν ἄμερσε
διάθεη. λευκαὶ ἤ ὑπὸ βλέφαρ' ἦσαν ὀπωπαί.

L. Rhodomanni versione:

Tandem jucundam ei lucem abstulit
Cœlestis Dea, glaucique ipsius oculi erant intra palpebras.

Apiani autem inscriptiones antiquitatis nomine in publicum protrusas non injuriâ falsitatis coarguebat Anton. Augustin. Dial. XI. & L. Pignorius adnot. ad Cartar. imag. p. 171. & 295. quod tamen imperitiæ potius omnia corradentis, quam malo animo aut deceptionibus adsueto adscribendum putamus. Genuina Laocoontis statua marmorea hodieque Romæ in hortis Vaticanis visitur, ubi & nos attentè aliquoties contemplati sumus. Ipsa enim illa est, de qua Plinius XXXVI. 5. cùm de artificibus in marmore tractaret: *Multorum obscurior fama est, quorundam claritati in operibus eximiis obstante numero artificum, quoniam nec unus occupat gloriam, nec plures pariter nuncupari possunt, sicut in Laocoonte, qui est in Titi Imperatoris domo, opus omnibus & picturæ & statuariæ artis præferendum. Ex uno lapide enim & liberos, draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecêre summi artifices Agesander & Polydorus & Athenodorus Rhodii.* Nos eam hîc exhibemus, ut olim Romæ valdè concinnis Andreæ Vaccarii formis expressa prodiit. Cui quam aliam descriptionem, nisi Virgilii jungamus? Huic verò serpentes


- - - - - - - *Illi agmine certo*
Laocoonta petunt, & primum parva duorum
Corpora gnatorum serpens amplexus uterque
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: & jam

Bis medium amplexi, bis collo squammea circum
Terga dati, superant capite & cervicibus altis.


His signum draconis addidimus è Tachygraphicis Tullii Tironis notis, seu potius inepti cujusdam nugivenduli, qui Cypriani Carthaginensis nomine Grutero etiam doctissimo imposuit, quemadmodum in variis uberius ostendimus. Quò referri etiam possunt literæ serpentiformes & variè distortæ, in libro propterea Draconum dicto Fohii Imperatoris Sinensis, quarum exempla protulit Kircherus in prodrom. Oedipi Ægypt. & parte extrema Chinæ Illustratæ. Effigiem item Æsculapii Hygeiam manuducentis in Sardonyche ovalis magnitudinis, cujus ectypon nobis amicus nobilissimus donavit. Frequenter enim jungebantur, ut ex inscriptionibus patet, quas sibi conspectas Paulus Henznerus in Itiner. recenset: *Laurus, Boni genii planta :* & altera parte: *Æsculapio & Hygeiæ nepti sacrum.* Liparis quoque in ara: *Æsculapio & Hygeiæ.* Setæ item aquaticæ, quam ololygona Theonis putabat Aldrovandus VII. de insect. X. & Scolopendræ marinæ ap. Jonstonum tab. XXV. n. II. quod utrumque hoc animal flexus gyrosque tortuosos perpulcrè eximat, quos Gr. L. Glossæ vett. Josephi Scaligeri Mss. ἐνειλήματα involumina appellabant: qualia in plurimis figuris elegantissima spectari possunt etiam apud M. A. Severinum in vipera Pythia part. I. c. IV. tripodis cum gallis gallinaceis & capitibus arietinis. Numisma item æneum Adriani Græcum eximii operis in quo serpens c. lychno & sympulo, caduceo & spica, cujus explicationem desperaverat Sebast. Erycius lib. de numm. antiq. quod meritò mirari queas. Draconum item c. XI. §. 3. viperæ part. II. c. I. & VII. §. 4. Eumenidum §. 3. Gratiarum circa pedes anguis prolixissimi complexu conjunctarum ex mythologia Natalis Comitis (quæ licet non magni facienda sit, ad fidem tamen antiqui operis in statua Venetiis CIƆIƆCXVI. efformata est. Nummus Septimii Getæ. part. I. c. IV. Egregiæ quoque icones ejusmodi convolutionum aliis in rebus pluribus occurrunt, quarum similitudine Venæ Medinensis tortuositas facilius intelligi queat, quas obiter tantum nominabimus. Tale

igitur

I



II




III




IV



V




VI




IIX
Tanquam in utero ser-
pentem gerens



VII




IX
Conchæ adnatus pulcerrimus
utraque sui parte adspiciendus.






1
Corallium album in-
flexu tubuli marini
serpentino.



2
Corallium rubrum stria-
tum venulis albis dracon-
toideis insigne



3



Lacruma Traga-
canthæ ophio-
ides sive heli-
coides.

Corallium rubrum
tubulo cochlioide
instratum.

4



Melchior Haffner sc.

igitur è plantarum familia semen est Leontopodii Cretici cirrorum modo conspiratum apud Ferrantem Imperatum hist. Natur. XXIIX. 1. Alcyonium item Milesium sive tertium Diosc. vermiculare apud eund. XXVII. 8. serpentis imagine inscriptum ovum Petri Vettendellii Alcmariani Profess. Pisani, & radix ophioides in Museo Bononiensi lib. de monstr. c. XI. & XIIX. Ornithol. XXI. ophioxylum, natura inter plantam & animal ambigente, ut Ophiophytum commodè quis dixerit. Fucus item vermicularis Imperati XXVII. 10. vermiculis illis farinaceis similis, quos Romæ Macheroni, Patavii, Bigole, Armenii suâ dialecto بريشداي ، appellant, & alius retusus, majoribus appendicibus vegetabilis & in mari virescens, siccatus autem albicans & quasi coriaceus, tractabilis ad instar pellium rupicaprarum. In Pinacotheca quoque rariorum Ludovici Guetii Mſ. Rete marinum sive spongia trichoides marina miras filamentorum convolutiones referebat: & Concrementum quoddam aliud marinum tenerrimum, leve, totum filamentosum. Byssus item è pinnulis Indicis ac Melitensibus mirificè intricata. Lignum serpentis modo pulcerrimè contortum, & aliud in nodum veluti convolutum: Quo etiam referri merentur fructus Pindovæ maturus filamentosus i. e. palmæ silvestris proceræ apud Guil. Pisonem de Med. Brasil. c. X. Caapeba item clematidi similis repens, alexicaca, & Lithontriptica Lusitanis à forma serpentina dicta c. LIV. Cipo de cobras, quemadmodum vicissim Cobre de Cipo, serpens Boitiapo c. XC. Herbæ funales ἄφυλλαι Brasiliensium c. LXXXIX. & lib. III. p. 42. Serpentum quoque icones ap. Jonstonum præcipuæ inspectione dignæ sunt, Elaphidis, & Anguis Æsculapii tab. V. Serpentis Indici Eusebii Nierembergii. tab. VII. Teuthlacocauhqui sive Dominæ Serpentum dictæ ibid. & serpentis marini tab. IIX. Norvegici IX. & flavi Suecici atque Americani ibid.

Nummi præterea Neronis apud Octav. Stradam. XLIIX. Martiæ Octacillæ Severæ, Philippi Imperatoris conjugis CLXIX. cujus parte aversa tripus Apollinis sive Æsculapii Nicopolitani, angue circumvoluto. Toties sanè in vett. nummis salutis nomine in-

ne inſcriptis Æſculapius cum angue ſuo cernitur, ut mirum omninò ſit, cur in Gordiani quodam virum ſeminudum cum ſerpente agnoſcere non potuerit Steph. Zamoſcius Analect. Daciæ antiq. c XII. vir cæteroquin antiquitatis haut parum peritus. Ovũ quoq; anguinum Plinio dictum XXIX. 3. huc referendum : *Angues innumeri æſtate convoluti, ſalivis faucium corporumq; ſpumis artifici complexu glomerati, ovum anguinum appellantur.* Paullòque poſt: *Hic complexus anguium & efferatorum concordia cauſa videtur eſſe quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdata effigie anguium fecerint.* Id tamen Macrobius ex inſtituto Ægyptiorum ad ſideralis potius ſcientiæ arcana reducit I. Saturnal. XIX. *In Mercurio Solem coli ex caduceo claret. Hi dracones parte media voluminis ſui invicẽ nodo, quem vocant, Herculis, obligantur, primæque partes eorum reflexæ in circulum preſſis oſculis ambitu circuli junguntur, & poſt nodum caudæ revocantur ad capulum Caducei.* ὄφεις καταγλωττίζοντες καὶ ἐμπεπλεγμένοι Græcorum conſuetudine dicti ap. Hadrian. Junium V. adverſar. XX. unde vulgarium Aſtronomorum nomina haut dubiè capitis & caudæ draconis. At Cl. Hyginus in Aſtronomic. Poëtic. II. Mercurio Virgulam illam ab Apolline conceſſam memorat, quam in Arcadia duos dracones connexis corporibus dimicantes conſpiciens, inter utrumque projecerit, illis mox diſcedentibus; ideoque pacis arbitram conſtitutam, addens: *Nonnulli etiam cùm faciunt caduceos, duos dracones implicitos virgula faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis, ejus exemplo & Athlothetæ, ut in reliquis ejusmodi certaminibus virgula utuntur.* Sic enim benè Petrus Faber I. agoniſtic. XIX. legendum monebat; non Athletæ. Alia autem forma corporumque habitu, ac aliam ob cauſam Æſculapio quoque vota facta in marmore Reis Apollinaribus reperto viſebantur quod Arnoldus Proprætor Forcalquerienſis Illuſtriſs. Peireſcio conceſſerat cum ſigno æreo ſomni & torque aureo duobus dracunculis inſigni, cujus inter Cimelia Lælii Paſchalini Pignorius quoque in epiſt. & Gaſſendus in vit. Peireſcii lib. V. mentionem fecerunt: Capitibus ſcil. ſe invicem reſpicienti-

cientibus, ſed caudis connexis. Niſi forſan Jupiter potius exiſtimandus ſit, qui apud Arnobium in quinto contra gentes, primò verveceus exſectos arietis teſticulos Cereri placandæ offerens, deinde in ſerpentem converſus ingentibus ſpiris paveſactam colligabat virginem, Senarii Tarentini indicio

ταῦρος δράκοντος καὶ δράκων ταύρου πατήρ.

Taurus draconem genuit, & taurum draco.

Manliæ item Scantillæ, Didii Juliani conjugis, altera parte Æſculapium referens, ſerpente circa columnam convoluto apud eundem Stradam CXII. Septimii Getæ CXXXI. περινθίων νεωκόρων, altera partè mirè implicito angue. Volumen item draconis, triplex animal connectens ex leone, cane, & lupo, ad dextram Serapidis rediens apud Macrobium delineatum à Kirchero Syntagm. III. templ. Iſiac. in Oedip. Ægypt. c. V. & imago Typhonis ſecundum Apollodorum c. IIX. Jagarmath item Indorum inter X. incarnationes divinas in libris Brachmanum, ex quibus Henricus Rothius Aug. S. J. vir plurimæ doctrinæ atque experientiæ, excerpſit, ibidis, canis, & draconis formâ adſumpta ſpectari digna eſt apud eundem part. III. Chin. illuſtr. VI. Inter machinamenta & fibulas Chirurgicas Heraclæ ap. Oribaſium c. IV. & V. Draco laqueus, & manubrium machinarum Heliodori. Capreoli vitium S. P. Feſto: Involuculi pampinorum, faciles vitium lapſus Appulejo in verſione Græci auctoris de mundo. Rami Ceraſorum & tiliarum arte hortulana compliciti, ut viperarum complexum referant, deſcribente Jo. Dan. Majore tr. de planta monſtr. Gottorp. §. XXIII. eorumque imitatione στέφανοι Athenæo κυλιστοὶ (aut fortè potius κυκλιστοὶ) non πλεκτοὶ, volubiles potius coronæ, quam tortiles, Caſauboni cenſura dicendæ, quas volutæ vitruvii in capitellis & epiſtyliis columnarum imitantur III. 3. quarum ad circinum conformatione tantoperè præſtantiſſima ingenia deſudabant, Baptiſta Albertus, Sebaſtianus Serlius, Guil. Philander, & Jonicâ præcipuè fauſto ſucceſſu haut ita pridem Nicol. Goldmannus: ac Aniſocycla in Lexico Baldino à Jo. Lætio depicta, quæ Daniel Barbarus not. ad X. 1. cochleas interpreta-

pretabatur ex circulis continuis, sed inæqualibus, ut ait, efformatas. Quamquam, ut verum fateamur, nobis magis arrideat, Alberti Dureri sententia, qui columnas suas tortiles sive serpentinas, in stereometricis ad Ferdinandum Rom. Regem lib. III. c. IIX. ex meris globis sive circulis æqualibus pereleganter conficiendas delineavit. כרך Hebr. Volumen, Eliæ in Tisbi, quod libri primitus non compingerentur, sed volverentur: כריך Syr. quodcunque rotundum R. Salomoni Jarchio: כורכיתי Græcorum κερκίς, eâdem convolvendi notione. Talia enim volumina legis præcipuè, sive Megillæ in plerisque Synagogis habentur, atque egregium quoque in Bibl. Reipubl. nostræ exstat. Græci autem antiqui voluminis idéam Bononiæ vidimus in Museo Aldrovandino, quam rudiori manu lib. de monstr. cum radio & umbilicis suis depinxit Barthol. Ambrosinus eidem præfectus. (A quo non multum diversum volumen illud antiquum fastorum Danicorum, & Legum Scanicarum, quod à Vuormio depingitur, Musei c. XII.) Longè pulcerrimum fuisse oportet volumen Homeri carmina, aureis literis Draconis intestinis, CXX. pedes longis conscripta continens, quod in Bibl. quondam CPa. Zenonis Imperatoris temporibus a. Chr. CCCCLXXIII. incendio periisse Agathias commemorat. כרכא ומגלא: Volumen Codicum pro membrana Syro interpreti II. Tim. IV. 13. כריכרת הוחש: *Convolutio serpentis.* כרכר: veruculum quod figendo comprehendit, radius textorius, sive Calamus concavus aut panus circa quem subtegmen circumvolvitur. Idoli præterea caput, quod Illustris Velserus Duumvir in monumentis patriis, non tam Cisæ, quam Medusæ suspicabatur, consensu Christoph. Velseri præpositi Ratisbonensis, & Conradi Peutingeri ICti nobilissimi, cui similis in Carpensibus hortis Romæ conspecta, nostra tamen opinione numen potius triforme Ægyptiorum repræsentat, quod fusius in Oedipo describit Kircherus ὁ ἀξιωνάσιος, & maximè V. obelisc. Pamphil. III. Cyclopheopteromorphon, quando & Isidis cultum inter gentiles quondam heic frequentatum super-

IIX.


Statua matronæ Romanæ
Serpentem foventis

Pag. xix.




Anisocycla Vitruvij ex
circulis inæqualibus ad
mentem Bern. Baldi.

Pag. 95.



Columna tortilis serpentina
Alberti Dureri. ex circulis
seu potius sphæris
æquali bus.

Pag. 96.



M. Haffner sc.

superstites nomenclaturæ aliæ plures, unà cum statuis, & imaginibus testantur. De illo autem verè Aben Nephius Hebræus, sed Arabicè & Copticè doctissimus, ac Medicinæ non imperitus, libro de vett. Ægypt. disciplinis, quem in Muséo suo nobis inspiciendum modò laudatus Kircherus humanissimè concessit, animam mundi sive spiritum **U**niversi interpretatus est: الدور

مجنح محلق محيت هو علامة نفسّ وروح العـــا

ϭ ϭ ϭ لـم *Circus alatus, serpentibus (tanquam vitis capreolis,* hoc enim vis vocabuli innuit) *circumdatus signum est animæ Mundi sive spiritus Universi.* Dracones, Crateres, Scyphi, Domitio Calderino in Lexic. Ital. Latin. à figura sic dicti, ut *δρακοντόμιμα τορεύματα* Sopatro Parodo in Lenticula apud Athenæum VI. 4.

> *ὀξίδ' ἀργυρᾶν ἔχει*
> *δρακοντομίμοις ὀργάνων τορεύμασι,*

Acetabulum argenteum cœlatis torno draconum imaginibus, quale & thymbron Tantali F. l. c. In manu quoque ænea Tornacis votiva, quam Hieron. Aleander, L. Pignorio nonnihil felicius exposuisse videtur, libro ad Illustrissimum Peirescium in matris Idææ & Atthidis initiis Aquis Sextiis primum edito, & deinde Venetiis recuso, cujus in Vincentii Cartarii imagines appendice mentionem fecit, (Nec enim Illustri Velsero Duumviro & sim. Tœlmanno JCto doctissimo satis probare illa potuit, quin multa risu, sed liberali & amico, exciperent, cujus ap. nos certa indicia supersunt.) Serpens circa carpum & cubitum convolutus conspicitur: diversa enim est à Cecropii altera Card. Francisci Barberini singulari libello exposita à Jac Phil Tomasino, in qua serpens cristatus sive Draco salutis nomine sæpius in numismatis occurrens, nec non ab illa Hieroglyphica & Magica, quam ex ejusdem Gazophylacéo produxit Athanas. Kircherus tom. I. Oedip. Ægypt. class. XI. c. IV. quæ omnes inspici

merentur non secus, ac Emblemata Heroica Cl. Paradini. p. 70. Serpens inprimis fragariæ fructiferæ circumvolutus: cum dicto: latet anguis in herba: p. 77. alius clavi Leontychidæ Lacedæmonii circumplexus, cum inscriptione: *Scilicet is superis labor est.* p. 84. vesparum serpentis cadavere pastarum: *transfundit pasta venenum.* Et illud nostris temporibus aptissimum p. 109. Lingua alata cum cauda serpentina atque interrogatione: *quo tendis?* p. 216. Draco serpentem vorans cum dicto: *Unius compendium, alterius stipendium.* p. 234. oliva cum serpentibus caduceum efformans Margaritæ Ducis cum lemmate: *rerum sapientia custos.* Et denique egregium illud Jacobi à Bruk Angermundani XXXV. Serpentes cor arrodentes repræsentans cum dicto: *Invidentes egent.* Cui eximiis formis Ottonis Vænii ingeniosè expressa addatur: *pede pœna claudo:* flagello ex serpentibus contorto, cum fascibus, & unco ad Gemonias insignis, ex IV. Horatii od. V. v. Atque ut hoc quoque addamus, serpentem illum circa tripodem Pythium convolutum à Constantino Imperatore in Hippodromo CPo. constitutum, quem Eusebius Clarius in histor. Petr. Gillius in topogr. CPos. & ex illis Onuphrius Panvinius l. de ludis Circensibus c. XXVII. commemorabat, Jo. Argolus JCtus doctissimus, histor. atque antiquitatis cognitione celeberrimus, dracunculum illum suspicabatur, qui à Corunno Bulgarorum Duce, cum cæteris ornamentis Hippodromi urbe exportatus refertur à Paulo Diacono lib. ult. multum iccircò diversus à fictili columna serpentina, quam suo etiamnum tempore superstitem, tribus capitibus anguinis, & triplici corporum involumine, quamvis rudiori Minerva depingi curavit Salom. Sueiggerus II. Itin. c. XXXVII. quippe non decori conciliando aut cujusvis pretii causa, sed fugandis serpentibus magicum apotelesma positum, nec innoxiè clavâ victoris Muhammedi in expugnatione læsum, quod inter recentiores peregrinatores nobilissimus Arnoldus Gebhardus à Stammern attestatur. Ut mirum profectò sit,, sive hunc, sive illum Constantini à quibusdam columnam historiatam Theodosii dictum, eoque nomine etiam Paulo Taffernero S. J. in

Jacobi

Jacobi Com. Leslei generosissimi, Legati Cæsarei, comitatu nonnullos imponere ausos. Ceres serpente circumlata, apud Minutium Felicem, rectius legebat Hieron. Alcander explic. tabul. marmor. p. 86. quàm: derepentè circulat: Hujus autem currum draconibus, non secus ac Triptolemi, serpentibus non pedatis nec alatis, in Achate, & nummis contra pictorum consuetudinem certiori antiquitatis testimonio perpulcrè descripsit Vincentius Mirabella in Syracusis suis.

Ille quoque, qui Silio Italico lib. VI. dicente, cum Attilio Regulo

Viperea sanie, turmis minitantibus ultrò,
Pugnabat serpens, & cum duce bella gerebat.

CXX. pedum corium habebat, quod in Urbem missum perpetuæ memoriæ servabatur. Sic enim ap. Valer. Maximum distortos in Vulgatis numeros emendabat Justus Lipsius not. in l. 8. Caudæ volumine implicitos aquatum venientes elidebat horrenda sanè bellua & Catapultis tantum, non copiarum virtute expugnabilis, Silio canente:

Ut verò strepuêre tubæ, conterribus altè
Immensum attollit corpus, tergoq; residens,
Cætera sinuatis glomerat sub pectore gyris,
Dira de hinc in bella ruit, rapideq; resolvens
Contortos orbes directo corpore totam.
Extendit molem.

Lamiæ, Empusæ, Lilith, Chrysostomo, monstra muliebri facie, inferiori parte in draconem desinentia, de quibus Henningius in Muhammedano precante p. 391. Quibus similis Nympha Lanicola Marpurgensium, ut hanc quoque, ceu epiphyllida addamus, eleganti carmine CIↃ IↃCXV. descriptam ab anonymo quodam, quam cum loquentem de se ipsa introduxisset:

Nympha ego sum priscis non ignorata Poëtis,
Undigenam vulgus dicit pro Naide Nixam.

Mox subjungebat:

Vilis ab adspectu & colubrino sparsa colore
Funiculum refero, gracilemve oblongior anguem.

Paucisque interjectis:

Corpore qua tenero medium discurro per amnem
Circuituq; vago, nunc huc nunc deferor illuc,
Perpetuo lustrans habitacula commoda gyro.

Haut dubiè tamen errârant, qui istam inter Zoophyta referendam existimabant. Verius enim Andr. Libavius in Cist. Med. Hornungi epist. LXXII. inter meteora recensuit, exhalationem bituminosam in ipsis aquis ardentem aut etiam ♀eam metallicam ignibus fatuis non absimilem, tenui flamma discurrentem ad instar serpentis vel funis longioris, aquasq; perfunctoriè quodammodo lambentem: à qua fortasse non multum discrepat meteorum hydrulcum, sive draco nubilosus navigia evertens cum impetu, quod primus omnium maritimis itineribus observatum, perpulcrè, ut reliqua omnia descripsit Monconisius in Diario suo, nubes nimirum nigra, longâ caudâ sensim magis magisque imminuta, atque in mare usque, mediterraneum inprimis, porrecta cum violentia, ut in excerptis Ephemeridum eruditorum Hedorcillius refert. Sed, ne diutius his immoremur, dracunculum tandem in Carduelis coxa repertum ab Adriano Spigelio ex opere egregio de lumbrico lato c. IX. heic apposuimus, in quo cuivis miros in tam parva avicula flexus, sinusque contueri, cum reliquis serpentum Voluminibus conferre, & inde, quo situ in hominum corporibus dracunculus seu Vena Medinensis nascatur, facilè aliquid licebit conjectare. Quæ verò hactenus commemoravimus, ad signa pathognomonica spectant. Unum tamen adhuc à motu superest, quod nos ad συνεδρεύοντα reducimus, illa videl. quæ vulgo adsidentia, separabilia, nec semper præsentia dicuntur, quæque morbum & ejus speciem non significant, sed conditionem potius aliquam & propriam differentiam. Quamvis enim Cl. Hofmannus IV. Instit. Med. II. §. VII. Sennertum hæc nunquam intellexisse existimârit, eodem tamen modo, nec alio, descripserat, quo olim Galenus exponebat.

Nihil

Nihil utique magis à verò alienum, quam συνεδρεύοντα tantum cruditatis & coctionis signa habenda, quòd illis solis hæc conveniant: ποτὲ μὲν συνεισβάλλεται, ποτὲ δὲ ἐπιγίνεται, ποτὲ δ᾽ οὐδ᾽ ὅλως γίνεται ex 1. aphor. Hippocr. XII. ubi pleuritidis exemplo illustratur. Nam & in calculo, & in lumbricis, aliisque similibus hæc locum obtinent, quorum nulla cruditas aut coctio fingi potest. τὰ δὲ συνεδρεύοντα τῶν ὡς τὸ πολὺ γινομένων αὐτοῖς ἐστὶν, ajebat Galenus Comm. III. in III. Epidem. t. 34. *Adsidentia ex illis sunt, quæ sæpè illis accidunt*, nimirum τῆς τοῦ πάθους οὐσίας αὐτῆς οὐ συνθετικὰ, *quæ adfectus essentiam non constituunt.* Ideoque latius patent. Ita sanè stuporem oppositi femoris lapilli in renibus σημεῖον συνεδρεῦον ex Hippocrate constituebat Guil. Ballonius lib. I. Cons. XLVI. νάρκη τοῦ μηροῦ κατ᾽ ἴξιν. VI. Epid. sect. I. nec enim semper adesse comperitur. At pathognomonica, quod semper sint præsentia, Ebnsina I. sect. II. doctr. III. Cap. I. firma & constantia appellat, quod pariter cum morbo invadant, pariterque desinant. Sic enim Plempius non malè reddiderat موقتة ، *certo suo tempore definita.* Gerardus sanè Carmonensis non benè, *prodeuntia*, vocârat: منهـــا ماهي موقتة يبتدي وينقطع المرض ، *Sunt Symptomata quædam firma & constantia, quæ pariter cum morbo invadunt, pariterq; desinunt.* ἀχώριστα, inseparabilia, ritè exponi possent. Sic autem Ebnsina noster: *Interdum motum habet vermicularem sub cute, ac si is animalis motus, & verè vermis esset.* Vulgatus interpres turpissimè depravans: *Et fortasse est ei motus manifestus sub cute.* Malè sit huic hæsitantiæ, quæ causa fuit, ut Ebnsinam nostrum valdè titubare doctissimus Heurnius putaret, in Epist. de morb. nov. supra laudata. Non titubat ipse, sed Gerardus aut Alpagus, vel τὸ ῥητὸν non satis intelligunt, vel τὴν διάνοιαν perspicere non potuerunt. Particula ربمـــا ، Arabibus non tantum: *fortasse:*

significat, sed frequentissimè: *Interdum, nonnunquam*: & similia, quam aliis in locis ipsimet ita reddiderunt. Quis autem heic Ebnsinam dubitare credat? cum ipse se Venam Medinensem sæpius, atque etiam in partibus corporis rarius adfligi solitis vidisse adfirmet? adeòque mobilis an immobilis? sit facilè observare potuerit, ut quid pronunciare vellet, haberet? J. C. Scaliger Exerc. CCXCV. Cardani enunciatione Universales toties & tam licenter repetitas reprehendens: *Modestius*, ait, *princeps Aboali: Fortasse: i. e. ut nos ex Arabicis interpretabamur: aliquando*, Aristoteli ἴσως, ἄν, ἔοικεν, δοκεῖ, σκοπεῖν δεῖ, ὡς τύπῳ, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ὡς λόγῳ, ὡς εἰπεῖν, φαίνεται. Rectè quidem Arabica Ebnsinæ interpretatus, sed Græca Aristotelis, non benè æquivalere arbitratus. Hæc enim modestiæ sunt verba nihil pro certo definientis, illud nullam dubitationem conjunctam habet. In hac sola sanè particula interpretis inscitia toties peccavit, ut toto penè opere Ebnsinam dubiè loquentem induxerit, cujus tamen mens plana est, & verba dissertissima. Ut frustra sit Jo. Jacobus Chifletius II. Dædalmat. XX. qui singulari modestiæ adscribendum putat, cùm huic sua ratio etiam ex nostra versione satis constet. Frustra etiam Anonymus Clusii not. in Garc. lib. I. c. IIX. qui nobis Gerardum Arabismi peritissimum persuadere conabatur: quamvis enim fortasse id negari non debeat, si linguæ ipsius ingenium spectetur, si tamen conatum latinè reddendi consideremus, mira ubique infelicitas, & persæpè incuria quoque apparebit. Eadem autem culpa idem Interpres pro motu vermiculari, ut Ebnsina pulcerrimè appellat, motum manifestum supposuit, cùm vocula دود & adjectivum, ut vocant, ab ea deductum, دودية aliter quam vermis, & vermicularis nec ab ipso Apolline verti & explicari possit. Sed ista barbaro interpreti relinquamus, qui ipse III. sect. I. tr. I. c. II. verba hæc de parte cerebri supra medium ventriculum positâ: الاوسط عا متنه واجزاوه التي من فوق دودي

دودي الشكل ، sic verterat: *Secundum plurimum ejus, & secundum partes ejus, quæ sunt desuper, est vermicularis figura.* Antiqua sanè editio Venetiis CIↃ IↃXXV. excusa in textu reposuerat: *est ei motus voluntarius:* In glossis autem margini adscriptis: *motus manifestus:* & alia litera: *sicut motus vermis.* Tanquam quibusdam exemplaribus حركة ردية ، literâ و in ر mutatâ, primâque elisa repererit, aut etiam وضيحكة ، similemque vocem legerit. Motum quoque sub cute eidem adsignavit Ebn Jezla, sed tanquam venæ pulsatilis, non vermis, à siccitate, quæ causa haut parum obscura admitti non debet. Nos potius, quis iste motus vermicularis sit? investigemus. De motu enim reptilium paucissimi Philosophorum aliquid notatu dignum literis mandârunt. E Medicorum autem numero vix unus & alter abstrusum hoc argumenti genus attigerunt. Hieron. Fabricius ab Aquapendente tr. singulari de motu locali animalium secundum totum ex Aristotelis sententia triplicem reptatus differentiam constituit; Primam undatim quasi fieri tradens, & in erucis ac hirudinibus conspici, alteram per spiras quasdam celebrari, serpentibus & anguillis propriam, tertiam contractione & extensione alternis perfici, quam lumbricis terrestribus adsignat. His quartam ipse adjungit, arcuatim, uti loquitur, institutam, erucarum cuidam generi peculiarem, quod ait Geometram appellari, quamquam etiam vermiculo ocymi similem motum Julius Scaliger jam olim adscripserit Exerc. CCXIX. 3. Nos etiam quintam addere vellemus, ex gressu & reptatu mixtam. Ut enim draconibus quibusdam pedatis manifestè conspicuus est, ita eodem etiam erucarum quoddam genus moveri observavimus, & vermiculum sepedem fructui rubi Idæi proprium, quem in vastissimis operibus suis Aldrovandus, Gesnerus, Moufetus, cæterique omnes prætererierunt. Quorum iccircò curas haut dubiè multum superabit insigne opus de insectis plantarum propriis,


priis, quod Virum præstantissimum, rerumque Naturalium omnium peritissimum, Franciscum Corvinum Romæ meditari Kircherus refert lib. XII. mund. subterr. sect. I. c. IX. nec non quæ eadem in materia Jo. Swamerdamius promisit præfat. tract. de respir. Instrumenta porrò horum motuum Aquapendentius alia manifesta proponit, ut in serpentibus, quibus videl. Natura & ossa, & articulos, & musculos concessit, alia obscura valdè, nec dum satis cognita aut explicata, ut in erucis, vermibus reliquis, & maximè lumbricis terrestribus. Unde iisdem aliquid analogon, & musculis proportione respondens tribuit. Quod Plinius XI. 4. mediæ cujusdam Naturæ appellat, inter ossa, nervos, cartilagines, spinasque Aristoteli dictas II. part. an. IIX. & IV. hist. an. VII. etiam pinguia addens, carnes, crustam fragilem; ut quibusdam marinis, & cutem, quæ tamen nec ipsa jure sic vocetur. Id, quidquid sit, nihilominus musculos, atque etiam sphincteras vocat, adsentiente in omnibus Jo. Fabro expos. anim. nov. Hisp. p. 795. Nos verius, nisi insigniter fallimur, cum M. A. Severino part. IV. Zootomiæ Democrit. p. 348. fibras nominabimus. Cùm igitur in lumbricis duplex motus conspiciatur, extensionis scil. & contractionis, duplices quoque musculos Fabricius excogitavit, sphincteras, qui constringendo corpus vermium prætendant, atque tenuius reddant: & alios per longitudinem hinc inde positos, qui contrahant, & animalia breviora crassioraque efforment. Verùm ut liceat nobis liberè, quod sentimus, eloqui, opinio hæc magna difficultate premitur. Ut enim concedamus Aquapendentium non malè aliquid musculis analogum invenisse, oblitus tamen est præterea aliud quid comminisci, quod cum articulis & ossibus analogiam quandam obtineret, unde & oriri musculi illi analogici, & ubi inseri potuissent. Qualia sanè sunt illa omnia, quæ Jo. Bapt. Hodierna Siculus, curiosissimè lustrata, commissuras ossiculorum, arterias item, venasque, & nervos, & articulos, minus propriè vocat, ac in centur. obs. Microscop. L. repetit Petrus Borellus. Nam incisuræ, sive segmenta, & annuli, quos sic vocabat Albertus M. de quibus Fabricius loquitur, ad

quorum

quorum etiam numerum ſphincteras nobis exſtruxit, non ſunt corpora, nec partes reliquis duriores, ſed rugæ tantum ſive plicæ cutis exterioris, aut ſi omninò interius quidpiam ſubeſſe putemus (quamquam non abſque veniæ præfatione ſic loqui liceat) umbræ quædam & imagines ἀπονευρώσεων, quas Græci in muſculorum ſtructura majoribus animalibus propria ſic appellant. Ipſa quoque anatome nullam muſculorum ſpeciem, ſive ſphincterum, ſive per longitudinem diſpoſitorum oculis offert. Quamvis enim Galenus VI. de plac. Hippocr. & Platon. V. interprete Jo. Bernardo Feliciano ſic ſcribat: *Culices quidem, muſcas, vermes, formicas, neq; diſſecui, neq; diſſecare unquam aggrediar, non cùm in magnorum animalium diſſectione multos falli fruſtrarique videam, nonne in minoribus debemus id magis eventurum ſperare?* Nos tamen difficultate iſta nequidquam abſterriti, aliquot lumbricos diſſecuimus, ſi fortè muſculos Fabricianos cernere poſſemus. Candidè teſtamur, nihil horum comparuit, ſed partes tantum iſtas conſpeximus, ex quibus tota vermium ſtructura conſtat. Primo cutis tenuiſſima, nec tamen rumpi facilis, quæ ſat longè extendi queat, atque etiam corrugari: Tùm huic ſubſtratæ & firmius adhærens ſubſtantia nonnihil rubeſcens: & denique interanea. Unde conjiciebamus, ſi quid omninò analogiæ fingendum eſt in lumbricis ſubjectam cuti tenuiori ſubſtantiam, ut diximus, rubicundam, reſpondere illi membranæ, quam in magnis animalibus vulgò panniculum carnoſum vocant, & omni fibrarum genere donatam eſſe ajunt. Nam & hæc in brutis totam cutem variis motibus trahere, extendere, corrugare, & concutere ſolet, ut cui nullo alio intercedente adnexa eſt: non item in homine, niſi circa frontem, ubi nullam pinguedinem natura interjecit. Adeò ut hoc pacto muſculis non opus habeant lumbrici, ſed unica illa ſubſtantia omnigenis fibris prædita cutique adfixa omnem motum in animali minus operoſo facillimè expedire queat. Non ſecus ac fibræ nerveæ in homine, ſive filamenta plexus meſenterici, motum in inteſtinis vermiculationis periſtalticum, efficiunt, progreſſu veluti ſpirali, ut perdoctè Vuil-

lisius advertit de anat. Cerebri c. XXVII. Cui nequidquam contrarium est B. Augustini experimentum, quod in Liguria cum adolescentibus, studiorum sociis, humi jacentibus, loco opaco fecerat in bestiola multipede, sive longo quodam vermiculo, qui Stylo percussus in duas partes utrinque celerrimè discessit, atque in plures etiam deinceps concisus, pari omnes ratione sese moventes exhibuit, ita ut, nisi vulnera recentia comparuissent, totidem illos separatim natos, ac sibi quemque vixisse credidissent, lib. de quiete animæ c. XXXI. Nos etiam hoc observavimus: Tribus præcipuè sui partibus lumbricos terræ inniti, capite, corpore medio, & extremâ, si sic vocare liceat, caudâ. Prout verò hæc aut illa pars firmatur, ita reliquæ interea sive extenduntur, sive contrahũtur. Sed hac de re cuivis liberum judicium relinquamus, cùm certè & microscopiis eam, quam mereri videntur, fidem, haut pauci habere detrectent. Ad Venam Medinensem, cui vermicularem motum Ebnsina elegantissimè adscribit, quidnam ex istis omnibus pertineat, dispiciamus. Hanc ipsam vermem esse, sed sui generis capite sequente probare incipiemus: ideoque motu contractionis atque extensionis eam moveri credimus. Ipse enim Ebnsina noster de processibus vermiformibus l. supra c. hunc motum vermibus adsignat his verbis: أن يتمدد وأن يتقلص كالدود *Ut posit extendi & contrahi sicut vermis.* Sed & Leonides ap. Aëtium in curatione dracunculi brachium filo constringit, *ne animal recurrat.* Et Plutarchus IIX Sympos. IX ex Agatharchide de dracontiis scribit: ἁψαμένων ἢ αὖθις ἀνεδύετο: quæ verba Hieron. Mercurialis II. Var. XX. non benè vertit: *Si tangebantur, statim emergebant.* Rectius Jo. Langius II. epist. XLII. *contrectata verò rursus se illatebrant & fugiunt:* quamvis duæ extremæ voculæ in Græco non legantur. Rectissimè cæteri interpretes: *ac si attingeret quis, refugiebant rursus intrò.* Quod utique aliter fieri non poterat, quam motu quodam contractionis, cum quo extensionis alter semper conjungi, & vices alter-

alternare ſolet. Armenii ſuo idiomate, uno vocabulo eleganter exprimunt : قرقيزال *q. inquietudinem dixeris ſenſim facta progreſſione :* قرقيزرز A quo tamen omninò differt motus ille vermium, cujus Galenus ex ſententia Democriti l. de diff. pulſ. XXVI. mentionem injicit de pulſibus undoſo & vermiculante verba faciens, quorum utrique commune aliquid, & aliquid proprium concedit: κοινὸν μὲν ἀφ' οὗ καὶ τὸ ὄνομα ἑκατέροις, τῷ μὲν κοματώδει, τὸ οἷον κύματα ἐπανίστασθαι κατὰ τὴν ἀρτηρίαν, ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ: τῷ δὲ σκωληκίζοντι σκώληκος ἐοικέναι πορείᾳ, καὶ αὐτοῦ τοῦ ζώου τούτου κυματοειδῶς κινουμένου, καθάπερ καὶ Δημόκριτος λέγει που περὶ τῶν τοιούτων διαλεγόμενος, τῶν ὅσα κυματοειδῶς ἀνὰ τὴν πορείαν πλάζεται. Vertente Hermanno Cruſerio : *Commune quidem, unde nomen uterq́; invenit, undoſo exſurgere, q. undas in arteria alteram ab altera: Vermiculanti, vermis ſimilem eſſe greſſui, quod ipſum etiam animal in modum undarum movetur, ut Democritus quodam loco dicit, ubi de iis verba facit, quæ in modum undarum progrediuntur.* Hic enim motus undoſus eſt, quem primo loco Fabricium erucis & hirudinibus adſignâſſe ex Philoſophi mente ſupra diximus. ἡ κύμανσις Ariſtoteli περὶ ζώων πορείας c. IX. qui ἀπὸ τῆς κάμψης non diſtinguebat, ſerpentibus propria, ut ἡ ἰλύσπασις lumbricis & ſanguiſugis, quæ dracunculis quoque ſeu Venæ Medinenſi magis convenire videtur.



CAPUT IV.



A Signis ad ipſam adfectus naturam ſeu definitionem progrediamur. Quid enim verè ſit Vena Medinenſis, Jo. Gorræus in defin. Med. neminem Medicorum explicare poſſe autumabat, qui quidem Europam incolunt, unde eandem opinionem Barthol. Caſtellus, & Adrianus Raveſtenius Lexicis ſuis medicis inſeruerunt. Gregor. Horſtius part. I. epiſt. Med. ſect. II. litem adhuc ſub judice eſſe ait. Jo Heurnius in epiſt, c. dracunculos morbi genus valdé monſtroſum legenti ſibi viſum fuiſſe narrat, & poſtquam varias auctorum opiniones recenſuiſſet, quid tandem dicas? addit. *Rem incertam.* Ant. Saporta IV. de tum. XII. ulterius provectus priſcis etiam Medicis vix cognitum adfirmabat. Nos tamen re etiam apud magnos viros deſperata, non perterrebimur, ſed operam dabimus, ut certi quidpiam de hoc adfectu eruamus, litemque omnem amicè tandem componamus. Quicunque igitur hunc usque in diem de Vena Medinenſi ſive dracunculis aliquid literarum monumentis conſignârunt, in IV. ſententias abire comperiuntur, quarum duas maximè veroſimiles Ebnſina adlegat, & duas nos ex aliis præmittemus. Prima igitur illorum fuerit, qui venam, ſecunda qui tumorem vel abſceſſum, tertia qui nervum ejusve partem, quarta qui vermem ſeu lumbricum eſſe opinantur. Singulas ſigillatim expendamus. Fuiſſe qui Venam in controverſiam adduxerint, Amatus Luſ. in Schol. Centur. VII. cur. LXIV. adſeveravit, auctorum tamen nomina non expreſſit. Jo. Bapt. Montanus initio tr. de morb. Gall. *Habetis*, inquit, *ap. Arabas, quod erat quædam ægritudo, quam venam Endimini appellabant, quæ talis erat, quod in vena & arteria concreſcebat ſanguis, & videbatur fieri ſicut ſerpens quidam, & difficillimè curabatur.* Alzaravius quoque antiquior *venam albam exire* prodidit, ut ante jam obſervavimus, cùm de colore ageremus.

Guido

Guido Cauliacensis tr. II. Chirurg. c. IIX. *Venam ad modum varicis & vermis voluntariè moventis elongatam esse*, scribit. Leonardus Bertapalea in IV. Ebnsin. tr. I. c. XXVII. medium quid inter venam, velum (villum potius nerveum) & vermem constituit. Sed ut ab ultimo hoc incipiamus, non opus erat rem ante satis dubiam, commento hoc mediatorio ulterius obscurare. Guidonem supra jam reprehendimus, quod Venam Medinensem cum varicibus permutârit, ideoque nil attinet, eandem cramben recoquere. Cumque opinionis suæ nullam aliam rationem attulerit, ne quidem hominem pluribus morari fas est. Naldius certè eundem, ut videtur, sequutus, nec ipse tamen quidquam attulit, nisi quod varicibus tantum aptari queat. l. supra c. Alzahravius verò dum venam albam nominat, similitudinem innuere voluit, unde, quod verè venam putaverit, nequaquam concludi potest: quemadmodum & Ebnsina noster eandem ob causam Venam vocavit Medinensem, non quod revera venam esse existimârit. Montanus denique nihil horum satis intellexit, quippe qui & nomen fœdissimè corrupit, & causam adfectus ignoravit, ejusque curationem difficillimam constituit, quam Ebnsina noster periculo vacare adfirmavit.

Tumorem & abscessum à fervore sanguinis in genere venoso genitum primus omnium Ambrosius Paræus VII. Chir. XXI. pro dracunculis in Medicinam invehere magno impetu ausus est: nam de successu postea videndum erit. Sic autem ipse de se ibidem loquebatur: *Me pudor meus adeò continere non potuit, quin eligerem audacis in aggrediendo potius opinionem subire, quam quantum in me esset, permittere, hanc de dracunculis quæstionem diutius ambiguam & indecisam manere.* Bonum sanè factum, sed longè melius futurum, si facultatem voluntati parum attulisset. At ille rem ferè cum Græcis, imò cum solo Aëtio transigit, Arabas ne inspexit quidem, & semel tantum in tam prolixa disputatione Ebnsinæ nostri mentionem facit, cujus tamen mentem è versione vulgata, indocta pariter & inamœna non potuit rectè intelligere. Videtur quidem huic tumoris persuasioni favere,

quod Rafæus XXVI. Contin. tr. II. c. I. de ſanguinis deſiccatione, cum acrimonia doloris & calore commemorabat, nullo auctoris nomine expreſſo, niſi Galenum innuere voluerit, cujus tamen multum diverſa ſententia erat. Neque abludunt, quæ ex innominato alio de ſanguine craſſo viſcido & calore intenſo in longitudinem venæ, in qua fiat, extenſo ibidem recenſebat. Unde mirari ſatis non poſſumus doctiſſimum Heurnium epiſt. c. & forſan etiam Aldrovandum II. de ſerp. & drac. I. in Paræi ſententiam promptiſſimè tanquam pedibus conceſſiſſe, cum tamen leviſſima argumenta nulliusque roboris aut momenti pro illa adduxerit. Nos ea ordine examinabimus atque efficiemus, ne quisquam poſthac pro vena Medinenſi, tanto tumore tumores nobis oggerat. Altius iccircò exorſus: *In præſens*, ait, *ſic de ea ſtatuam, ut refutatis veterum opinionibus meam de hujus morbi eſſentia, & curatione ſententiam certis rationum momentis ſtabiliam.* Laudari poſſet inſtitutum ſi veterum contemptus abfuiſſet, quos utique omnes conſulere debebat, antequam ſpretis omnium ſententiis novum paradoxum confingeret. Nos enim unà cum Plinio ſecundo V. epiſt. IIX. invenimus apud ſapientes honeſtiſſimum eſſe, majorum veſtigia ſequi, ſi modò recto itinere præceſſerint. Sed pergit ille: *Primùm enim*, inquiens, *quod dracunculi neq; quid animatum exſiſtant, neq; lumbricis ſimiles ſint, vel ſimilem latis alvi lumbricis generationem obtineant, quæ Aëtii opinio fuit, facile eſt, tùm ex ejus ſcriptis, tùm ex ipſa ratione convincere.* Nimis temerè: *quod neq; lumbricis ſimiles ſint.* Nemo enim hoc ſibi unquam, præter unum Paræum negandum aut refellendum ſumpſerat. Ebnſina certè noſter, qui dracunculos ſæpius conſpexit, lumbricis ſimiles non obſcurè, innuit, ut ex ſuperioribus intelligi poteſt. Arabes quoque reliqui & Medici plerique barbari lumbricis ſimiles adſeverârunt. E Græcis verò præter Aëtium Paulus Ægineta clariſſimè: *τὰ λεγόμενα δρακόντια*, inquit, *σαλεύεται καθάπερ ἑλμινθώδη τινὰ ζῶα.* Galenus longè clarius: *τὰ καλούμενα δρακόντια γίνεται νευρώδη μὲν τὴν φύσιν ἔοικεν δὲ καὶ τῇ χροίᾳ καὶ τῷ πάχει παραπλήσια.* Et quamvis hic dracontia nun-

quam

quam viderit, à testibus tamen fide dignis, quia oculatis, accepit, quos, utut in reddendis causis eorum falli potuerint, in hac tamen similitudine, quæ in sensus incurrit, halucinatos esse, nunquam in Paræi gratiam crediderimus. E recentioribus quoque Amatus Lusitanus, morbum hunc velut lumbricum conspici, testis & ipse oculatus, candidè profitebatur. Adeò ut sensu fidem faciente nil opus esset rationibus. Sed audiamus tamen Paræum, quid contra Aëtium machinetur: Hæc enim mox sequuntur verba: *Scribit ille latum vermem, quem Tæniam appellat, veluti metamorphosin & permutationem esse tunicæ interioris graciliorum intestinorum in corpus vivum animatum & mobile: at nemo dixit, nec ipse fatebitur, dracunculos ex tunica venæ, in qua latent, vel ex fibris nervosi corporis, cui sæpe adsident, multò verò minus ex cute sub qua habitant, ortus sui materialem causam ducere.* Primò ipsum Aëtium videamus, cujus hæc verba sunt: *Est autem latus lumbricus, si ita dicere libeat, permutatio pelliculæ intrinsecus tenuia intestina ambientis, in corpus quoddam vivum.* At verò Paræus dracunculum, cui Aëtius similem lumbrici lati generationem tribuit, non esse corpus animatum & ratione, & ex ipso Aëtio probaturum se receperat: Jam verò suo se gladio jugulat, sibique ipse contradicit. Cùm enim Aëtius lumbricum latum pro vivo quodam corpore habuerit, omninò etiam dracontia animata esse credidit. At quanti deinde ponderis est, cùm ait, neminem dicturum dracunculum ex tunica venæ in qua latet, oriri? cui enim unquam in mentem venit, dracunculos in ipsas venas detrudere? Placuit quidem id Paulo Cortesio Meldensi, pererudito viro in thesi Medica, an totus homo à Natura morbus sit? quam Beverovicius quæstionibus suis epistolaribus inseruit p. 234. sed tota illa tractatio declamationi, quã disputationi similior videtur: quidquid etiam de thesibus Parisiensiũ Medicorum peculiari methodo conscriptis Renatus Moræus in vita Guil. Ballonii differat. Apparet quoque rudioribus, & quasi per nebulam Galenũ intuentibus, ac si dracunculis eundem generationis locum, quem trichiasi adscripsisset, (sive, ut Plinius vocat

vocat XI. 37. setarum capillamentis in hominum vesica diro cruciatu nascentibus,) quod sanè vellemus magno etiam viro, Gaspari Hofmanno non excidisset III. Inst. Med. c. LXXIV. §. XII. sed nos ipsum ab isthac injuria postea liberare conabimur. Quæ autem de fibris nervosi corporis & cute ipsa subjungit Paræus, aut planè aliena sunt, aut etiam contra ipsum faciunt. Aëtius enim nihil de natura lumbrici lati confidentius adfirmavit, quam vel ipso judice non veram permutationem, sed veluti metamorphosin interioris intestinorum tunicæ vocabat, quod Janus Cornarius per hæc: *Si ita dicere libeat:* Gabucinus c. III. *Ut quispiam dixerit:* expressit. Nec multùm aliter auctor libri IV. de morbis: ἔστι δὲ τὸ εἶδος αὐτῆς ὁκοῖον περ ἐντέρου ξύσμα λευκόν. *Est autem ejus species velut album intestini ramentum.* Nimirum cùm de illius generatione jam olim celeberrima controversia agitaretur, Aëtius nil temerè adfirmaturus, ut tamen aliquid diceret, modestissimâ sententiæ suæ expositione usus est. Neque aliò fortasse reducenda erat singularis observatio Valentini Junioris, Medici Veneti, de ejectione membranarum sanguinolentarum per secessum, formam viperæ referentium. Et quod de nobili hypochondriaco Dilleburgi intestinis similia dejiciente à potu acidularum memoravit Jo. Daniel Horstius manuduct. ad med. part. I. c. II. sect. II. artic. II. §. XI. Sed hæc omnia transire patiamur, nulla tamen consequentia est, quia Aëtius dracunculorum naturam non benè perspexerit, nec alios perspicere potuisse. Certè Paræus, qui veterum sententias se eversurum minabatur, cum veteribus quoque disceptare, non autem veteres omnes ex unius Aëtii scriptis æstimare debuisset. Age verò, fingamus Aëtium interiorem intestini tunicam in lumbricum latum permutari seriò credidisse quid igitur vetabit, siquidem ita sit, eum & in cruribus ac brachiis simile animal generari pari errore existimâsse? sive è fibris nervosi corporis, ut loquitur Paræus, sive cute, sive quod mirum est ipsi in mentem non venisse, è tendinibus aut ligamentis, quorum in dictis partibus sat magna copia superest? unà cum nervis ligamentalibus ex ipsis ossibus oriundis, quos colligatorios

Gale-

Galenus appellat Comm. in IV. Aphor. VII. & in VI. Epidem. à proæreticis Herophili omninò distinguendis, ut hos vocabat Rufus Ephesius lib. III. c. ult. Neutrum pofectò altero absurdius aut probabilius videri debet. Alterum Paræi argumentum à putredine desumptum est, quam vulgi opinionem sequutus genuinam vermium materiem supponit, mox in dracunculis nullam adesse probat, partim quod humor melancholicus, qui omnium suffragio materiam præbeat dracontiis, non tantum putrescere nequeat, sed etiam putredini resistat, partim verò quod nullus fœtor in iisdem observatus sit, qui tamen putredinis accidens sit inseparabile. Febriculosum argumentum! & quod ipsæ etiam febres refutârint. Nos, ubi humorem putridum materiam generandis vermibus subministrare facilè concedimus, ita quod nunquã sine putredine lumbrici gignantur, vicissim nemo temerè negabit. Humorem præterea melancholicum putrescere posse, quartanæ febres Paræum edocebunt, ut quas Dogmatici omnes ex illius putredine deducunt, etsi jam olim hac de re quosdam dubitâsse referat Alex. Trallianus XII. 1. Quid? quod nec Galenus, nec Ebnsina de solo humore melancholico loquantur, sed etiam pituitæ simul expressam mentionem faciant. At in omni putredine fœtorem desiderare, quid aliud dicemus, quam putidas argutias? Ututenim Galeno perpetuam hanc & inseparabilem notam habitam contra Eustachium Rudium urgere conatus sit Theodorus Angelutius in Bactriis, quæ sic vocabat, suis, III. plag. I. multa tamen imperitius protulisse, nec pauciora præter viri meritum & contra modestiam suam, dum rudem ubique & rudentem conviciabatur, impotentius effutiisse, satis manifestum putamus. Certè nec omnia, quæ fœtent, putrida sunt, nec omnia quæ putrescunt, fœtent. Vix una vel altera febrium est, quam Medici non tradant ex humorum putredine subnasci, qui tamen fœtorem in iisdem aut nullum observârunt, aut nondum descripserunt, quod in dracunculis Paræus frustra requisivit. Neque etiam opus erat omnia talia à Medicis vulgari, cùm in curatione nullam considerationem mereantur. Tertia Paræi ratio ne

 cassâ

cassâ quidem nuce digna est: ait enim: *Quod verò spectat ad causam efficientem, unde calor tantus subcutaneis in locis excitari queat, cujus efficacia ex materia melancholica ad putrendum ineptissima tantum animal efformari queat, quale nobis dracunculi effingunt, qui corpus nostrum monstris fœtum comminiscuntur.* Quasi verò causa efficiens vermium primaria calor esset, aut tantus æstus iisdem excludendis requireretur, quantum Paræus somniat, aut denique in partibus frigidioribus, quam illæ subcutaneæ sunt, majora animalia nunquam prognata essent. Intestina sanè ab omnibus frigidæ temperiei putantur, in quibus tamen tænias longissimas generari ne medicorum quidem pueri ignorant: carnosæ autem partes, in quibus dracontia subsistunt à Galeno aliisque omnibus calidæ perhibentur. Quartum argumentum Paræus à causa ut vocat, coadjuvante decerpit. Hanc nullam adesse, adeoque nec effectum sequi sic probat. Aut enim in ciborum humiditate consisteret, quæ vermes puerorum exemplo producit, aut in aëre nebuloso, tepente, & crasso, qualis primo vere esse soleat, cùm omnia ranis, bufonibusque & similibus è putredine natis animalculis perstrepunt. At Ebnsina dracunculos hominibus calidos & siccos cibos adsumentibus magis familiares ait, quam qui humidis vescuntur: & regiones quoque in quibus generantur, calidissimæ siccissimæque esse feruntur. De cibis primò omnium agamus. Hos ad causas cooperantes referre, quæ à Philosophis inter efficientes numerari solent, Chirurgo possemus ignoscere, ni ille vert. Medicos & Philosophos omnes præ se fœnum putasset. Cibi qualescunque cùm vermes non generent, sed potius è cibis vermes generentur, non erant inter causas coadjuvantes, sed materiales, & quidem remotas, reponendi: Juvare enim, aut quæ vox Paræi est, coadjuvare, agere est, seu aliquid efficere, materiæ verò proprium est pati. Nec obstat quod συναίτια omnia latius accepta, Cicero per adjuvantia causarum expresserit, notante doctissimo Turnebo præfat. in Tim. p. 48. nec enim in cæteris quoque Græcorum transferendis magnum successum conatus illius habuerunt,

runt, nec ipſe difficultatem propemodum deſperans, aliquando diffitebatur. Nulla autem apud Ebnſinam Contradictio eſt, qui cibos calidos & ſiccos cauſam dracunculorum poſuit. Cùm enim vulgari opinioni unà cum ipſo Galeno inhæreat, lumbricos nempe latos è pituita putrida à calore exſiccante generari, qualitatem cibi potius ad temperamenti mutationem & caloris exſiccantis productionem videtur nobis retuliſſe, quam ad materiam è qua dracunculi naſcantur. Præterea & ipſe Ebnſina pituitam diſertiſſimis verbis humori melancholico adjecit, adeò ut planè nihil cauſæ fuerit Paræo humiditates tantoperè expoſcendi. Et quamvis cibus cal. & ſiccus ad pituitæ generationem nihil conferat, facere tamen poteſt ad ejusdem aduſtionem atque exſiccationem, quam Ebnſina & Raſæus quoque l. c. diſertè nominant; Ad generationem item ſanguinis vitioſi, calidi, & melancholici quem pituitæ adjungit, & quem uterque craſſum, corruptum, viſcoſum, humori phlegmatico congelato permixtum, alimentorum inprimis milii, ſiccitate genitum (de quibus poſtea) adducunt. Neque enim neceſſe eſt eandem per omnia generationem dracunculi exſiſtere, quæ lumbricorum in inteſtinis dicitur, cùm vermis ſit ſui generis, lumbricis inteſtinorum aliquatenus quidem ſimilis, non tamen lumbricus, ut ſic dicamus, inteſtinalis. Quod verò de regionibus Paræus adjicit, omninò plebejum & penè puerile eſt. Ex aëre nebuloſo, tepente, & craſſo, vermes, aut etiam, quos ridiculè intrudit, bufones & ranas generari, quis unquam ſtatuere auſus eſt, illorum, qui maſculè philoſophantur? aut quis Paræo credat, ver ſemper nebuloſum eſſe? Hippocrates certè, qui III. aphor. XI. nominavit ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ſequente aphor. XII. etiam ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον producit, quam vocem non ſiccitatem ſimpliciter, ſed illius exceſſum denotare eleganter advertit Ballonius lib. II. Epidem. & Ephem. p. 147. ſed & Seneca epiſt. LXVII. veri fidere aliquando recuſabat, quod ſæpè in hiemem revolvatur. Sunt enim αἱ τῶν ὡρέων μεταβολαὶ ἢ μεταλλαγαὶ variæ: adeòque perpulcra eſt hiemis deſcriptio vernam conſtitutionem referentis, quam Homeri verſibus comple-

xus est Christoph. Longolius II. epist. ad Petr. Bembum. f. 190. Nativa autem veris constitutio, non crassa aut nebulosa, sed temperata esse docetur. Unde pereleganter Cardanus Comm. in Hippocr. de aër. aq. & loc. lect. LXXXVI. in t. VI. ver aliquando sine temperie, & æstatem sine calore adnotabat. Neque est cur Paræus è calidissimis siccissimisque regionibus intempestivo beneficio insecta omnia expellat. Non minor ibi vermium & aliorum animalium ac insectorum proventus est, quam locis frigidioribus. Quid? an ignorare potuit, tunc muscarum, culicum, similiumque esse plurimum cùm caletur maximè? aut, si ad hæc minora supercilium ducat, monstris tantum & prodigiis intentus, nunquamnè audivit Africam semper aliquid apportare novi? quam tamen Oppianus III. Cyneget. v. XXXV. διψάδα γαίην, & IV. v. CX. λιβύων πολυδίψιον αἶαν, siticulosam Afrorum terram, Synesius epist. LXVI. διψηρὰν: Porphyrius in vita Pythagoræ ἄνυδρον appellat. Vt taceamus, quod ipse æstum maximum ad generationem vermium requiri in præcedentibus nugetur. Quintum Paræi argumentum, quo dracunculos exanimare tentat, nullius efficaciæ est. Putat enim *tam monstrosum animal gigni non posse in loco subcutaneo, in quo nulla ad nutritionem capacitas animadvertatur, quem tepidus & suffocans calor non adflet, quem sordes crassiores non inquinent, & in quo tenues non commorentur, sed transspiratione exhalent.* μέγα λίαν αἴτημα est, capacitatem loci extra animal ad nutritionem requiri. Augmentum credo dicere voluit. Quasi verò sub cute atque etiam inter musculos nulla sit pro verme aliquo capacitas! At quid deinde est à tepido & suffocante calore adflari? quis unquam calorem tepere quis suffocare audivit? Miræ ineptiæ! quas, nisi Paræus, nemo sani cerebri probabit. Jam igitur lacerti seu partes subcutaneæ non calebunt, imò ne tepebunt quidem, si Paræo visum fuerit, ut frigeant. Sordes profectò sunt crassissimæ, quæ de sordibus tam crassis, quam tenuibus adjecit. An crassiores humores ad cutem & musculos nunquam perferuntur? an tenuiores non solent, densatis poris, p. n. sæpissimè detineri? Nam dracunculus quidem

morbus

morbus eſt, in quo ſi aliquid p. n. accidat, nemo, uti ſpes eſt, jure poterit mirari. Hæc itaque inſtructa argumentorum acies eſt, quam Paræus in dracunculos eduxit, cujus tamen robori libero campo non ſatis fiſus conſtituit demum illos intra muros adoriri: Nec mora, teſtudines, & Scorpiones, & arietes expedire incipit, quibus omnia diruat, & peſſundet. Sic enim ſcribit: *Sed rationum illis machinis parum profecerimus, niſi unà præſidia omnia, quibus vetus illa de dracunculis opinio niti & ſtare poteſt, dejecerimus.* Agnoſcas animum planè militarem! Nos tamen dracunculis delectos veteranorum manipulos ſuppetias mittamus, qui præcipitem hanc Violentiam morentur, & frangant. Pergit enim ille: *Primum inquiunt, cur veteres id morbi genus rei animatæ, h. e. dracunculorum nomine expreſſiſſent?* Nemo ſanè, quod ſciamus, hoc argumento, ut vitam dracunculis adſereret, unquam uſus eſt, neque nos in Paræum plumbeis ejusmodi telis, pugnamus. Unde, quæ de morborum nominibus adfert, dracunculos non feriunt. Addit: *Sed unde, inquiunt, manifeſtus in illa materia motus, ſi inanimata exſiſtit? Dicimus humorem hujus morbi cùm tenuem & fervidum eſſe, atq; adeò cum impetu in partem decurrere, unde moveri videri poſſit?* Nos motum dracunculorum verum & animalem rectè ſtatuimus, quem Ebnſina noſter vermicularem appellat. At humor ille fervidus & tenuis, quā friget! quam craſsâ Minerva huc deducitur! Mirum eſt Medicos in aliis defluxionibus, quæ ſatis frequentes etiam ad cutem contingunt, nullum humoris motū cernere, qui animalis ibi latentis ſuſpicionem pariat! Saltem diverſitatis cauſam Paræus edidiſſet. Et cur paullò ante negaverat, tam craſſas quam tenues ſordes ad cutē delabi? quibus dracunculi alantur? cùm tamen humores jam ipſa animalia motu ſuo ſub cute referre putet? Cur capacitatē humori influenti concedit, quam ante partibus ſubcutaneis detraxerat, ne fateretur animal illic ſtabulari & nutriri poſſe? Nondum finis eſt: Ulterius progreditur: *At cùm dracunculi ſuppurantur, caput è ſuis tanquam latibulis exſerunt? Reſpondemus hac in re valdè deceptos eſſe veteres.* Quæ quidem intolerabilis arrogantia eſt.

Paræus enim qui tota vita sua nunquam dracunculos conspexit, veteres, qui se sæpius vidisse testantur, persuadebit scil. ut, quod viderint, vidisse tamen non credant? aut etiam erroris insimulabit, in re sensibus exposita, cujus tamen ipse nullum unquam experimentum cepit? ait: *Nervosum aliquod corpus se proferre renudatum, oculisq; subjicere, quod convulsivo & vibrato suo motu dracunculi sinuosas jactationes exprimat.* Profectò Paræus dum tantâ ingenii contentione dracunculos impugnat, memoriam videtur penitus perdidisse, adeò, quæ dicit, statim iterum confundit & convellit! Qui nobis è fervido humore animalia effinxerat, postquam unicâ objectione calor ille refrixit, in corpora nervosa transmutat. Quid igitur opus erat, in veterum sententias debacchari? Certè Soranus jam olim dracunculos pro nervo, aut nervoso corpore haberi voluit, ut Paulus aliique testantur, cujus tamen opinionem mox conficiemus. Quorsum deinde convulsivus & vibratus ille motus? an nervis aut corporibus nervosis naturalis est, vel secus? Si naturalem dixerit, omnes promiscuè dracunculis laborarent. Sin p. n. quî potuit hoc adfirmare? cùm ipse nunquam viderit, & qui dracunculos viderunt, convulsionis nullam mentionem faciant? At quod de dolore subnectit, argumentum est satis firmum pro anima dracunculorum, Paræus tamen id aut non rectè intellexit, aut inscitè pervertit. Nimirum non quod dracunculi violentius tracti aut abrupti dolorē pariant, propterea vivere dicuntur, sed quod ipsimet quoq; dolorē sentiant, propterea eos vivere conclusio valet. Sentire autē & dolere hinc constat, quod paullò durius contrectati intrò refugiant, ut supra è Plutarcho & Aëtio retulimus. Ubi Paræi quoq; inconstantia notanda: *Non enim*, inquit, *dolores illi cientur, nisi cum Chirurgus malè cautus pro dracunculo nervosum corpus seu membranosum aliquod humore adusto turgidum & imbutū trahit & vellicat.* Annon enim dracunculum nervosum corpus, & vett. ipsos eo deceptos esse modò adfirmârat? cur igitur Chirurgus, qui nervosū corpus trahit, dracunculū tamen non trahit? aut cur incauti ignominiosū nomen subibit, si pro dracunculo extrahendo nervosum corpus extrahat? siquidem dracunculus & corpus nervosum

tosum unum idemq; fuerit? Sed ut Paræus tandem aliquando disputationem suam concludat, nervoso etiam corpore abjecto, ad tumorem vel abscessum in genere venoso à fervore sanguinis exortum revertitur, quem teretem & longissimè protensum variis symptomatibus stipari licenter nimis adserit. Cùm enim dracunculos nunquam viderit, aut curaverit, fecisset sanè rem suâ modestiâ longè digniorem, si iis, quibus curandi obvenerunt, fidem habuisset. Denique cùm tumorem interdum in anfractus Varicosos protendi dicat, & supra in genere venoso consistere adseveret, vero simile est, eum ad Guidonis Cauliacensis & Saliceti opinionem, quam proximè accedere, qui, quoniam Venam Medinensem cum Varicibus confuderunt, in supradictis à nobis non injuria fuerunt castigati. Cumque curationem tumoris sui eundem constituat cum illa, quam inflammationibus adhiberi consuevit, hoc uno specimine evinci potest, dracunculos non esse inflammationes, quandoquidem curationem diversissimam Ebnsina & Medici omnes iisdem adsignârint. Quanquam enim nos quoque in præcedentibus tumorem, è pustula in Venæ Medinensis principio exortum inflammatorium, sed illegitimum pronunciaverimus, non tamen in eodem essentiam morbi constituimus, sed potius eruptioni dracunculi accidere tantum existimamus, ut qui jam ante in parte aliqua corporis genitus subsistebat, non qui suppuratione in vesicam atque postremò in ulcus vermiculare transiisset, quod aliis persuadere conabatur Jo. Colle Comm suo c. 1. citato, cujus tamen verba adeò absona sunt, ut sola enarratione abunde refellantur, & mirari queamus, à viro Medicinæ cæteroquin scientissimo proficisci potuisse. Sic enim ille: *Pustula vesicans desinit in fistulam sive vermicularem corrosionem, & ulcus cavum corrosivum, quod est vermis; Hac ratione appellatur quasi animal, quod ad similitudinem vermis tortuosè progreditur, sed est tumor crassus viscidus salsus, qui cavernas corrodendo per longitudinem producit & egreditur pus secundum longitudinem vermis, & adsimilatur vermi & animali.* Paucisque interjectis: *Est tumor inflans desinens in vesicam, deinde in*

de in ulcus vermiculare, ut plurimum crurum & manuum produ-ctū ab humore adusto & melancholico excremento adusto & phlegmate salso. Cùm sit tumor inflans, est aucta magnitudo. Inflat & vesicat, sicut facit fermentum triticeum massam, quia tenuior pars elevat cutem, pars verò crassa & adusta, calida & sicca, vel salsa sensim, & sensim corrodit profundè & ad similitudinem vermis in longum tendit. Pus quod egreditur est rubrum ad nigredinem tendens: Hic verò humor vel salsus est vel adustus, causa conjuncta ipsi ulceris & tumoris. Nimirum non intellectis verbis, & ignorata linguæ proprietate, sensus quoque ipse difficilis, & sententia obscura. Paræo igitur, unà cum isto, multum valere jusso ad Ebnsinam nostrum nos conferamus, ut reliquas duas opiniones ex ipso audiamus. Postquam enim vermicularem motum Venæ Medinensi tribuisset, hæc addit: *Ita ut quidam existimaverint animal esse, quod gignatur. Nonnulli verò putârunt partem esse filamenti nervi corrupti & crassefacti.* Idem ferè & Paulus Ægineta, cùm δρακόντια καθάπερ ἑλμινθιάσει τινὰ ζῶα produxisset, aliquot versibus interpositis subjungit: ὁ δὲ Σωρανός, οὐδὲ ζῶον τὴν ἀρχὴν, ἀλλὰ νευρίου τινὸς σύστασιν οἴεται τὸ δρακόντιον, δόκησιν μόνον ἐμποιοῦντος τοῦ κινεῖσθαι. Jani Cornarii Versione: *Cæterùm Soranus neque omninò animal, sed nervi alicujus concretionem dracunculum esse putat, qui opinionem solùm inducat, quod moveatur.* Soranus iste Ephesius inter Methodicos ab auctore Introd. Med. Galeno perperam adscriptæ, c. IV. numeratur, quorum alios ἐπισυνθετικούς, quasi adjunctos, alios ἐκλεκτούς, delectos, ap. Græcos appellatos fuisse ait: eodem fortasse modo. Quo ap. Romanos alii numerarii, alii supernumerarii dicebantur, quod si ita sit, dubio procul inter τοὺς ἐκλεκτοὺς recenseri debet, ut quem illius Sectæ principem plerique perhibuerunt. Hic igitur primus dracunculum nervosum constituit, qui autem eum postea sequuti fuerint, non satis constat, si unum excipias auctorem defin. Med. cujus hæc quoque sententia erat: δρακόντιον ἐστὶν ἕλκος, φέρον ἐπ' αὐτὸ ἔχον νεύρου ἀπὸ τοῦ πλησίου μέρους. εἴρηται δὲ δρακόντιον, ἐπεὶ ἐν ταῖς κινήσεσιν ἀναχωρεῖ τὸ νεῦρον ἐπὶ τὸ ἕλκος καὶ κρύπτεται ἐν αὐτῷ. Interprete

prete Barthol. Sylvanio: *Dracunculus est ulcus, quod à parte propinqua ad ipsum nervi delationem habet, dictus quod nervus movendo corpore in ulcus recedat, in eoq; occultetur.* aut ut Henricus Stephanus rectius exponit: *dictus est autem dracunculus, quod nervus in motionibus ad ulcus abscedat, in eoq; occultetur.* Præter hunc & Julius Pollux: ἐκ τῶν περὶ κνήμας καὶ μηροὺς ἑλκῶν ἐκπίπτον τι νευρῶδες ἐφθαρμένον nominat. Hic tamen Medicus non errat. Quocirca Sorani opinionem paucis examinabimus, & nervum non esse convincemus. Appellat autem νευρίου τινὸς σύστασιν. Cornarius: *Nervi concretionem* reddit, non malè, quamvis &, *crassamentum & spissitudinem* apud Medicos creberrimè significet, quomodo & Ebnsina noster videtur accepisse. Gerardus in veteri editione Veneta, corruptione omissa, vehementiã tantum crassitudinis nominabat. Rationes autem quibus sententiam suam firmaret, Soranus quidem nullas adduxit, neque ab aliis ullas exponi videmus. Solus Adamus Lonicerus in pathologia sua, quam primo capite citavimus, postquam Soranum dracunculos nervosam quandam substantiam credidisse dixit, hanc rationem subjicit: *Hinc abruptus dolet & movetur, nervorum enim proprium est, moveri & sentire.* Verum nos Venam Medinensem non esse nervum corruptum & crassefactum sequentibus argumentis demonstrabimus. Primò enim quamvis Soranus opinionem tantum inducere existimet, quod moveatur, sunt tamen longè plura aliorum testimonia, qui verè moveri dracunculum adfirmant. De Agatharchide è Plutarcho suprà jam dictum. Paulus δρακόντια κινούμενα σαφῶς describit, sive ut Ms. Codex Bibl. Augustanæ habet: ὑπὸ τὸ δέρμα σαλεύονται καὶ κινοῦνται. Aëtius nihil dubitans: *sub cute*, inquit, *moventur nihil molestiæ adferentes.* Jo. Actuarius: *Ceu lumbrici gignuntur & moventur.* Et Ebnsina noster disertè: *Interdum motum habet vermicularem.* Innuens, *Interdum non esse motum evidentem*, quod fortè aliis imposuit, ut nunquam manifestum crederent. Obscuri sanè motus vermem Spigelius expertus est tr. de lumbric. lato c. VII. ita ut motum sub cute evidentem non semper inter pathognomonica referre

ferre liceat, quamvis sic visum sit Ebn Jezlæ l.c. Quin multa etiam insecta aliaque corpuscula naturalia, vulgo immota credita, moveri tamen observavit Borellus in Microscopicis suis obs. XCIII. Gentilis autem Fulginâs Comm. in l. c. *interdum quidem vermem, interdum autem vermiforme quid tantum* pronunciabat. Verba ipsa, licet horridiuscula ex sæculi, quo vixit, genio, addamus: *Et forsan potest esse animal, & non animal. Est enim materia quædam formata ad modum vermis, & possibile est, quod animetur, & quod non. Vidimus ab intestinis exire vermes, & materias formatas, ad modum vermium, quæ tamen non sunt animata.* Quod nec Francisco Bonamico pellicularum exemplo absonum videbatur II. de alimento XIV. ne quis capillos in serpentes migrantes quorundam credulitate oggerere posset. Ideoque ad plantanimantia sive Zoophyta satis commodè referebat, solo tactu pollentia, unoque tantum viventium gradu. c. XI. quemadmodum & λύτται sive vermem canum sublinguem: triplicem vitæ modum definiens: *absolutum, & in alio sive ut matrice, sive ut parte.* Latius utique rerum sensus diffunditur, & suo quodam modo non vegetabilibus tantum, sed illis etiam miscetur, quæ vulgò inanima dicuntur, unde σπογγόφυτα καὶ ἐμπυρόφυτα, non secus ac Ichthyophyta de quibus Athan. Kircherus Itin. submarin. Dialog. III. c. I. κεραττόφυτα, quo pertinet cornu plantabile Goanum ap. Hug. Linscot. c. LXI. & Borellum Cent. IV. cur. LII. γαιόφυτα item, ut lignum in Boli naturam conversum, quale Aldrovandus quondam Gesnero communicaverat tr. de fossil. f. 126. Lythophyta etiam ejusdem, ut Junci Tiburtini, arbor in Valle Joachimica, Cortices lignei ex fonte ad Viadrum f. 114. & 124. Lignum subterraneum è Galliis f. 126. Ebenus fossilis f. 127. quæ parum aut nihil differre videtur à ligno illo fossili in Umbria Franc. Stelluti tr. singulari Ital. Thom. Bartholin. tr. de unicorn. c. XXXVII. & Petro Gassendo in vita Peirescii descripto, cui simillimum Islandicum alterum ejusd. Bartholini Cent. V. histor. anat. LXXII. & Olai Vuormii II. Musèi c. XVI. verius tamen inter Metallophyta reponendum, quemadmodum & trunci arborei in

rei in Cespitibus bituminosis Martino Schookio memorati c. XVI. & olea lapidea Camilli Leonardi, ac lignum Ostryæ in lapidem versum cum pyrite quercico ap. Gesner de fossilibus, f. 130. Zinziberi item & CC. lapideum, pistacia fungi, caules fœniculi, Coriandrum, volvæ fabaceæ, tubera, saxifragia, & mater fungorum, omnia petrefacta inter recondita Franc. Calceolarii, Jo. Bapt. Olivo memorata. Radices palmæ dactyliferæ in Pinacotheca Electorali Bavarica: plantæque innumeræ petrefactæ ex Comitatu Mansfeldico & Diœcesi Eistadiensi, lignum item minerale è fodinis Tirolensibus, inter rariora ditissimi artis Naturæque ærarii Archiducalis Oeniponti, quod in Metallis operæ vernaculâ suâ; Ablassen: vocant. Erica item lapidea frutices Marini Coralloides, hippuris Saxea, serpentes Normannici lapidei, vitisque silicea in Syllabo Pinacothecæ Jo. Lud. Guerii ap. nos MS. Limaces item Castrenses & mytuli lapidei Petri Borelli Cent. III. obs. LXXXIII. & Cochleæ lapideæ Cent. II. obs. LXII. Aqua lapidea ligno concreta apud Gothofred. Hegenitium Itiner. sui. p. III. Frutices item marini diversi generis in Clusii VI. Exotic. X. prioribus capp. descripti, quorum nonnulli etiam ad tactum se contrahunt aut expandunt, sensu plantanimali, cujus ut nulla cognitio nisi merè naturalis, ita nec perceptio aut dijudicatio præterquam & ipsa purè naturalis est, sine ullo sensu communi, qua de re multò solidius ac elegantius Gualtherus Charleton Exerc. VII. Oecon. anim. §. XXXI. disserebat, quam ut in singulis à Deusingio taxari mereretur, aut solidis argumentis refelli potuerit. Quin olim præclarè etiam R. Moyses Majemonides Phil. & Med. Ægyptius magni nominis in præmiss. Comm. in Pirke Aboth. c. 1. وكذلك يقال علي الانسان والحيوان الحساس باشتراك الاسم فقط لا ان الحس الذي في الانسان هو الحس الذي هذا النوع الاخر بل كل نوع

Q 2

نوع ونوع مما له نفس واحدة غير النفس الاخر ويلزم
عن نفس هذه الافعال وعن نفس هذه افعال فقد يشبه
الفعل للفعل فيظن بالفعلين وانهما شي واحد بعينه
وليس كذلك h.e. *Similiter de homine & bruto dicitur*

sensibile, nomine tantum utriq; communi, non quod sensus, qui est in homine idem sit, ac ille, qui est in bruto, neq; sensus, qui est in hac specie, idem cum eo, qui est in alia specie, verum unaquaq; species animatorum animam sibi peculiarem habeat, ab alterius anima distinctam, ita ab hujus anima fluant actiones suæ, & ab illius anima actiones suæ cùm interim similis sit actio actioni, adeò ut duæ actiones res prorsus una existimentur, cùm revera non sint. Addamus nos etiam animas plantarum & formas plantanimales reliquas omnes, à quibus non minus sensus, præcipuè tactus, quam in homine & brutis proficiscitur, sed sui generis, & per singulas species distinguendus. Talis H. Casta sive Mimosa vulgo dicta, Indis Brasiliensibus, Juquiri ap. Guil. Pisonem IV. Med. Brasil. XCVI. admotâ manu marcescens, & deinde se denuò explicans, cui persimilis H. Viva & sentiens ex Insulis Philippinis, Gaditana, Peruvia, & Malavara, observatione Franc. Ximenesii in not. Jo. Lætii ad l.c. quæ eadem cum Theophrasti ἐίγγῳ IV. 3. in Memphi, recentioribus tamen omnibus inter plantas Ægyptias prætermissa. Neque ineleganter Raymundus Sabundius Hispanus Med. Theol. Natural. tit. I. CIƆ CCCCXCVI. Argentorati à Martino Flachio excusæ, tres animalium gradus constituebat, quorum primo contineantur sensu tantum tactus prædita, ut conchylia & quæ radicibus arboribusque adfiguntur: Secundo, tactu tantum & memoriâ pollentia, auditu destituta, ut formicæ: & tertio, tactu, memoria & auditu prædita, vulgo perfecta dicta. Quartum enim exsistere posse pernegabat, illorum scil. quæ auditum sine memoria haberent. Et quamvis illa omnia sentientia dicerentur,

tur, primi generis tamen quam proximè plantis accedere adfirmabat, ideoque omni prudentia carere nec disciplinam pati, nec etiam memoriæ defectu ad locum de loco moveri. Quod tamen potius Zoophytis convenit, quorum è diversis generibus quædam mixtura est, quam conchyliis, aut similibus, motu certè locali satis conspicuo præditis, & quibus fortasse nihil omninò deest eorum, quæ operosissimis concessa sunt, quando nec ista, utut minora ac minima, non minus tamen operosa curiosæ per microscopia contemplationes docuerunt. Verùm de istis Zoophytis pariter ac Zoolithis plura egregia cognoscere licebit, si aliquando Petri Borelli liber prodierit, cujus mentionem & spem fecit Petrus Dumasius JCtus Castrensis p.378. De Vena sanè Medinensi Abulcasimus II. Chirurg. XCIII. sive ut ipse vocabat exeunte aut proserpente, non tantum animali, sed etiam radici stirpis alicujus comparabat, tanquam ambigente inter utrumque naturâ, ipse quoque ambigeret. Sed ut ad Lonicerum redeamus, quæ ille de dolore & motu nervis proprio in medium adducit, dracunculum tamen nervum nequaquam demonstrant. Si enim rumpatur, longè tùm alias ob causas dolor excitari potest: nempe quod potius lumbricorum vulneratorum more in gyros violenter subitoque contorqueatur. Item quod pars abrupta, sub cute relicta, necessariò emortua putrescat, unde gravissima Symptomata oriri solent, nec non quod portio in corpore residua ichorem sive humorem profundat, qui sive acrimonia, sive etiam malignitate quadam tendines nervosque lancinet, magnoque adficiat dolore. Quod eò verius apparet, quia lumbricum quoque latum ruptum & per partes rejectum lactei quid emisisse observavit experientissimus vir, Philippus Salmuthus Archiatrus Anhaltinus Cent. I. obs. XCV. & cavitatem notabilem in tænia cubitali à Doctore suo Ludovico Collado sibi ostensam memoravit Jo. Mich. Paschalius I. Meth. med. LI. Dracunculum etiam semper multo cum pure prodeuntem, ideoque venam saniosam Ebn Aabbaso dictum, quandoque etiam venenosum & maximè disruptum, virusque exstillantem advertit Levinus Hulsius VII. navig. Batav.

 c. XLIIX.

c. XLIIX. & Michaël Hemmersamius Itin. Guin. c. XIII. tumorem suppuratum copiosâ materiâ distentum descripsit. Cui consentit Samuel Blommertius in Ms. Vossiano, dum exit, multam saniem effundere attestatus. De motu autem quod adjecit Lonicerus, ὀυδὲν πρὸς ἔπος. Nervorum enim motus planè voluntarius est, dracunculos autem etiam invitis ægrotis moveri, ne quidquam dubitamus. Unde & Ebnsina noster motum vocat vermicularem, qui nervis nullo modo proprio convenit. Porrò nervorum colorem semper album Anatome ostendit. At Vena Medinensis auctore Ebnsina nostro, ut plurimum obscurè rubere solet. Neque est, cur quis corruptione colorem album in rubrum nigrumve mutari objiciat, cum enim nervi acerrimo sensu præditi sint, non posset tanta inflammatio aut etiam corruptio, quæ Sphacelo peculiaris est, absque gravissimis Symptomatibus induci, quibus & cerebrum principium illorum in consensum rapi necesse foret. Jo. Vigo III. de vuln. XVI. de convulsione agens, non malè: *Interdum putrefiunt nervi, ex qua putrefactione materia venenosa elevatur in fumum, & per nervos rapitur ad cerebrum.* Præterea insignis illa longitudo & sinuositas, qua draconem aut serpentem æmulatur, nervis ne per somnium quidem convenit. Et denique Ebnsina noster Venam Medinensem ritè tractatam non valdè periculosam pronunciat, etiamsi uno in corpore XL. ferè aut L. locis obtingat: quod Rasæus quoque XXVI. Contin. tr. II. c. I. in viro quodam à se sanato observavit: Cùm verò genuina curatio extractione perficiatur, quis credat in corpore tot nervos corrumpi & eximi posse, absque certissimo vitæ periculo, aut saltem motus sensusque dispendio & impedimento? Quibus denique hoc quoque adjiciamus, quod animalibus tantum proprium, suâ experientiâ retulit Phil. à S. Trinit. VII. Itin. Or. c. IV. & X. c. IV. vermes Indorum hos ipsos & Congensium in portu Persidis longissimos & subtiles in corpore generatos, ad tibias usque descendentes, perforata carne, ad odorem olei illiti exitum moliri, caputque exserere. Nervis enim extra cerebrum maximè nullus olei odoratus competit.

Superest

Supereſt igitur, ut tandem aliquid de ultima opinione adferamus, quæ vermem aut lumbricum ſtatuit, cui nos quoque adſentimur, & ὁμοψήφους cùm plures alios, tùm αὐτόπτας habemus Adrian. Spigelium tr. de lumbric. lat. c. IX. & Jo. Rhodium ap. Th. Bartholin. II. de luc. animal. c. X. Sed & Ebnſinam idem ſenſiſſe veroſimillimum videtur, quod, licet hoc loco, pro ſua modeſtia, nihil definierit, attamen IV. ſect. IV. ſerm. IV. c. V. nervorum corruptorum peculiarem mentionem faciens curandi modum his verbis exponat: وربما عرض لشظية من العصب فساد ويحتاج ان يستخرج فيجب ان يستخرج باستخراج العرق المديني Vulgatus Interpres & Alpagus interpolator ſingulare & ſextum caput ex his verbis fecerat, quæ ſic vertimus: *Interdum nervi diſciſſioni corruptio accidit, & opus eſt, ut eximatur; Tunc igitur eodem modo, quo Vena Medinenſis ſolet, extrahi oportet.* Unde manifeſtum evadit: Ebnſinam, quamvis eandem extractionem nervis corruptis adſcribat, quam ſupra Venæ Medinenſis curationi adſignaverat, adfectus tamen omninò diverſos credidiſſe. Cumque præter nervum & vermem nihil protulerit, neceſſe eſt, eum aut Venam Medinenſem pro lumbrico habuiſſe, aut, quâ erat modeſtiâ, nihil decernere voluiſſe, ut modò dicebamus, præter hunc plures dracunculos lumbricis ſimiles dixerunt, ut ſupra jam monuimus. Nec pauciores ſunt, qui verè lumbricos adfirmârunt. Jo. Heurnius in epiſt. toties laudata: *Jurarem*, ait, *ferè Aëtium animal id fuiſſe exiſtimâſſe: Idem de Rhaſe dixerim.* Rectè ſanè, Aëtius enim apertè animal appellat: *proinde ne recurrat animal, valido filo brachium conſtringere oportet.* Et paullò infrà: *Ita ut animali ſuppurato & extracto ulcus incarnetur.* Actuarius IV. meth. med. XVI. *Qui nuncupantur dracunculi in regionibus ſupra Ægyptum, potiſſimum proveniunt, ſunt animalia, quæ in muſculoſis partibus, puta brachiis, femoribus & ſuris, atque in puerulis in lateribus*

ribus

ribus etiam ceu lumbrici gignuntur & moventur. Thom. à Vega Com. in VI. Gal. de loc. adf. III. *Qui negant*, ait, *esse animatum, sed humoris vi serpere, negligentius rem expendere. Est enim vermis non secus quam sirones nostri, non minus dracontiis antiquitati ignoti.* Hieronymus Gabucinus Comm. de lumbric. c. IIX. *Dracontia, quamvis rarissimè visantur, viva tamen animalia & lumbricorum formam referentia appellat.* Et Senertus Hypomnem. Physic. V. c. IIX. Dracunculos disertis verbis inter animalia sponte nascentia recenset. Ulysses Aldrovandus etiam in prolegom. ad libb. de insectis scribit: *Dracunculi vocantur lumbrici in Æthyopia, India, locisq; supra Ægyptum in cruribus frequenter nascentes, & in brachiorum musculis latebrisq; ipsis: similes sunt lumbricis terræ, quandoque majores, quandoque minores.* Hanc enim veram illius sententiam putamus; etsi paullò ante retulimus, eum fortasse cum Paræo dracunculos pro tumore habuisse, certissimum tamen est, libros de insectis ab ipsomet dum vivo emissos in lucem prodiisse, cùm è contrario libri de serpentibus & draconibus postumi sint, ab aliis collecti ex ingenti farragine locorum communium, quos ille in plurimos tomos literarum ordine conjecerat, atque Pandectas Epistemonicos inscripserat, quos olim Bononiæ inspeximus à viro Excellentissimo & humanissimo Bartholomæo Ambrosino Muséi dignissimo præfecto, unà cum reliquis omnibus naturæ thesauris nobis commonstratos. Neque cuique mirum aut incredibile videri debet, sub cute lumbricum nasci potuisse: cùm vix ullum corporis membrum sit, in quo aliquando vermes non fuerint reperti. Quamvis enim Aldrovandus VI. de insect. c. II. falsò id à quibusdam adfirmari dicat, ex observationibus tamen experientissimorum Medicorum satis constat, vix ullam ab illis planè immunem esse, & ne ipsum quidem cor, si credimus Zacuto Lus. qui lib. I. Pr. admir. obs. CXXX. in ipso dextro cordis ventriculo vermem repertum refert. Nam quod de vermibus in pericardio natis Volfg. Gabelchoverus Cent. III. cur. I. narrat, quos ipse etiam vermes cordis appellat, & medicamento ex Ms. quodam Jo. Stockeri petito

tito à se curatos testatur, fortasse nemo in dubium vocabit: quemadmodum nec illud alterum, quod de lûnatica adfectione à verme cordi appenso in primo secretorum retulit Alexius Pedemontanus Empiricus minimè contemnendus. Id enim Matthias Cornax II. Enchir. Med. Cons. XXIIX. & Riolanus pater sect. II. meth. med. gen. c. II. rectè de cordis capsula accepêre: suaque experientiâ in pestifera constitutione CIↃIↃCXXX. in Cantabria observavit Petrus à Castro Comm. de peste p. 71. utut Platerus tr. III. Pr. c. XIII. nullos in illa vermes generari aut subsistere posse autumârit. Quid quod serpentis bifidi & flagellosi effigie vermem in cordis sinistro loculo genitum Edoardus Majus & Richardus Londonus CIↃIↃCXXXVII. repertum in Anglia eleganter descripserint apud Petr. Servium differt. de ung. armar. p. 48. quem pulcrè depictum produxit etiam M. A. Severinus IV. de recond. abscess. natura c. XXXVII. Hebræis quoque ulceris maligni genus : ראתן ; ראתן interprete R. Salomone morbus est cerebri à vermiculo innato, qui cùm in reliquo Oriente satis frequens occurreret, quærebat ille, quare non item in Babylonia verminosi reperiantur, causamque nominabat : מפני שאוכלין תרדין ושותין שכר של היזמי ; quia blitum seu betam edentes, siceram præterea veprium bibant, i. e. Zythum non Ægyptiacum, de quo infra, sed lupulatum, nam : נשורת sive : הימלון lupulum denotat in vepribus crescentem. In venis præterea vermes stabulari posse Zacutus III. obs. XCV. prodidit, ubi furiosos vagosque dolores venâ sectâ, & verme cum sanguine exsiliente statim sedatos refert. Et ante illum Spigelius V. hum. corp. fabr. XIII. Patavii in frequentissimo theatro vermem insignem & duos transversos digitos longum in cavæ trunco descendente non longè à venis emulgentibus se reperisse scripserat. In hepate visos memorârunt Galenus Vierus apud Guil. Fabricium Hildanum Cent. I. obs. LIV. Christoph. Schillingius ap. Laur. Scholzium epist. med. LXXIV. & Jo. Schenkius III. obs. XXXIII. ex observatione Gasparis Bauhini, ubi quorundam sententia proponitur, qui vermes

mes putabant in intestinis genitos per venas mesaraicas in hepar perrepsisse. Sed & in ipso fellis folliculo Vierus l. c. vidisse adfirmat. Ut illas partes corporis nunc omittamus, quibus frequentius conspiciuntur, quarum prolixam seriem, si id luberet, adducere possemus. Quod si in membris ad vitam & nutritionem unicè necessariis iidem gigni possunt, quidni in cute & subter hanc lumbricos nasci verum existimabimus? Neque est, cur aliquis dracunculorum longitudinem criminetur, cùm multò longiores tæniæ in intestinis generari consueverint, quarum plura exempla collegerunt Aldrovandus l. c. & Schenkius III. obs. CCIIX. quibus nos addimus sequentia. Lumbricum V. ulnas excedentem vidit Thadd. Dunus, miscell. med. c. XV. alium XXV. cubitos longum Horatius Augenius tom II. lib. VI commemorat. XVI. pedes æquantem Franc. Sanchez inter observationes in praxi sua p. 379. recenset, ubi ejusdem figuram adponit paullò aliam ab illa, quam nobis diligentissimi viri Adr. Spigelius de lumbr. lato c. VI. & ex illo Sennertus III. Pr. part II. sect. I. c. V. nec non Guil. Fabricius Hildanus Cent II. obs. LXX. exhibuêrunt. Verùm cùm omnes sint ἀκέφαλοι, primus omnium lumbrico illi caput suum imposuit doctissimus Nic. Tulpius II. obs. XLII. & nuper adeò Jo. Michaël Fehrius tr. de absinth. p. 125. quasi tricoccon observatum à se depinxit. Alium XVII. pedes longitudine superantem, satisque latum lumbricum Achilles Gasserus Aëtii pulvere & pil. exegit, ut haut ita pridem in observ. ejusd. XIIX. narravimus, tricenûm pedum longitudine memoravit Glossarum scriptor in Dodon. Pr. lib. c. & tæniam Thomæ Gybsii Barthol. Carrichterus I. Pr. LXXIV. cujus mensura in curia Tigurina servatur. Cùm ergò Aëtius jam olim dracunculorum generationem lumbrici lati nativitati aptissimè comparârit, nos hanc illius sententiam sequuti, quam nudam & inermem proposuit, clarius exponere, & si qua opus fuerit, rationibus munire conabimur. Sive enim ex intestini membrana interiori nasci existimârit, ut voluit Paræus, sive potius mucosa illa materia, quæ tunicam interiorem oblinit, quod placuit Petro Salio Diverso adnot. in Altimari

Pr. c. LXXXI. aut etiam chylo intestinis contento, opinione Felic. Plateri III. observ. p. 837. qui ideò tr. III. Pr. c. XIV. inter adnatorum excretiones retulerat, nos præclarissimorum Medicorum judiciis adquiescentes illis nequaquam adsentimur, qui interanea deglubunt, ut vermem nobis tunicatum educant, (cùm id anatome redarguat attestante Jo. Riolano patre sect. III. tr. II. de cur. morb. intern. c. XXXIIX.) sed potius, qui eum è proprio seminio quodam in humoribus alimentariis seu chyli portione, & sanguine aut latice nutricio latente, caloris aut simplicis, aut etiam putredinalis ope primo quidem exiguum & intestinis ad fixum gigni statuunt, qui postea iisdem, aut vitiosis etiam humoribus nutritus paullatim in magnam illam molem excrescat, donec aut alimenti sufficientis defectu, aut loci angustia, aut medicamentis cibisque sibi ingratis irritatus exitum parare incipiat. Atque hoc modo dracunculos etiam produci persuasum habemus: Cùm enim Ebnsina ipse, tanquam vulgari opinioni de generatione lumbricorum diffisus, singularem proprietatem ex aquis & oleribus addiderit, commodius eandem exponere non possumus, quam de peculiari seminio, ex quo dracunculus nascatur. Nimirum quod dudum observatum ab aliis, ex herbis, fruticibus, arboribus, & animalibus variis varios vermes generari, omnes tamen non quantitate solùm aut figura, sed etiam qualitatibus & operationibus, adeoque specie ipsaque formâ inter se differentes; ita quam maximè verosimile est dracunculum quoque ex aquis & oleribus quibusdam regionibus propriis produci, in quibus seminium ejus delitescat. Ut enim communis morbi communis aliqua causa quærenda est, sic & endemii causam ex ipsis regionibus, quibus familiaris est, deducere oportet. Neque est, cur aliquis discrimen inter lumbricum latum atque dracunculum hac in parte nobis opponat, credatve vermium semina in chylo quidem latere posse, dum intestinis continetur, non verò in sanguine aut etiam humoribus quos secundarios in coctione appellant, & quibus partes corporis nutriri consueverunt. Plurimis enim exemplis facillimè ostendi potest, neque locorum,

R 2 per

per quæ transire solet alimentum, multitudinem, neque coctionis varietatem seminia hæc eorumve vires quidquam debilitare nedum subvertere posse. Quæ de caprarum lacte cathartico, quo nutrix utitur, & hujus demum lacte infans purgatur, ad Hippocratis mentem doctissimè disserit Sennertus, omnibus jam notissima sunt, videri tamen possunt lib. de consens. & dissens. Galen. & Chem. c. XII. Nos unicum exemplum è Galeno addamus. Is II. de alim. fac. IIX. copioso ficuum esu pediculos gigni scribit, quod sanguinem non probum suppeditent. Duobus capp. firmat & sim. Sethi syntagm. de cibar. περὶ ἰσχάδων καὶ περὶ σύκων. At cùm pediculi in cute generentur, satis apparet seminia illorum non chylo, sed sanguini, aut lymphæ seu succo nervoso permixta esse. Neque ad rem vel hilum fecerit, si quis sudores aut humores putridos objiciat, quos ficus largiori esu gignant aut commoveant. Cùm enim pediculi sint sui generis, ab reliquis diversi, quis neget in re tam vili sublimius quidpiam subesse? E poris enim guttatim prodeuntem sanguinem Henricus ab Heer in nobili Flandro obs. XXIII. dum aquas Spadanas biberet, observavit, qui unguibus sub axilla eductus, pedicillos offerebat rubberrimos, solidiusculos quidem primo attactu, mox tamen tabi instar diffluentes. Cumque amygdalas jungendas ficubus ex Gal. de evchym docuisset, adjecit: *huic per nimis raram cutem Cambium thoracis musculos nutriturum, si justo tempore adhæsisset, validiori exercitio expulsum rubore indusium inficiebat, cum sanguinis sit ultimum alimentum in alitis, & quia pars ejus alta quadam putredine contaminabatur, propter caricarum carnem putredini valdè obnoxiam, ideò animabatur & pedicillos producebat.* Verùm si sola putredo horum pediculorum causa exstitisset, cùm cibi plures, succi, quam ficus sunt, nequaquam melioris, reperiantur, quæ causa fingi potest, tales, non alios, ex esu illarum nasci debuisse? aut quare similes ex aliis nunquam progigni soleant? ut ergò finiamus: Dracunculus seu Vena Medinensis lumbricus quidam est, qui proprio suo seminio generatus, sive cum sanguine, sive latice & humore, ut vocant secundario ad partem quan-

dam

dam subcutaneam delato, ejusque calore naturali, aut si quis ita velit, etiam putredinis socio, formam sive animam in ipso latentem excitante, unde primò quidem exiguus, sensim in longitudinem illam insignem, quamdiu licet, auctus, atque iccircò in sinus variè flexus, nihil aut parum molestiæ adfert, sed tandem, seu alimenti copiosioris defectu, seu loci angustia, seu alia quacunque de causa egressum meditatus cutem lacessit, in qua adfluxu ichoris melancholici serosi sanguini permixti pustula exoritur, quæ deinde intumescens vesicam seu phlyctænam contrahit, atque mox perforata sive exulcerata dracunculo viam aperit, qui tunc exserto capite paullatim prolabitur, neque cessat continuo protendi.

CAPUT V.



Uid ergò sit dracunculus seu Vena Medinensis, satis exposuimus. Nunc paucis de subjecto, quod vocant, dispiciamus. Vulgatissimum est, morbos eosdem, qui homini contingunt, etiam equos pati solere. Quod sive in cæteris verum sit, sive secus, de dracunculis tamen dubitare non possumus. Plures sane vermium nomine morbi equino generi familiares plerisque recensentur, quorum præcipui, ulcerosus, sectione exempto animali bicorni curandus ap. Jo. Colerum, hominem quidem πλυπεράγμονα, sed tamen extra Medicinalia non planè contemnendum X. Oeconom XCVI. insperso deinde pulv. Chalcanthi c. Verbena aut aliis plantis anthelminthicis, Cinere item lentium c. ol. Juniperi ac decocto Galeopseos in vino admoto, Castoreo autem myrrha, & asa fœtida cum rad. helenii exhibito. Vermis deinde alius brevior & crassiusculus sub cute, maximè in cruribus molestus, qui ligatura c. philuris autloris cervinis, ut tumor manifestius se exserat, instituta, exscindendus insperso vitri & æruginis pulvere, & Cadmia c melle

 appli-

applicito, aut etiam ferramentis inurendus, qui plane cum ægritudine bovina dicta convenit, de qua c. I. mentionem injecimus. Alius quoque in genitalibus, & circa trochanterem in naribus, apertione itidem, ut reliqui, ac inspersione pulverum persanandus: cui & ille in naribus similis, sed ustione potius curandus c. XCIIX. Alius denique purulentus, & quasi fermentescens, ἐκζυμωμένος (quod levissimo contactu cognoscitur) Sectione & lotione decocti eupatorii ac gentianæ in aceto pellendus c. XCIX. At verò Absyrtus ap. Jo. Ruellium Med. veterinar. p. 114. paullò obscurius: *Dracunculum iis cognosces signis. Pustulæ toto ambitu corporis erumpunt, animalq; clamitans obstrepit, cui sic succurritur: Rutæ, rosarum, & Castorei pares modos sumes, & in unum miscebis. Sed primum pustulas adures, deinde pustulosum corpus illines, dum sanitati reddatur.* Qui difficiliorum dictionum explicationem adjunxit, dracunculum ait vermem esse tineæ (rectius tæniæ) similem, non in ventre, sed in lacertis, femore, tibiisque parte Ægypti superiori copiosum. Nulla tamen istius aut vermis alterius mentio ap. illum præter eruptionem pustularum, quæ tamen majores haut dubiè, & vermem continentes ideoque ustione, & ruta atque castoreo curandæ, quæ vermibus egregiè adversantur. Cum hoc fortasse eadem est ægritudo bovina modò dicta. Aut vermis etiam talpinus ulcus foraminosum excitantibus, cui propterea cauteria admovebat Paschalis Caracciolus X. de gloria equi, Italicè scripto libro, p. 930. cæteroquin vix alium, quam Ruellium transscribens: quemadmodum Colerus Albertum Smidium Hippiatrum Friderici III. Imperatoris in Chalinopoëcis suis Germanicis. Venæ autem Medinensi fortasse propria est phazala dictus morbus, quem Absyrtus ibidem describit: *Phazalam morbum equis mare rubrum ingredientibus sic digerunt: Calcis vivæ libram, floris hederæ tantundum, nucum avellanarum sextarium, olei lentiscini libram, axungiæ veteris dupondium, fl fabarum libram, una conterunt, & tamen vitiatum illinunt. Aliud quod adstringendi vim sortitur: Æruginis selibra, chalcitidis, mysis, acaciæ, singulo-*


gulorum libræ duæ, malicorii sextarius, aceti tres sextarii. Hesychius in Lex. nulla equorum mentione facta: Φαζάλη, πάθος σωματικὸν ὃ γίνεται τοῖς ἐρυθρὰν θάλασσαν πλέουσι. Qui verò serpentini nomine, V. S. in pede, rasione sub ungula, & lotione c. vino, ac litu ex succo acaciæ ad mellis consistentiam percocto, curandus docetur apud Eugenium Raimundum Brixiensem lib. I. de venat. c. IV. Ungulæ tantum adfectus videtur. Nec confundenda nervorum denudatio, si mesocynia sive suffragines tricis, pedicisque lacessantur, Absyrti descriptione ap. Ruellium §. 104. utut nonnulli dracunculos nervorum corruptionem existimârint, quorum opinionem supra rejecimus. Sed ista Hippiatris relinquamus sunt alia plura è brutis animalibus, qui hoc aut simili adfectu corripi videntur. Jo. Clamorganus libro suo de luporum venatione compertum sibi tradidit, in luporum vetulorum renibus serpentes nasci & adolescere, quos jam quaternis vicibus observârit, quandoque etiam uno geminum visum, quorum unus pedali magnitudine, alter nonnihil minor & brevior, pollicem æquârit, repetente in lib. Germanico de luporum rabie memorabili Jo. Bauhino p. 77. & Jo. Schenkio VII. obs. LIII. Nimirum canini generis sunt, cui hæc verminatio sive dracontiasis non minus familiaris. Ita CIↃ IↃCXVI. lumbricos IV. in renum altero canis repertos Groningæ in auditorio philosophico, rubente colore depictos, in scriptione additâ memoravit Gothofredus Hegenitius Itin. Fris. Holland. p. 15. & Thom. Bartholinus Cent. I. epist. II. ad Olaum Vormium scripta in cane tres renes repertos recenset, quorum duo in dextro latere sibi invicem impositos, & alterius parenchymate absumpto, duobus vermibus digitum crassis, rubicundis, & in gyrum contortis occupatum viderat. Andreas quoque Cæsalpinus VII Pr. Med. XII *Vidi*, inquit, *in rene cujusdam canis macilenti dracunculum longissimum serpentis magnitudine convolutum.* Et nuper adeò Theod. Kerkringius Spicileg. Anat. obs. LIX. *Vermem ingentem, ulnam & quartam ejus partem exæquantem, totumque ureterem occupantem usque ad obliquam ejusdem insertionem in vesicam, ipso parenchymate omninò*

omnino corrupto, & obs. LXXIX. in tribus aliis *etiam binos prælongos pennamq; anserinam crassitie æquantem rubicundos, albaque substantia à capite ad caudam usq; insignes, ac in se convolutos* eleganter à se visos descripsit. Nec vermes in hepate & pulmonibus pecudum reperti, quales in ovibus Volcherus Coiterus obs. Anat. describit, & in vervecibus hirudines referre comperit Franc. Bonamicus II. de alimentis XIV. à draconibus diversi videntur, quos olim Romani haruspices in extis sacrificiorum apparentes læta portendere credebant, Graccho autem adeso jecinore, necem significabant, de quibus Alex. ab Alexandro V. genial. dier. c. XXV. nisi omninò hæc omnia, ut suspicamur, potius impostoria, ad lubitum fingebantur, quod Tullius II. de divin. §. 37. vocabat urbem philosophiæ prodere, & castella defendere i. e. haruspicinam veram esse velle, sed physiologiam totam pervertere, unde & illud Catonis admodum scitum §. 51. *mirari se*, ajentis, *quod non rideret haruspex haruspicem cùm vidisset*. At serpens quem in lapidem conversum pauculis abhinc annis Cervus ab Illustrissimo Com. Hanoviense captus in ventriculo ostendit, de quo Josephi Burrhi sententiam unà cum sua doctissime exposuit vir Nobilissimus Phil. Jac. Sachsius Gammarolog. lib. I. c. IIX. §. XVI. ad dracunculos, aliumve corporis adfectum omninò nullum pertinet, quia cervorum more in corpus attractum & transglutitum nemo facilè dubitabit, id enim Theomnestus Hippiatrus naturæ instinctu quodam occulto & singulari ad excludendos lumbricos in intestinis genitos fieri opinatur. Cùm verò deinde siti intolerabili excrucientur, quam sacræ quoque paginæ Psalm. XLII. innuunt, ut inde peccati cum serpente, Deique cum fonte vivo pulcerrima allegoria nascatur, in aquam dubio procul metallicam & salinam hic incidit, quam succo lapidifico imbutam copiosius exsorpsit. Pulcra quoque adlusio ex Theomnesti mente ad mores translata à Barucho Lotho Romælio in Emblemat. cælo Dominici Custodis expressis, & Jo. Georgio Duci Saxoniæ nuncupatis, his versiculis:

Qui


I

Dracunculus in hepate alaudæ pedis Rom. magnitudine repertus cb bc LXIX.




II

Dracunculus alaudæ in renibus repertus cb bc LXIIIX.




III

Dracunculus in carduelis coxa à Spigelio repertus




I



a. Ventriculus alaudæ p.n. crassissimus, ut et
b. Oesophagus.
c. Hepar. itidem majoris molis
d.d.d.d.d.d. Dracunculus in hepate genitus et circa Oesophagum transiens, ventriculo undiq. circumvolutus.
e. Cor. f. Arteria aspera reflexa
g.g. Particulæ Pulmonum cum tunicis suis.

II



a. Aspera arteria. b. Cor.
c. Hepar. paullò infra sedem suam depressum.
d. Ventriculus. intestinis putredine absumptis.
e. Vropygium
f.f. Cavitas Ventris infima
g. Dracunculus in renibus usq. ad Vropygium protensus.
h.h. Costæ
iiiii. Truncus corporis reliquus.
K.K. Cutis pectori instrata.
l.l. Sternum et pectus sursum reflexum


IV

Dracunculus ex intestinis alaudæ.
cb bc LXXI.



V

Dracunculus ex intestinis alaudæ.
cb bc LXXII.




Melchior Haffner sc.

Qui morbos animi domat, & radicitus aufert,
Extrahit è latebris, extractum devorat anguem.

Hinc sanè & Ophion animal quod Plinius serpentibus infestissimum XXIIX. 9. Sardiniæ peculiare, Cervini generis, sed minus, quondam fuisse, nec hodiè ulterius superesse, arbitrabatur, cujus tamen & XXX. 15. mentionem cum aliis quibusdam obiter facit, quæ pariter interiisse suspicabatur, cùm tamen hoc nomine Musamona venire Dalechampius opportunè commoneat. Cæterum de Carduele supra ex Spigelio jam diximus, cui adstipulatur, quod Sem. Carduorum lapparum, & inprimis dipsaci, tanquam gratissimo pabulo vescantur, advertente Petro Crescentio apud Gesnerum III. hist. anim. de avibus p. 243. quibus & ipsis perpetuò vermiculi innascuntur. De falconibus autem Bernardinus Gallegarius III. accipitrario suo, quem Italicè, *Strucciero*, inscripsit: Filamenta, inquit, *(le filandre) sunt vermes tenuissimi ad instar filorum, palmum longi, falconibus magis familiares, quam reliquis avibus, quorum locus proprius est circa renes. Ajunt tamen omnibus avibus inesse, sed tùm demum noxios exsistere, cùm emacientur. Sic enim deficiente alimento, aliò tendere conari ideoq; interiora avium perforantes nonnunquam ad cor usq; penetrare, mortemq; nisi opportuna remedia adhibeantur, inferre.* Nos quoque in alaudis dracunculos sæpius observavimus, si ipsæ aviculæ spectentur, longissimos, in renibus & hepate enatos, factoque circa Oesophagum transitu, ventriculo undique circumvolutos, cujus iccircò gyrationis, ut nemini hucusque animadversæ, genuinam effigiem supra in lucem produximus c. III Membrana tenui propria involutos filique instar tenuissimos, cubiti dimidii longitudine describit Aldrovandus. VI. Ornithol. I. Unde nec placet, quod Jo. Leonardus Philippus Sanisberiensis in arte sua Poëtica Gall. p. 76. *Filandres*, reddiderit *vermes exiguos, & telam aranearum:* rectiùs enim: *subtiles & tenues* dixisset, qualis etiam telæ aranearum: planè ut apud Arabas هلال de quo supra c. I. etiamsi non breves & exigui, sed sæpè longissi-


mi conſpiciantur. Filamenta quibus ציצין; Hebræorum reſpondet, ut ſupra diximus. At Aldrovandus cùm nequaquam interficiendos dixiſſet, ne apoſtema in renibus periculoſum excitent, ſed inebriandos quodammodo ſeu ſtupefaciendos, ut per XXX. aut dies XL. nullam moleſtiam exhibeant, non videtur profectò remediorum vires ſatis conſideràſſe. Quis enim in allio & oleo unquam facultatem narcoticam agnovit? Illud ſanè, ſi quidquam aliud, vermes enecare aptiſſimum, hoc verò acrimoniæ temperandæ, & tanquam vehiculum lubricandis ad exitum meatibus adhibetur: qualia ſunt illa quoque ad vermem allantoidem accipitrum dictum, remedia, quæ nos è libro Mſ. Caroli Com. Solmenſis excerpta heic recenſebimus: *Lignum* ſcil. *hederaceum lacte incoctum: Urtica Græca, abſinthium c. Chamæmelo mixtum: Cortex medius arboris tremulæ: ruta Romana: ſuccus uvarum mori ſive rubri agreſtis.* Neque tamen Narcoticorum uſum omninò damnandum cenſemus, qui ſæpius ab uſu hyoſcyami in ſuffitu c. Cera, vermes ex carioſis dentibus proſiluiſſe vidimus, quod etiam de pedibus manibusque adfirmat ſuppoſiticius muliebrium ſcriptor Erotis nomine in Gynæceis editus. Pleraque ſanè illorum non frigida, ſed calida, acri quodam & diaphoretico ſale prædita, quo lumbricis nihil magis adverſum excogitari poteſt. *Anguillas* quidem vocat Albertus Magnus longiores lumbricos falconem infeſtantes, ſed utrum dracunculos intellexerit, dubitamus, quia cum tæniis in ventre accipitrum à Beliſario in Hieracoſophio Græco deſcriptis magis convenire videtur. Omnium utique rapacium ferè eadem natura, iidem adfectus, ſigna eadem, & denique eædem curationes, utut falconibus natura firmior, advertente Geſnero III. hiſt. de avibus p. 243. At Aldrovandus cuncta ex Eugenii Raimondi lib. I. de venat. c. IX. transſcripſit qui filamentoſos illos vermiculos pinguibus, adeò non nocere ajebat, ut potius prodeſſe credantur. Pſittaci quoque Braſilienſes, vulgò *Ajuru dicti*, juniores inprimis & recens excluſi, vermes utroque narium foramine craſſiuſculos habent, atque extremo capite tuberculum, in quo item vermis craſſior deli-


Astacus fluviatilis, ablatâ superiori testâ, apertus, ut interiora pateant.





a. *Mutis.*
b. b. *Capita, sivé principia dracunculorum muti levissimé adhærentia.*
c. c. *Dracunculus geminus inter se complicitus et miré convolutus.*
d. d. *Intestinum rectum sub muti per ventrem usq; ad extremum caudæ protensum.*


Dracunculi ex gammaris fluviatilibus. Helices bryoniæ. Volutæ Lathyridis Americanæ
































Melchior Haffner sc.

delitescit, qui tamen omnes sponte, excidunt, locusque ex se sanatur, referente Georgio Marcgravio III. hist. Nat. Brasil. V. adeoque à dracunculis formâ tantum, & magnitudine, atque crassitie differre videntur. Quod ergò Gallegarius de avibus omnibus ex vulgi opinione retulit, suo quoque suffragio firmavit Augustus Hauptmannus epist. ad Kircher. de viva mortis imag. scripta, pullos omnes & pippiones, imò & pisces omnes, cujuscunque sint generis & magnitudinis vermiculis scatere, à quibus altius per cutem & sqammas se insinuantibus sæpius occidantur: quod responsoriâ sua Kircherus quoque probans non aliunde volutationes animalium & avium pulveratricum deducendas monuit. Hi tamen vermiculi, microscopiis observati, minores sunt, quam ut dracunculi dici mereantur. In aquatilium genere astaci fluviatiles dracunculis frequenter laborant, de quibus Gesnerus IV. hist. an. p. 106. *In cancris seu astacis fluviatilibus aliquando reperiuntur intricatæ venæ albæ, nostri:* Nestel: *i. e. ligulas nominant. Non probantur illi in cibo, ut neq; pisces ita affecti.* Nos hieme tantum non in omnibus reperimus. Nec tamen probare possumus doctissimorum quorundam virorum opinionē, qui Mutin quibusdam hepar, aliis mesenterium aut pancreas, ejusque venas albicantes hieme in emaciatis inanitas, quo tempore improbati sint, ligulas appellari putant, aut etiam ipsa intestina tenuia sive venas gammarorum inanitas, muti involutas conjectant. Nec enim in omnibus, nec omni tempore conspiciuntur, quod fieri necesse esset, si partium naturalium numero continerentur. Quin etiam nec cavitatem ullam manifestam habere observavimus, nec ullam cum ventriculo & intestinis connexionem, sed duobus plerumque cruribus quasi, sive tenuioribus principiis muti levissimè adhærere vidimus, quorum iccircò delineationem subjecimus ad vivum expressam. Cui hoc quoque adjiciamus, licet Phil. Brendelius Consil. Med. LXIIX. cancros, ut vocat, rivales sive fluviatiles æstate eligendos monuerit, quando fila illa (die Feigel) maribus deficiant, quæ ideò æstiva non bene appellat, quia hiberna potius dicenda sunt, nobis

tamen etiam in femellis conspecta esse. Inter pisces eodem hoc adfectu corripi solent Leucisci ap. Aldrovand. V. de pisc. XXII. & Capitones fluv. sive squali V. c. XIIX. Ballero quoque & Tilloni Aristoteles similes adsignat. IIX. hist. anim. XX. ἐν δὲ τῷ βαλλέρῳ καὶ τίλλωνι ἕλμις ἐγγινομένη ὑπὸ κύνα, μετεωρίζει τε καὶ ἀσθενῆ ποιεῖ. μετέωρος δὲ γινόμενος ὑπὸ τοῦ καύματος ἀπόλλυται. *In Ballero & Tillone, vermis circa canis ortum gignitur, qui infirmos reddit, cogitq; ad summam aquam enatare: Unde post æstu pereunt.*

Vermes deniq; variegati & lucentes, sed facilè in aquam solubiles, in ostreis, IIX. aut IX. linearum longitudine, quos ex literis à de Via ad Auzutum datis in Ephem. eruditorum Hedovillii ex Gall. Lat. redditis Franc. Nitzschius commemorat, præterito anno observati omninò ad dracunculos pertinent, quod tanta longitudine in brevissimo ostreorum corpore mirè convolutos fuisse necesse arbitremur. Quid quod & plantæ quædam huic adfectui, aut saltem non valdè dissimili obnoxiæ videantur. Est enim lenticula quædam pilosa, in qua pili longiusculi enascuntur, non tamen omni, nec semper, nec locis omnibus, quamvis cæteroquin perennis sit, & cujus nulla in libris mentio, notante Gesnero Schol. in Cassii Jatrosophistæ problem. XXXIII. nec etiam illius memoria in Indice theatri Botanici à Gasp. Bauhino adornati. Imò nec polypodium quod supra draconem quibusdam dictum advertimus, quamvis planta sit sui generis, aliud quam morbus quidam quercus annosæ videtur, quemadmodum & viscorum species radicibus nodosis & curvatis dracunculis haut absimiles. Verius tamen vermes plantis ipsis innati hoc nomine censeri queant, de quibus Plinius XXX. 15. *Sunt vermiculi in spinosis plantis asperi, lanuginosi: Hos adalligari tradunt infantibus, si quid ex cibo exeat.* Sic enim rectè in Codd. Vaticanis legitur, non: *hæreat:* ut in vulgatis. Inprimis qui longiores & convoluti apparent, quales in geniculis Kali, quosdam quasi serpentes, Borellus observavit, dracunculorum nomine haut indignos. Verrucam sorbi reticulatam in ligni medulla repertam depinxit Ovidius Montalbanus lib. II. Dendrologiæ Ulyssis Aldrovandi tract. II.

cap.

cap. VII. quam nos cum venia illius ad similem dracunculis morbum aliquem relatam vellemus. Miro enim filorum longissimorum implexu conspirationes illorum sat pulcrè repræsentat. Sed istis relictis, quæ pars in corpore humano præcipuè dracunculis infestetur, disquiramus. Sic igitur Ebnsina, cujus ordinem deinceps observabimus: *Si accidat, ut plurimum in cruribus contingit. Vidi tamen etiam in manibus & latere.* Per crura hîc non solæ tibiæ, sed etiam femora cum coxis, per manus brachia integra intelligenda, ut aliàs quoque sæpius accipiuntur. In coxa carduelis dracunculum à Spigelio repertum supra diximus. Raphaël Regius Volaterranus etiam gutturis mentionem facit, sed Venam Medinensem cum angina aut alio quovis apostemate imperitissimè confundit, ut ante jam animadvertimus. Magis tamen huc pertinere videtur, quod de strumarum genere quodam narrat Jo. Bapt. Besardus, Vesontinus part. I. antri sui philosophici. p. 72. *Modus mirabilis curandi scrophulas. Hoc arcanum vir summè doctus mihi aperuit, qui se pluries expertum adseveraret. Caustico vel alio quovis modo aperiantur scrophulæ, & apertis solum mel instar linimenti adhibeatur, unde fiet, ut hujus dulcedine adlectus vermis quidam internus sursum prodeat, & paullum in vulnere appareat, qui summa dexteritate adaptato ad hoc instrumento ab homine perito inde extrahi debet. Sed adverte præfatum mel emplastro appositum debere ad latera tutiâ undiquaq; circumcingi, eâ ratione verò sæpius inspici: quia si quando vermis ejusmodi appareat, & postea regrediatur, haut inde amplius extrahi possit. Miræ hunc longitudinis sed instar fili tenuissimi sæpius à se conspectum idem auctor testatus est.* Guil Rondeletius de dignosc. morb c. XVII. refert Argenterium Medicum doctissimum adseruisse, conspectum sibi cum urina rejectum draconem alis præditum. Aldrovandus VI. de insect. II. locum hunc adlegans, non draconem, sed rectius dracunculum appellat. Uterque tamen halucinatus, quod eum non in renibus demortui repertum, sed cum urina à vivente excretum scribat. Sic enim ipse Jo. Argenterius Comm. in IV. aphor. LXXVI. *Ego*, inquit, *Lugduni*

in Raphaële Parnisio Genuensi CIↃ IↃXXXV. *vidi, postquam diu renum dolore laborasset, & periisset, dissecto corpore & renibus, dracunculum cum alis & cauda longum, quantitas est index digiti, quod etiam ex me refert D. Rondeletius in adfectionibus renum.* Quod si ita est, non pertinet tamen ad Venam Medin. Fortassis n. non aliud erat ille sive dracunculus sive draco alatus, quã vermiformis quædam illuvies, qualem dracunculo alicui non valdè dissimilem Ambrosius Paræus, Lud. Dureti fide XIX. Chir. III. depingit, & Carolum Com. Mansfeldiæ, cum Lutetiæ febri continua in ædibus Guisianis graviter decubuisset, per ductum urinarium excrevisse scribit, quæ sane eadem cum morbo illo esse non potuit, quem Hieron. Mercurialis tom. I. Consil. XXXIIX. ad Jo. Cratonem commemoravit, ut quem eundem cum dracunculis Galeni opinatus II. Var. XX. descripserat, eò enim remittens non dubitare se fatebatur, quin statim lectores similitudinem, aut etiam αὐτότητα, sint agnituri. Dracunculi sanè nomen potius meruerit vermis serpentis forma, hexapodem longus, à muliere excretus apud eund. Paræum XIX. c. IV. non item quem Plutarchus IIX. Sympos. problem. IX. olim Athenis ephebum multo cum semine ejecisse refert, serpentem appellans pusillum, pilosum, & plurimis pedibus statim ambulantem: Quales item tres crassiores ex renibus per vesicam & ureteres excretos à nobili Perusino ex Gentili Fulginate notavit Vinc. Alsarius à Cruce quæsit. per epist. Centur. III. p. 191. Quamquam de nomine cum nullo litigandum arbitremur, si quis vermiculos longiores per urinam rejectos dracunculos vocare voluerit. Idem enim Argenterius de urin c. XX. hæc habet: *Vermes exigui nonnunquam apparent in urina ex sordidis ulceribus, ut par est credere, vel ex corrupta materia geniti, visi quandoque sunt excreti, per urinam dracunculi, nam ex tali materia, ut arbitror, etiam procreantur.* Tales forsan fuerunt illi, de quibus Hercules Saxonia part. II. prælect. Pr. XXXV. *Vermes, quos per urinam eductos ego aliquando vidi longos admodum in quodam clarissimo ex familia Cornelia, habent eandem materiam cum pilis.* Nam & pili haut

haut raro longissimi excernuntur, quos aliquando etiam animari, ut cætera animalia ex putredine orta Jacobus Hollerius credebat l. de morb. intern. Schol. c. L. Capillos etiam animatos formæ serpentum descripsit Petrus Borellus Cent. I. obs. XXIII. & Laur. Joubertus l. de urin. XX. narrat quendam crassiora ejusmodi filamenta circiter XXV. intra paucos dies reddidisse, quorum nonnulla palmi longitudinem æquaverint, & spectatores omnes vermes dijudicarint. At vermem bicipitem, pollicis crassitie, sed extensione IV. uncias æquantem quia striatum & maculosum, dracunculi nomine maximè dignum putamus, CIƆ IƆXIV. Hagæ Comitis à sene capulari per meatum urinarium rejectum septimo etiam mense viventem, & amphisbænæ in modum gradientem, quem describit Balduinus Ronssæus epist. med. X. Miræ autem vermium formæ etiam extra corpus humanum occurrunt: Vermes Sinenses in Provincia Quitensi depluentes in angues transeuntes memorat Athan. Kircherus sect. III. Scrutin. pest. c. III. Rara quoque febris acutæ solutio per crisin, rejecto ex virga sanguine copioso, & tubulis vermiformibus excretis, huc referri meretur, quam Edmundus Meara inter hist. Medic. p. 128. (seu potius Jo. Bidgoodus, è cujus diario Franc. Pouletus describi curaverat, ut contra illum urget Richardus Louverus in vindic. pyretolog. Vuillisianæ cap IX) his verbis describit, ulnam longitudine superantes: *Lumbricos teretes exactè referebant: quos cùm adstantes non sine admiratione conspicarentur, verosque lumbricos existimarent: ego incisis illorũ quibusdam comperi, non fuisse lumbricos, sed tubulos membranaceos sanguine refertos, ad venarum figuram, ut arbitror in corpore conformatos, cui lumborum calor membraneum illud involucrum obduxerit.* Causa quidem valdè obscura & dubia, sed manifesta tamen similitudine cum venis, quam in dracunculis vett. quoque agnovêre. His tamen longè major & forsan dracunculo similior fuit vermis ille sive cylindrus sanguineus, quem à splenetico, suppressis hæmorrhoidibus, emictum refert Thomas Reinesius epist. ad Nesterum c. L. & LII. Pilis præterea urinariis quam proxima viden-

videntur fila spermatica, & ipsa sæpius cum urinis excreta, adfe-ctu quem gonorrhoæ similem minus accuratè Andr. Cæsalpinus pronunciabat IIX. art. Med. XXX. quæ pervia Petro Paulo Simonetæ observata compend. tot. Med. lib. II. c. XLIV. à dracunculis tamen diversa, licet haut parum similia quandoque appareant. Capillos certè alios microscopio concavos, alveatos, & canalium ritu pertusos, viscosâ & geniculatâ radice, interdum etiam triangulares variæque figuræ conspexit Petrus Borellus Cent. obs. microscop. XXIII. Hagiensi autem dracunculo urinario addendum animalculum vivum draconis parvi figura à muliere Noviomagensi peste infecta cum vomitu rejectum, quod relatione Francisci Patenii Chirurgi sollertissimi, digiti longitudine, quadrupes, & lacertæ ferè simile, sed sanguinei coloris describit Isbrandus Dimerbroeccius IV. de peste histor. LXX. cui non multum dissimiles duo alii, quos ab ancilla Castrensi Jo. Vigerius rejectos vidit apud Borellum I. obs. XXIII. & serpens ingentis magnitudinis quem ap. eund. III. obs. XXXI. vomitu expulsum Chatardus observavit. In corpore quoque pueri Argentinensis genitum singulari dissertatione doctissimè ostendit Nobilissimus Sebizius, & alium alvo redditum à puero Monspeliensi X. pollicum longitudine à Giliberto pharmacopoeo vitro conclusum, & aq. Imperiali conditum vel potius immersum memorabat Borellus I. obs. XXIII. Quod verò de Serenissimo Principe Ernesto Archiduce Austriæ & Prorege Belgii Jansonius tom. II. Mercur. Gall. Belg. CIϽ IϽXCV. retulit, perpulcrè cum dracontiis convenit: In renibus nimirum defuncti oblongam vivumque vermem repertum, qui interiora corroserit, ut brevi tempore extenuato corpore marcescens obierit. Nam quamvis de calculo & arenulis nonnulla apud Jo. Schenkium III. obs. Med. p. 505. protulerit Jo. Jac. Beurerus Historicus & Interpres Græcus Cæsareus, vermi tamen sive dracunculo alicui multò magis conveniunt, quæ præstantissimorum Medicorum fide, Coriolani Beccariæ & Alvari Nonnii ibidem recensebat; renum nimirum utrumque magnum, durum, & lividum apparuisse in dextro phly-

ctænas

ctænas, sinistro autem præterea ulcus etiam cavum nigrum, & ἐσχαρωτικὸν tanquam cancrosum visum: quod sanè haut rarò & vermes & calculi excitare solent. Sed & in mammillis animalculum serpentis effigie, bombycis magnitudine, cum lacte nimium adfluente in juvencula generatum, quod CIↃ IↃCLXVI. suctu alterius eductum fuit, & quod ex literis Autrici ad D. Fuquesium Medicum eximium datis commemoravit Hedouillius in Ephem. eruditor. chelis cancrinis instructum, cornutum, bifurcatum, innumeris pedibus, & incessu serpentino, ad dracunculos non ab re pertinere videtur: quamvis nonnullis accidentibus etiam manifestè differat, multoque magis serpens in ipso corde genitus, cujus supra mentionem injecimus, cui addendus vermis alatus, & ipse dracunculo simillimus, in corde pueri Confluentini, descriptus à Jo. Dan. Horstio manuduct. ad med. part. I. c. I. §. II. nec multum diversa videtur membranosa substantia oblonga, albicans, in dextra cordis auricula prætumida reperta in puella sexenni à Gasp. Bauhino CIↃ IↃLXXXVI. apud Jo. Schenkium III. obs. IↃCCXXII. vermis cardiaci nomine descripta. Cæterum nec genitales partes omninò ab hoc adfectu liberæ. Quamvis enim varices & varicosi tumores alii, quorum pars κιρσοκήλης nomine venire solet, à Vena Medinensi omninò diversi & discernendi sint, quemadmodum jam sæpius in præcedentibus dictum: ipse tamen plexus κιρσοειδὴς testiculorum apud Nathaneelem Highmorum elegantissimè depictus lib. I. disquisit. anat. part. IV. c. II. tab. XI. dracunculi alicujus convolutionem pulcerrimè æmulatur, arterias enim liquorem spirituosum testibus potius, quam nervos adferre, ideoque & plurimum divaricatas atque in canaliculos veluti serpentinos distortas ajebat experientissimus Vuillisius Anat. Cerebri c. XXVII. mira autem illa veretri distorsio, in mercatore Patavino, quam ex Jo. Prevotii definitionibus Pathologicis Mſ. ad Jerem. Martii observ. V. haut ita pridem notavimus, ad dracunculos non incommodè reduci potest, spiræ enim in modum à pube exoriens duritie ossea in medium membri usque progrediebatur, quæ tamen si in venis ipsis contenta fuerit,

quod nobis non constat, varicibus saltem simillima habenda est, quibuscum tot alii dracunculos commiscuerunt. Huic sanè viro Scirrhosum illud involumen extra τὰ ἀφροδίσια nullam molestiam creabat, dracunculos autem in virilibus & præcipuè scroto genitos, ineffabilem dolorem inducere, quo gravior nullus obtingere queat, notavit Levinus Hulsius VII. Navig. Batav. XLIIX. & ex Samuelis Blommertii Mſ. apud Isaacum Vossium O. Dapperus in descript. Africæ p. 462. de quo plura inferius dicemus. Quo etiam in mulieribus spectat ὀσχίον in Glossis Hippocratis, extuberantia circa os vulvæ flexuosa. ὄσχος enim & μόσχος, palmites & claviculæ sive helices, ut in vitigenis, ἀμφίδεον, item &, λέγνα, interprete Mario Nizolio, qui adfectus idem videtur cum τῷ ἀνευρυσμῷ τῆς μήτρας apud Dioscor. l. c. XII. quo sanè doctissimus Saracenus cæterique interpretes omnes non debebant tam laxè: *dilatationem uteri*: reddidisse. Est enim ἀνευρυσμὸς idem quod ἀνεύρυσμα, dilatatio sc. non quævis aut simplex ipsius partis, sed vasis alicujus sanguiferi in parte aliqua Herodico sive auctori Definit Med. quem sequitur Paulus Ægineta VI. c. XXXVII. Serpentes quoque in utero prægnantium geniti ap. Bauhin. append. ad Rousseti de part. Cæsar. c. VII. histor. VI. non tam ad dracunculos referendi sunt, quam Harpyias, quarum in Episagm. nostris obs. LXXVI. mentionem fecimus. Nec aliò pertinet serpens alatus Margaritæ Laurentii Valestari conjugis CIƆ CCCCXCI. Genuæ partu editus apud Augustinum Justinianum in V. Annalium Genuensium: & fœtus Cracoviensis serpente adfixo, qui dorsum demortui depastus erat CIƆ CCCCXCIV. repetente ex aliis Ulysse Aldrovando lib. de monstr. c. XI. Cæterùm cum dracunculi in musculosis partibus sub cute, quales in cruribus, brachiis, & lateribus conspiciuntur, ab omnibus produci ferantur, quæri omninò posset, cur istis solùm membris, aut saltem aliis in partibus rarius observari soleant? Quid solidi responderi queat, nondum satis perspicimus. Si quis naturam vermis illius propriam causari velit, fortasse non vehementer eidem repugnandum foret. Verùm sciendi avidæ mentes hoc pacto satiari nequeunt; quamquam

quam ſapientis quoque viri ſit, quædam æquo animo neſcire velle. Probabile tamen videtur, cùm Ebnſina, aliique omnes dracunculos, ut plurimum in cruribus enaſci dixerint, imbecillitatem illorum aptiſſimam eſſe vitioſis humoribus recipiendis, qui alimentariis Seminia dracontiorum devehentibus permixti ſunt. Ægyptiis enim, quibus Venam Medinenſem æquè, ac Arabibus, & reliquis familiarem eſſe ſcribunt, articulorum omnium, & præcipuè crurum infirmitatem, tam victûs ratione, quam balneorum frequentia, nimioque rei venereæ uſu quaſi propriam tribuit proſper Alpinus I. med. Ægypt. XIV. Turpis quoque & ulceroſus ille pedum tumor, quem Ebnſina noſter دا الفيل *morbum Elephantis*, Interpres vulgatus *Elephantiam*, appellat, Thom. Reineſius verò *ἰσοϱεμβλίων* Linguæ Punicæ c. IX. neſcio, quam ob cauſam, pedem elephantis interpretatur, quemque Ant. Saporta IV. de tumor. c. XII. nullo exemplo, nulliſque auctoritate, etiam ad manus extendit, ſingularem infirmitatem eorundem etiam in Arabibus, Perſis, Indisque ſatis arguit, cujus ap. Græcos nullum exſtat veſtigium, & apud alias gentes vix unum aut alterum exemplum occurrit. Amatus Cent. II. cur. XXXIV. & Foreſtus XXIX. obſ. XXVI. à ſe obſervatum, ſed uterque incurabilem commemorat. Varices elephantiaſi conjunctos vidit Alphonſus Ferrius II. de L. S. multipl. uſ. c. LX. Barthol. Montagnana viro cuidam eodem laboranti conſilium communicavit, quod ordine eſt CCXXXVI. & alii cuidam aliud Jo. Matth. Ferrarius, cui provinciæ Mediolanenſis oppidum, Gradi, S. Gradium, dictum Vulgatius nomen dedit, quod eſt LXXXVI. Theophr. Paracelſus non lepræ ſpeciem, ſed in artubus cognoſci ait, quando extremis valde tumentibus ſuperiora extenuentur, lib. de ulcer. c. XXXV. at Scholiis in Macri ſuppoſiticii poëma de herbis aut: *Nepetam cum vini latice contuſam & pedi elephantico impoſitam aut inunctã tumorem quidem imminuere, ſed morbum non omninò tollere.* Quod ſanè nonniſi experientia ipſi conſtare potuit. Elephantiaſin tamen Græcorum cum

 Arabum

Arabum isthac confudisse satis apparet. De illa enim poëta ὑποβολιμαῖος & interno ejusd. usu loquebatur:

Est lepræ species, elephantiasisq́ vocatur,
Quæ cunctis morbis major sic esse videtur,
Ut major cunctis elephas animalibus exstat.
Hunc in principio morbum potus Calaminthes
Cum Vino curat, humores extenuando.

Plinius tamen ipse etiam XX 14. de externo usu: *Menthastri foliis commanducatis & impositis sanari Elephantiasin, Magni Pompeji ætate, fortuito cujusdam experimento, propter pudorem faciei illitâ, compertum est.* Attamen Steph. Rod. Castrens. Consil. Med. p. 40. utrumque adfectum æquè contagiosum decernit: an verò morbum illum Elephantis viderit, nec ipse scribit, nec nobis libet adfirmare. Præter hos autem qui conspexerit, nemo occurrit. Nam licet Guil. Ballonius III. Consiliis ejusd. mentionem faciat, videtur tamen œdema potius, aut quemvis alium crurum tumorem descripsisse, ex illorum nempe genere, quales Cachecticis familiares, quemadmodum & illi, quos mendicantibus in viis publicis stipem petentibus sæpè obvios ajebat Sennertus V. Pr. part. I. c. XLV. plerumque enim ulcerosi sunt, (secus quam Arabum) veluti in pistore Suburbano Friburgi Brisgojorum descripsit Jo. Georg. Schenkius VI. obs. p. 888. Nec tamen contemnenda opinio Adolphi Occonis, inter nostrates quondam doctissimi in Pr. ap. nos Mſ. qui elephantiasin hanc Arabum particularem satis commodè appellabat, ejusque per omnia eandem naturam causamq; constituebat cum universali Græcorum, quemadmodum & siderationes, & epiceſiæ quarundam partium à totius adfectibus similibus non nisi loco, & quandoque magnitudine, differunt. Quin etiam Ægyptii κνημαλίδες non aliam ob causam appellati sunt, quam quod inferiores corporis partes crassiores haberent, notante Casaubono ad Suetonii Claud. c. III. à potu nimirum Nili & reliquo victu collectis humoribus serosis, atque in crura defluentibus, quibus propterea ἰσχνοσκελεῖς Arist. sive persiles dicti contrarii. Legumina utique pravi crassique

crassique succi, qui in crura subsidere soleat, ex Hippocr. Epidemiis perdoctè observavit Petrus à Castro Cent. V. Imbris sui aurei, aphor. XLVI. At quamvis Anton. Benivenius de abdit. morb. causis c. LII. pedis tumorem & dolorem in adolescente quodam iisdem remediis curatum narret, quibus in morbo Elephantico Ebnsina & Rasæus uti jusserunt, non immeritò tamen dubitari potest, an ille ipse morbus fuerit, cùm Benivenii descriptio nihil conveniat cum Arabum descriptione. Rembertus autem Dodonæus omninò non est audiendus, qui in subjecto scholio è quodam abscessus aut tumoris genere à se viso statim hunc morbum fecerat, imò eò licentiæ progressus erat, ut eum non è vitiosis humoribus, sed nimia alimenti copia gigni existimârit. πολυσαρκίαν enim non minus, quam œdema, quibusdam confusam, atque varicibus quoque sociatam, tamen distinguendam contra Marcum Gattinariam Pr. c. propr. rectè jam olim Guil. Rondeletius advertit de dign. morb. c. X. Ita re probè considerata morbum hunc elephanticum non minus, quam dracunculos, regionibus Orientalibus ferè peculiarem & endemium, rariusque ap. nos, & aliis in locis obvium statuere audeamus. Propriè tamen sic nominatum: nam alterum illum largius sumptum, de quo Sillanus Niger & Jo. Tornamira in IX Rasæi ad Almans. c. propr. nos & Augustæ in valdè obeso, & Argentinæ in viro honesto vidimus, qui eum nivali frigore, dum pedes per alpes iter faceret, contraxisse dicebatur. Enormis autem illa crurum magnitudo, quam in puella Anglica sedecim annorum Gaspar Bauhinus observavit, ad monstra potius, quam ad morbos pertinet, ut ex icone facilè colligitur, quam lib. I. de hermaphrodit. c. IIX. inspicere licebit. Diversus quoque tumor ille tibiarum familiis quibusdam in India seu regione S. Thomæ peculiaris, quas *Penequaus* *i. e. exsecratas*, propterea appellant ap. Jo. Hug. Linscot. Itin. c. XV. postquam n. S. Thomã à Rege Narsingæ Sacellum sæpius frustra petiisse narrasset, sic tandem impetrâsse commemorabat, ut ex trunco ingentis arboris fabricaret, qui portum fluminis Meliaporæ, magno mercaturæ dispendio, obstruxerat, & quem CCC.

 Elephan-

Elephantes extrahere non poterant, ipse miraculo divino solus cingulo injecto eduxit. In illo autem sacello cùm postea ab Idololatris confossus esset, dum sacra faceret, posteri illorum omnes, qui necem Apostolo intulerant, velut divina irâ devoti ab ipsa nativitate signum hoc maledictionis adferre perhibentur, suris tibiisque adeò inflatis, ut altero crure Elephantes reliquo tamen corpore optimè conformato, referant. Tales utriusque sexus homines plures in illa D. Thomæ regione cùm ipsi occurrissent, causam tamen monstrosæ crassitiei aliis investigandam relinquebat, quandoquidem ipsi aliam non retulissent. At certè id non magis iræ Divinæ graviori adscribendum fuerit, quam alii adfectus, quos etiam piissimi, & innocentissimi homines quotidiè experiuntur. Integras enim familias nobilissimas novimus, quibus & lienis tumores, & rhacheos distorsiones, & epilepsiæ, & hæmorrhoides aliæque hæmorrhagiæ, & hydropici ac œdematodes tumores, non quidem omninò omnibus, plerisque tamen, tanquam hereditate obveniunt, quod illis etiam accidere videtur, ut claudi sæpius claudos, vari, valgi, vibiæ, cilones, balbi, aliique tales similes sibi haut raro gignere consueverunt. Quidquid tamen de ista crurum imbecillitate alii senserint, cùm negari non possit, nos tamen causæ isti internæ externam quoque è Galeno addamus: qui II. ad Glaucon X. rationem redditurus, cur Alexandrini tam frequenter elephantiasi corripiantur, inter alia de vitiosis humoribus hæc adfert: θερμοῦ γὰρ περιέχοντος ὄντος, καὶ ἡ ῥοπὴ τῆς φορᾶς αὐτῶν πρὸς τὸ δέρμα γίνεται. *Cùm circumstans aër calidus sit, motus humorum agitur versus cutem.* Sunt autem omnes illæ regiones calidissimæ, quibus & morbus Elephanticus Arabum, & Vena Medin. familiaris est. Testantur hunc humorum motũ à calore ambientis aëris etiam tubercula balneolorum, ut Aristophanes in Pluto vocat, act. II. scen. V. paupertatem irridens: σὺ γὰρ ἂν πορίσαι τί δύναι' ἀγαθὸν, πλὴν φῴδων ἐκ βαλανείου; *Quidnam boni præstare possis cuiquam, præter tubercula balneolorum?* Ubi scholiastes Græcus antiquus perdoctè: φλυκταινῶν. ἐκ βαλανείου δὲ διὰ τὸ τοὺς πένητας ἀποροῦντας ἐνδυμάτων διὰ τὸ ψῦχος ἐν βαλανείοις

λανείοις καθεύδειν, καὶ ἐκ θέρμης, ἢ ἀὴρ αὐτοὺς ἐξιόντας ϖεριχεῦμα προσβαλόντος, φλυκταίνας ποιεῖν. Nostra versione: *Pustulas.) Ex balneo autem quia solerent pauperes, vestimentorum defectu, frigoris causa in balneis dormire, undè à calore, aut aëre ambiente exeuntes statim pustulis corripiebantur.* His denique, ut corollarium, adjicimus: frequentes illas minusque concinnas equitationes, quibus plerique orientalium indulgent, non tantum equis & mulis asinisque, sine ullo stapedum adminiculo, sed etiam quandoque bobus Indicis & Camelis, haut exiguam causam videri, ut motis in crura dependentia humoribus, & liberiori circulatione sanguinis impeditâ, tam enormiter postea intumescant. Unde plerisque fasciæ per iter in usu esse solent, ad instar ocrearum circumductæ, quas Armenii suâ linguâ باطاوا appellant. Id ϖαργανοῦσθαι Hippocrati lib. de aër. aq. & loc. §. XLVII. ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ, *fasciis colligari, sicut in Ægypto fieri solet:* ϖάργανα, δεσμὰ ῥάκη, Hesychio, *fasciæ, vincula, cunabula:* Non cruribus tamen solis, sed etiam lumbis totique corpori inductæ. Fasciæ Copticæ Ebn Cabaro: القماط Sed pergit Ebnsina cujusque ætatis hominibus plurimum obtingat, his explicat: *Frequens est pueris in latere utroq;.* In his certè lumbricos frequentissime generari, nemini ignotum est, adeoque nec mirum, si illis in locis, quibus dracunculi nascuntur, pueri sæpius quam alii, iisdem adfligantur: Causâ ex Hippocrate satis manifestâ, qui I. aphor. XIII. pueros præsertim alacriores, minimè omnium jejunium ferre testatur. Cùm igitur non solùm Voraces sint, sed etiam sine ullo ordine, quovis tempore varios cibos, inprimis autem fructus, aliosque corruptioni obnoxios, avidissimè ingerant, & intempestivis motibus exerceantur, materiam vermium facillimè coacervare possunt. Neque tamen est, cur aliquis sibi ipse persuadeat Ebnsinam dracunculos cum capillaribus infantium vermiculis aut ut Sennerto nominare placuit, vermibus dorsi, confudisse, quod eos pueris frequentes esse scribat. Curatio enim quam

quam Venæ Medinenſi adſignat, ab illa altera immane quantum diſcrepat. Nec quidquam prohibet, quin iſtis in regionibus æquè frequentes dracunculi pueris obveniant, ac illi aliis in locis lumbricis infeſtantur. Quin etiam Ebn Jezla l. c. non tam puerilem, quam juvenilem ætatem temperamento calidiori jungebat, nî fortè interpretem aberrâſſe credamus. شباب enim non juventutem tantum, ſed etiam puerorum ætatem denotat, dum adoleſcunt. Poſtremò, antequam ad alia progrediamur, quod ſupra etiam promiſimus, Galenum ab illorum inſultu tueri conemur, qui ipſum dracunculis eundem generationis locum dicâſſe putant, quem trichiaſi adſcripſerat. Cùm ergò VI. loc. adfect. III. de pilorum mictu dubia quædam propoſuiſſet, ſic ait: *καὶ διὰ τοῦτο πιθανώτερον ἐφαίνετό μοι τὴν γένεσιν αὐτῶν ἐν ταῖς φλεψὶν εἶναι, καθ' ὃν τρόπον ἐν ταῖς κνήμαις ἔν τινι τόπῳ τῆς Ἀραβίας, ὥς φασι, τὰ καλούμενα δρακόντια γίνεται. Proinde probabilius mihi videtur in venis hujusmodi res procreari, quemadmodum in quodam Arabiæ loco, ut ajunt, in tibiis hominum dracunculi vocati naſcuntur.* Non dicit dracunculos in venis produci, ut pilos, ſed *ἐν ταῖς κνήμαις*, in tibiis. Exemplum autem hoc ideò adduxit, ut conjicimus, quo vero ſimilius eſſe probaret, in venis pilos naſci, in quibus humores illorum generationi idonei contineantur, cùm etiam in ipſis tibiis dracunculi longiſſimi produci ferantur, ubi tamen materiæ tam opportunæ & copioſæ præſentia multò obſcurius intelligatur. Sed neque verba, quæ ſequuntur, dracunculos in venis generatos arguunt. Poſtquam enim hos ſibi ignotos liberrimè faſſus eſſet, mox addit: *At ubi pilos mejendo excretos vidi, tùm ex colore, tum ex mole credidi dicentibus, eos ex craſſa lentaq; materia, quam calor calfecit exſiccavitque in venis conſiſtere, quamquam longitudinis cauſam non intelligo.* Malè hoc quidam iterum de dracunculis adripiunt, cùm nunc de ſolis pilis loquatur, quod ſine omni ambiguitate è Græcis patebit, quæ adjungimus, *ὅπου γε καὶ τὰς οὐρουμένας τρίχας ἰδὼν, ἐκ μὲν τῆς χροιᾶς τε καὶ συστάσεως ἐπειθόμην τοῖς εἰρηκόσιν αὐτὰς* (i. e.

τρίχας,

τριχὰς, non αὐτὰ i. e. δρακόντια) ἐκ παχέος τε καὶ γλίσχρου χυμοῦ θερμανθέντος καὶ ξηρανθέντος ἐν ταῖς φλεψὶ σώματος: τὸ μῆκος δ' αὐτῶν οὐκ ἐπινοῶ τὴν αἰτίαν. Rectius igitur Julius Alexandrinus hæc omnia de pilis tantum accipiebat, cujus verba in Comm. adſcribi non indigna ſunt: *Atqui in venis eos gigni quam in renibus longiores poſſe dixit modò, verùm non de loco, in quo generentur, ſed de materia ex qua dicere videtur hîc, qua tamen humor eſſe queat viſcidus, tenax, qui proinde in longum partium ſuarum cohaſione tractilis, & ex aſſatione coactus, quam licet miraretur Galenus cauſam, ſciebat tamen aliam non facilè eſſe poſſe.* Ne tamen hoc quoque prætereamus, præfractè negandum non eſſe cenſemus, in venis ſanguinem ab arteriis remeantem recipientibus, & pilos, & vermiculos pilares, adeòque dracunculos etiam generari poſſe, cùm illos in plica Polonica dicta ſæpius viſos Petrus à Caſtro obſerv. Pr. Mſs. hos autem ad radices Cornuum in cervis Gaſp. Bauhinus tr. de lap. Bez. c. VII. deſcripſerit. Frequentius inter muſculorum inania & extra vaſa omnia, ex ſucco potius nutricio p. n. adfectos, quam ex ſanguine generari videntur, in quo nimirum ſeminium delitеſcat, quamvis & circulatio lymphæ cum ſanguine neutrum omninò excludendum ſatis oſtendat. Quod ipſum, etſi fortaſſe non probè ſic intellectum, cauſa videtur, cur ap. Alzahravium tr. XX. c. XVII. Medici nonnulli eandem generationem pilorum in urinis, & Venæ Medinenſis conſtituerint: قال بعضهم ان ولاد الشعر كولاد العرق المنضض ؛ *Medicorum quidam dicunt eodem modo pilum (urinarium) generari quo etiam vena exiens ſive undoſo quaſi motu pro ſerpens.* De longitudine autem idem heic locum habere poteſt, quod ad Galenum Argenterius notaverat: *Mirari non debuiſſe, quomodo tam longa capillamenta in exigua renum cavitate contineri poſſint: nam quod flecti contorquerique poteſt, carere hac dubitatione.* Comm. in IV. aphor. LXXVI. At quem Raſæus Anonymum Arabem

U adducit,

adducit, de venis eadem adserentem, haut dubiè sua è Galeno, non satis intellecto, transscripsit, de quo iccirco nil ultra.

CAPUT VI.

SEquuntur symptomata Venæ Medinensis, quæ nos triplicia constituimus: eruptionem scil. antecedentia, comitantia: & quæ ex accidenti aliquo externo consequuntur. De antecedentibus tamen non injuriâ dubitari posset. Aëtius enim dracunculos, antequam erumpant, nihil molestiæ adferre scribit. Plutarchus autem ex Agatharchide δρακόντια μικρὰ τὰς κνήμας καὶ τοὺς βραχίονας διεσθίοντα appellat: Non potest autem exesio ista sine dolore aut molestia, aut saltem membri extenuatione & infirmitate aliqua contingere. Nos hîc distinctione opus esse arbitramur, quam ab Ebnsina ipso mutuabimur, sic pronunciante: *Et prout fuerit materia ex qua generatur, ita in corpore vehementior dolor existit.* Nimirum interdum ferè nullus aut valdè obtusus dolor sentitur, si scil. materia ex qua generatur, & qua alitur, mitior & præcipuè pituitosa fuerit, interdum verò vehemens, si scil. acrior sit, calidior, ichorosa & melancholica. Præterea dracunculus ipse nonnunquam vehementius movetur & tùm dolores magis exacerbantur, nonnunquam verò motum habet obscurum, segnem, aut ferè nullum, & tunc ejusmodi quoque dolorem excitare solet. At quæ ipsimet eruptioni junguntur sunt dolor, fervor, & rubor, perpetui inflammationum comites, sic enim Galenus de tum. p. n. c. II. λέγεσθαι εἰώθασι τοῖς ἕλλησιν ἡ φλεγμονὴ κατὰ τῶν ἐν ὄγκῳ μείζονι μορίων σαρκωδῶν, ἅμα τάσει καὶ ἀντιτυπίᾳ, καὶ ὀδύνῃ σφυγματώδει καὶ θερμῇ, καὶ μετ' ἐρυθήματος. *Solent Græci nomen inflammationis dicere de partibus, quæ in majori tumore sunt, carnosis, intentis, renitentibus, pulsanti & calido dolore dolentibus & rubentibus.* Et Paulus Ægineta IV. 17. κοινῶς μὲν τοὺς θερμοὺς ἅπαντας καὶ ὀδυνηροὺς μετὰ φλογώσεως ὄγκους, φλεγμονὰς προσαγορεύειν εἰώθασιν. *Omnes ex æquo tumores calidos,*

calidos, quibus dolor, fervorq; adest, inflammationes appellare consueverunt. Fervor autem non alius quam febrilis est, unde & febrem appellabat Ebn Jezla, qualem in se ipso ephemeram tantum expertus erat Nobilissimus Heinzelius, cujus historiam inferius pluribus referemus حمى اليوم، Ebnsinæ, qui plurima ejusd. genera causis distincta enumerat, ex quibus huc maximè pertinent الوجعية، quæ ex dolore, & الورمية، quæ ex apostemate sive tumore scil. inflammatorio: quam tamen utramque plurium quandoque dierum, & in continuam transire posse, satis vero consonum apparet: nec aliter quam de ephemera accipiendum, quod de horrore febrili Samuel Blommertius refert observ. suis Mss. apud Isaacum Vossium. Ipse quidem Ebnsina symptomatum istorum sigillatim verbisque expressis non meminit, dum tamen è pustula natum tumorem tandem apertundi sive exulcerari ait, his ipsis omnia complectitur. Alzaravius tamen tam inflammationem, quam dolorem disertè nominat: & Amatus Æthiopem suum mox ab initio, antequam ulcus in malleolo excitaretur, de dolore conquestum narrat. Cùm verò nos tumorem illum inflammatorium non verum ac legitimum supra jam dixerimus, perfacile cuivis erit, aliquid de specie doloris sponte collegisse. Interdum enim adeò serosus est, ut transpareat, & dracunculum in se latentem ostendat, quod idem Blommertius recenset. Multæ quidem doloris species, quas tamen Ebnsina cùm numero quindenario comprehendisset, interpretes & Commentatores deinde multò plures attulerunt, membri præcipuè adfecti causæque agentis ratione discrepantes, ut Gerardus Bututus Med. Provincialis & Profess. in Academ. Montepessulana glossis in Const. Africani Viaticum scriptis, quamvis sermone minus ornato ex temporum illorum more lib. VII. c. XIV. exposuit, paucisque heic recensere lubet, quod multa in editis aliter quam in membranis Bibliothecæ Reipubl. nostræ, perquam eleganti manu scriptis legantur. *Pruritivum*

ſcil. aſperativum, pungitivum, compreſſivum, frangitivum, conſumptivum, perforativum, acutem, ſtupefactivum, pulſativum, gravativum, fatigativum, mordicativum, ſtimulativum, & apoſtemoſum Quot nominum portenta! quibus Mſ. præterea addit: *Extenſivum, lacerativum, concuſſivum, malleativum, & laxativum.* Nimirum nullâ ſapientiæ accuratione, ut ne nugis quidpiam deeſſet, poſtquam antiquis quinque tantum genera nota à materiæ diverſitate verſiculo elumbi docuiſſet:

Infigit, & pungit, extendit, & aggravat, errat.

facilè tamen corrigi poterit, ſi ſcribamus:

Infigit, pungitq́ꝫ, extendit, & aggravat, errat.

Sic enim à ſanguine, bile, pituita, melanch. & flatibus fieri perſuaſi erant. Neque ab iſtis omnibus abhorrens Dominicus Leonus ſect. I. Pr lib. I. c. VI. aſperum arteriæ aſperæ proprium faciebat, punctorium membranis adſignans, extenſorium nervis, compreſſorium muſculis frangentem oſſibus, perforatorium partibus gemina tunicâ veſtitis, obtuſum membris ſtupidis, & quaſi dormitantibus, pulſatilem inflammationibus, fatigatorium autem cum laſſitudine laborioſa, ut mordicantem cum ulceroſa comparabat. Nimirum felicius Lud. Mercatus meth. univerſal. part. I. p. 14. ex ipſa natura doloris & partium varietate in punctorium membranis proprium dirimebat, acutum coli & calculi, ſtimulantem à mordaci humore, ulceroſum, pruriginoſum, pulſatorium, gravem, & denique tenſivum à plethora: accidentium parum curioſus, quæ p 17. commemorabat, profundum, oſteocopum, ſublimem, latum, æqualem, & inæqualem, anguſtum, fixum, turgidum, celeriter à parte adfecta in vicinas delatum, tandemque torpidum, & ſtupidum. Ex quibus omnibus, ne ſic quidem accuratè enumeratis, ſi ipſam phlegmonen ſpectemus, ad Venam Medinenſem punctorius pertinebit ſive νυγματώδης, aut potius σφυγματώδης unà cum pruriente, τῷ μετ' δήξεως, quem puſtula ſive veſica ſero atrabilario, ſive quod idem eſt, latice ſalſiori & acriori excitata ſatis oſtendere vide-

videtur: & denique non tam τονώδης, quam nervis nervosisque corporibus proprius intensorius sive tractorius, Archigeni ὁλκιμος dictus, qualẽ chordarũ similitudine haut inconveniẽter Jo. Bapt. Montanus Com. in IX. Ras. c. I. de Cephalæa, explicabat. De symptomatibus autem, quæ Venâ Medinensi jam egressâ, aut etiamnum prodeunte, superveniunt, aut casu consequuntur, hæc habet Ebnsina: *Quod si extensa abrumpatur, magnus inde labor & dolor redditur: sed &, quamvis non rumpatur, extensio dolorem parit.* Sic enim nos vertimus. Gerardus in vet. interpretatiõne sua Venetiis CIↃ IↃXXVII. excusa non satis benè, ad tempus referens: *Imò per spatium dolet, etsi non rumpatur*, nullâ extensionis mentione factâ, tanquam non مدّه cum pronomine adfixo, sed مدّة legisset: hoc enim temporis spatium significat, sed cum particula من construendum. Nos causam doloris quando abrumpitur, in præcedentibus reddidimus, cùm Loniceri opinionem examinaremus. Tumorem quoque cruris ex imperitia violenti Medici dracunculo abrupto, magnis doloribus urentem in quibusdam ipse Jo. Hugo Linscotanus Itiner. c. VI. observavit, quod inflammationi omninò convenit. Cur autem sola extensio, etiamsi non rumpatur, dolorem pariat, dictu difficilius videtur. Ut tamen sententiam nostram liberè exponamus, non tam in musculis, quibus instrati delitescunt dracunculi, causam quærendam existimamus, licet carnem ad Aristot. mentem verum tactûs organum, cordique præcipuè adsignandum Petrus Aponensis in Concil. suo, ejusque imitatione Gasp. Hofmannus docuerint, quod de indefinito, & ratione nervis multisque aliis membris communi, enucleatione sua ad differ. XLIII. componere conabatur Gregorius Horstius, primarium in cute, & maximè in vola manus collocans. Sed parti cuidam corporis sive membranosæ, sive tendinosæ, sive periosteo ipsi (de quo singularem observationem infrà commemorabimus) adfixum adhærere arbitramur, eodem planè modò, quo

etiam lumbricus latus intestino adnatus comperitur, unde accidere necesse est, ut tracto dracunculo pars illa cui adhæret, acri sensu prædita, simul trahatur, vellicetur, lancinetur, & doleat. Ligamenta enim non omnia sentire vulgo notum, qualia χονδροσυνδέσμοι dicta ab ossis cartilagine enata, ejusque media parte, quæ tibiam coxæ, & femur coxendici conjungunt. Quæ verò à periosteo orta aut membranosa sunt, sensu exquisito prædita, non secus ac tendines, anatome arthriticorum materià crustacea induratâ intra ligamenta obsessa sunt reperta, observantibus cùm aliis pluribus, tùm diligentissimo Rondeletio III. meth. cur. morb. c. LXXXI. quod dum letiferum omnino pronunciabat Ebnzoharus lib. II. tr. VII. c. XX. nonnisi de ichore virulento, ex abrupto exstillante, dubio procul accipiendum. Ruptos etiam ejusmodi tibiarum vermes, exulceratione facta, multis è foraminibus per partes exire testatur αὐτόπτης Phil. à S. Trinit. X. Itin. IV. qui è Carmelitano ordine Orientis plerasque regiones multorum annorum itinere perlustravit. Vocabulum خطي quod laborem vertit interpres vulgatus, generalius *naturam, conditionem, aut etiam causam alicujus rei* significat, quemadmodum & apud Græcos Jonica dialecto πέλος, non aliud quam χρῆμα, *res*, ut πέλος θανάτου, i. e. θάνατος, *res voluptatum* Plauto pro voluptate, Is. Casauboni animadversione ad II. Athenæi III. χρῆμα ἀπέραντον Aristophani in νεφέλ. prolog. Scholiastæ, μέγεθος ἢ ἔκτασμα, οὗ πέρας οὐκ ἔστιν. Vernacula nostra non invenustè diceretur: Es wird ein groß Wesen darauß: h. e. *magnum negotium redditur*: vel: *multum negotii facessit. In magno negotio habere* Suetonii formula in J. Cæs. §. XXIII. quod Gr. ἐν μεγάλῳ ἔθετο ejusd. Casauboni observatione in l. c. Hippocrati prognostic. §. XIIX. 18. κίνδυνος πολλὰ πρήγματα παρέχειν: quod alii vertunt: *periculum multi negotii imminet*: Janus Cornarius: *periculum est, multum molestiarum exhibiturum*. Laborem tamen non ineptè nos retinuisse speramus, cujus diversissimos significatus etiam ap. Galenum & Hippocratem doctissimè

ctissimè exposuêre Franc. Valleriola II. enarrat. X. Jac. Hollerius Comm. in I. aphor. VII. & Hieronym. Mercurialis Comm. in epid. hist. II. ultrà illa, quæ de γυμνασία, ὀδύνη, καὶ βλάβη, Erotianus in Lexic. Hippocr. attulerat. Nec minus pulcrè Michaël Ruccerus Comm. Manuscr. in III. aphor. XLIX. πόνους, *labores, & molestias omnes* interpretatus est, quoscunque τὰ ἀσυνήθεα, i. e. *insueta* quævis intulissent. Id utique magis adridet, quam quod exercitationes cùm lassitudine omnemque motum vehementiorem, Jo. Gorræus in defin. Med. arctiori complexu tantum nominarit. Rectius οἶνος, πόνων ἀκεσφόρος Euripidi ap. Athen. XI. 7. *vinum ad ægritudinem medendam:* vertebat Dalechampius, sic nempe, ut πόνοι ea omnia denotent, quæ corpori animoque ægrè facere possunt, de quo iccircò in curatione quædam monenda erunt, ubi de sectione postea tractabimus. Hoc tamen interea addendum judicavimus, abruptionem quidem medentium sollertiâ facilè præcaveri posse, si Vena Medinensis unica & simplex progrediatur, non item si ramoso corpore per plura foramina egressum moliatur, quod aliquando Abulcasimus II. Chirurg. XCIII. (neque præterea quisquam alius, quod nobis constet) animadvertit. Tùm enim istas, ut sic dicamus, παραφυάδας ab reliquo corpore abrumpi & abscindi eò periculosius videtur, quod inter plures simul protuberantes difficile cognitu sit, quænam illarum pro capite principe, primáve radice habenda? Quod si quis doloris laborisve magnitudini, epilepsiæ superventum adjungere voluerit, promptissimè adsentiemur. Quidquid enim de lumbricis & serpentibus in intestinis genitis Ebnsina lib. III. sect. XVI tr. V. c 1. commemorat, quidni dracunculis quoq; aptari queat? وقد يتولد بسبب الديدان والحيات صرع i. e. *Quandoq; à vermibus & serpentibus etiam epilepsia oritur.* His tandem omnibus ex Hulsio & Linscotano Matthias Unzerus l. de lue. pestifera c. V. addebat etiam delirium seu mentis perversionem tantamque debilitatem corporis,

ris, ut ægrotantes neque ſedere, neque ſtare, aut ambulare, aut denique cubare queant, cujus cauſam non tantum doloris vehementiam, ſed etiam corroſionem ipſam vermium conjectabat. Quamvis hoc de malignioribus aut febribus vehementioribus ac ardentibus copulatis, tantum accipiendum, cùm rarius accidere, & curatione in tempore ſuſcepta, vix ullum periculum ſubeſſe, ſatis cognitum habeamus, quemadmodum deinceps oſtendemus. Huc ſanè & imbecillitas illa, lipothymia, & anxietas ingens referenda, cum delirio, quam commemorat Samuel Blommertius ſæpius jam laudatus, febris ſcil. malignioris ſuboles haut infrequentes. Quemadmodum ad malignam exulcerationem pertinet illud Agatharchidæ: τὰς κνήμας καὶ τοὺς βραχίονας διεσθίειν. Id enim ut aliis quoque ulceribus, inprimis verminoſis commune eſt, ita curantis incuria facilè induci poteſt, quod Ebnſina ipſe poſtea cavendum monet: فانه ربما ادي الي الاكله *(quia acrium uſu) aliquando in phagedænam tranſit.* Eſthiomenum quidem Gerardus, reddidit, quæ vox τῷ διεσθίειν proxima videri queat, ſed nos cur phagedænam verterimus cap. XIII. ediſſeremus.

CAPUT VII.



AD cauſas cum Ebnſina noſtro progrediamur: Sic enim ordine ipſe quoque provehitur: *Galenus nihil de potentia illius præſtò eſſe dixit, cui aptè innitetur; quod nunquam eam viderit.* Ingenua confeſſione, quam è Galeno ipſo audiamus: cum enim VI. loc. adfect. III. de dracontiis loqueretur, addebat: λεγόντων μὲν οὖν ἑωρακέναι ταῦτα πολλῶν ἤκουσα, μὴ θεασάμενος δ' αὐτὰ, οὐκ ἔχω συμβαλεῖν οὔτε περὶ τῆς γενέσεως αὐτῶν, οὔτε περὶ τῆς οὐσίας ἀκριβῶς οὐδέν. *Igitur cùm multos audiverim, qui ſeſe vidiſſe dicerent, ipſe verò nunquam viderim, icircò*

circò neq; de ortu, neque de essentia ipsorum, quidquam exactè conjicere possum. Tùm pergit Ebnsina: *Causam ejus ait sanguinem esse calidum, malum & melancholicum, aut pituitam adustam constitutioni vehementer siccæ conjunctam.* Ubi expresse hoc dixerit Galenus, fatemur nos quoque ignorare. Ipse enim in dictis modò testabatur: *Se neque de ortu, neque de essentia ipsorum quidquam exactè conjicere posse.* Ex iis tamen, quæ de trichiasi sive pilorum in renibus & ductibus urinariis generatione proposuit, facilè colliguntur, quæ Ebnsina adscripsit. Nimirum cùm dracunculos lumbricis similes ex eadem materia nasci putaret, ex qua & pili in viis urinariis oriuntur, generantur, non pigebit verba τὰ περὶ τῶν τριχῶν supra adducta repetere: *Credidi dicentibus eos ex crassa lentaq; materia, quam calor calfecit, exsiccavitq; consistere.* Hanc sanè causam Venæ suæ proserpenti eadem similitudine, adsignabat etiam Alzahravius lib. I. Pr. tr. XX. c. XVII. Et Comm. in IV. aphor. LXXVI. aliquot rationibus firmaturus inter alia hæc addidit: πάντες οἷς οὐρῆσαι συνέβη τὰ τοιαῦτα (σαρκία μικρὰ ἢ ὥσπερ τρίχες) παχυχύμοις ἐδέσμασιν ἐκέχρηντο. Guil. Plantii erudita versione: *Omnes quibus talia mejere contigit, pachychymis crassisq; cibariis vescebantur.* Commentatores plerique per cibos crassi succi intelligunt illos quoque, qui humorem melancholicum producunt, siquidem ipse in præcedentibus caseum siccum & fabam fresam nominaverit, è quibus tam melancholicum humorem quam pituitam generari vulgo jam innotuit. Henricus Varenius Nosolog. suæ disp. XXI §. XX. materiam viscidiorem in cruribus aut brachiis collectam, & malignitatis participem, dracunculorum causam προηγουμένην statuit. Hæc enim semper interna esse solet, secus ac προκαταρκτική, quamvis utramque vocem à Stoicis mutuò sumptam nec magno discrimine discerni solitam ex Plutarcho & Cicerone in Medicorum usum concessisse notârit doctissimus Turnebus Comm. in Cic. de fato p. 253. Camillus Baldus tr. de hom. propens. ex temper. cognosc. c. XXV. ut pituitam vitream à frigore crassiores partes cogente, ita hanc coriaceam, calore consumente pro-

ductum, appellare solebat. Nec multum dissentiens interpres Abulcasimi II. Chirurg. XCIII. putrefactionem sub cute nominavit, sicut & serpentes in corporibus nascantur, & ascarides aliique vermes inter cutem & carnem generati. Humores nimirum viscidos, crassos, ac pituitosos ex recepta opinione intelligens. Nos uti humorem viscidum ad generationem ceu materiam, concurrere promptè concedimus, ita ad malignitatem confugere nequaquam necessarium censemus, quam eâ facilitate rejicimus, quâ absque ulla ratione eam Varenius adduxit. Cæterùm hæc communis quoque de lumbrici lati origine opinio est, quam pluribus eruditè refutat Sennertus III. Pr. part. II. sect. I. c. V. At Ebnsina noster non omninò eadem contentus, aliam addit his verbis: *quandoq; eandem etiam gignunt aqua & olera quadam, ob singularem, quam habent, proprietatem.* Nos supra jam monuimus, in aquis & oleribus istis semina dracunculorum latitare. Nec enim aptius proprietas illa explicari potest, cùm ipse Ebnsina lib. I. sect. II. doctr. II. c. XV. virtutem, ut vocant specificam sive substantiæ modum per formam definierit, per eleganti axiomate adlato: واما الفاعل بجوهره فهو الفاعل بصورته النوعية التي بها هو هو *Quidquid agit substantiâ suâ (sive per modum substantiæ suæ) agit id formâ suâ specificâ per quam est id ipsum quod est.* Sed quænam illa sint, cùm Ebnsina ipse non nominet, edicere difficillimum est. De victu tamen vett. Ægyptiorum ex num. XI. 5. aliquid conjici potest, ubi Israëlitæ murmurantes: *Recordamur*, ajunt, *piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem veniunt nobis cucumeres, & pepones, porrâq; & cepæ, & allia.* Aretæus quoque nonnulla prodidit I. de caussis & sign. morb. acut. IX. cùm de ulceribus tonsillarum iisdem familiaribus tractaret: χώρη δὲ ἰκτεῖ Αἰγύπτιος μάλιστα. καὶ γὰρ ἐς ἀναπνοὴν ἐὴ ξηρὴ καὶ ἐς ἐδωδὴν ποικίλη. ῥίζαι γὰρ καὶ βοτάναι, καὶ λάχανα πολλὰ, καὶ σπέρματα δριμέα, καὶ ποτὸν παχὺ ὕδωρ μὲν ὁ Νεῖλος, δριμὺ δὲ τὸ ἀπὸ τῶν κριθέων, καὶ τὸ

τῶν βρυτίων πόμα. Georgii Henischii versione: *Regio Ægypti horum adfectuum planè fœcunda est. Aër enim spirando siccus adducitur. Varios præterea cibos suggerit. Radices enim & herbæ, atq; olera ibi largè proveniunt, & acria semina, & potio crassa, utpote Nili aqua. Sibi verò Ægyptii ex hordeo & flocibus seu vinaceis potiones acres conficiunt.* Galenus quoque Comm. in II. aph. XX. victum Alexandrinorum pronunciat: ταρίχλω τε καὶ πράσα ἐσθίειν, ἐπιπίνειν τε ζύθον. *Salsamenta & porra comedere, Zythumq; superbibere.* Et II. ad Glaucon. X. ἀθάρῳ γὰρ ἐσθίουσι, καὶ φακλῦ, καὶ κοχλίας, καὶ ταρίχη πολλά. τινὲς δὲ καὶ ὄνεια κρέατα, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, παχὺν καὶ μελαγχολικὸν γεννῶντα χυμόν. Nic. Leoniceni versione: *Comedunt farinam elixatam, & lentem, & cochleas, & plura salita, & nonnulli ex ipsis carnes asininas, & alia quædam, quæ crassum & melancholicum humorem generant.* Nec dissentit Herodotus antiquior II. sive Euterpe. c. LXXVII. de Ægyptiis in universum referens, vesci illos *piscibus ad solem arefactis vel salsugine conditis, ut & crudis avibus prius salitis & vinum bibere ex hordeo paratum*, οἶνον ἐκ κριθέων πεποιημένον, à quo dum c. LX. alterum illud & genuinum vinum distinguit, οἶνον ἀμπέλινον appellat, quod Vallæ versio ab Henrico Stephano recognita *Vinum Vineale* reddidit. ζύθον ὃ σμικρῷ κακόχυμον, ὡς ἂν ἐκ σηπεδόνος γεγενημένον: Galenus pronunciabat VI. simpl. c. propr. quod C. Tacito in Germ. *hordei liquor in similitudinem vini corruptus*: quamvis improbante Erycio Puteano Cent. I. apparat. epist. miscell. select. ep. XXV. *Quod igni coquitur, corrumpi certè non potest. Deinde bibitur, sapit, nutrit: imò, ut scias vim vini inesse, vincit virum & deponit.* Alia enim parandi ratio nostris cum lupo salictario: alia vett. & inprimis Ægyptiis sine illo, ideoque citissimè acescentis. Neque nos movet quod Glossatores Talmudici in Pesach fol. XLII. col. 2. Siceram Medicam ex aqua hordei constantem, *sive in quam projecerunt aquas hordei*: שכר המדי דרמו ביה מי שערי eodem planè modo, ut nostram cervisiam confectam existimârint: מדי עושין שכר ממי שעירים כמו שכר שלנו; *Medi faciunt siceram* ex

ex aquis hordei, ut est cervisia nostra. Vett. enim Persæ, Medique non aliter, ac Ægyptii parabant ex hordeo, ut Galenus commemorat: recentiores autem omninò ignorant: quod ex diariis & commentariis Itinerum apparet: in quibus nulla ejusmodi decocti mentio. Omnes enim aquam, cæteri etiam contra legem suam, vinum ingurgitant, ut postea videbimus. De hodiernis autem Ægyptiis Prosper. Alpinus I. Med. Ægypt. X. eos quam minimè carnibus, fructibus autem oleribus, & leguminibus frequentissimè vesci. Inter hæc autem recenset lentes, pisa, ciceres albos, melochiam, malvam, atriplicem, betam, caules, bamiam (sic enim scribendum باميةٌ non *Bammiam*) à Lubia sive Volubili Indica Rauvolfii II. Itin. V. & erysimo Theophrasti, plurimum discrepantem) cucumeres item nostrates & anguinos, quos chatè (rectius *Kettfà*, قثّا) vocant, colocasiæ item radices, melones, angurias, sive pepones aquaticos, qui optimi ex Samarcanda, India & Palæstina ap. Ebn Jezlam can III. direct. san. بطيخ سمركندي وهندي وفلسطي dactylos, musas, ficus, fructusque Sycomori. Et lib. IV. c. I. lactucam, intubum, sonchum, coriandrum, portulacam, mala insana, & arundines Saccharinas virides: lib. a. II. plant. exotic. X. brassicam spinosam. Additque: hæc omnia apud ipsos humidiora, minusque sapida nasci. Legumina quoque omnis generis Petrus Bellonius usitata notavit II. obs. XXIX. inprimis lentes, unde Cynulci jocus, Alexandriam φακίνων plenam esse, apud Athen. IV. 15. Papyrum quoque & panem ex illa confectum, unde Ægyptii papyrophagi dicti Scholiastæ Æschyli, fructu etiam vesci soliti: & radice, pauci nutrimenti, narrante Ebnserafione de simpl. cap. CI. quamvis Diosc. I. 125. tantum ἀποχυλίζοντας, καὶ ἐκπτύοντας τὸ διαμάσημα: *succum exsugentes, & reliquum commansum exspuentes;* describat, Quamquam & arto-

artophagi non à pane hoc papyraceo Hecatæo dicerentur, ut Lud. Cœlius IIX. lect. antiq. XXXVII. advertit, sed à cyllestiis, quæ ap. Herodotum ex olyra fiebant. Athenæus III. 30. & X. 4. κυλλήστιας ἐσθίοντες, τὰς δὲ κριθὰς εις ποτὸν καταλεαίνοντες. *Cyllestiis vescentes, hordeum autem in potum excoquentes aut resolventes.* κυλλᾶστιν, ὑποξίζοντα ἄρτον, ἐκ τῆς κριθῆς γενόμενον ex Aristophane in Danaidibus & Nicandro Thyatereno describens l. c. πυγκαρπία item Alexandrinorum ex Itriis contritis cum melle coctis figurâ globulari, & byblo tenui adstrictis ap. eund. Athen. XIV. 15. Quod verò de fabis Cosmographus Gallus à Stephano Grullello Parisiis editus lib. I. c. III. adfirmabat, ab Ægyptiis nunquam attingi, si maximè verum fuerit, de communibus, non Ægyptiis sive Colocasiis admitti poterit, eandem scil. ob causam quam suis Pythagoras privatim inculcabat, cujus de metempsychosi opinionem ex Ægypto acceptam, non tantum apud Indos, sed alios quoque Orientalium (quotquot Muhammedi Coranum & Ebnsinæ nostri المعاد sive, ut sic vocare liceat, ψυχοδοχεῖον, (aut κάθοδον, μετάστρεψιν ἢ ἀπόλυσιν τῶν ψυχῶν Jamblicho Chalcidensi in libro de fato sic dictam) non amplectuntur) superstitem esse satis jam innotuit. Nam quod Gen. XLV. 18. promittente Deo Israëlitis daturum se bonum terræ Ægypti את־טוב Talmudici in Bereschith Rabba sect. XCIV. *fabam fresam* interpretati sint, quæ tristitiæ prosit aut mœrori animi, על עיקרי נפש quid aliud quam omnium bonarum literarum ignorantiam & crassissimum Germanismum arguit? quo etiam ap. Dodonæum inaudito Romanis nomine *Bona* pro faba substituta, pro bono tamen Ægypti longè majori culpa heic subrogatur, ut puerilem istum errorem haut dubiè nulla censura dignum æstimârit Cl. Buxtorfius, quod sola lectione se ipsum prodat & refellat. Pisces quoque, quos Ægyptii è Nilo accipiant, quamvis pingues & gustui suaves, insalubres tamen Alpinus testatur, quod aqua fluminis illius septemplicis limosa deprehendatur. Hos tanquam compendio recenset Athenæus VII. 17. νάρκην ἡδίστην torpedinem

lautissimam, ﻋﺎﺩﻛﻪ Ebnsinæ nostro Ægyptiis τςεπτςι. χοῖρον σιμὸν, *porcum simum:* Coracinos, Alexandrinis πλάτακας dictos γλυκεῖς καὶ ἐυσάρκους marinis meliores, si Hicesio fides in lib. de alimentis, ὀλιγοτρόφους καὶ ἐυχυλία μέσους constituenti, Saperdas Euthydemo in lib. de salsamentis à carnis similitudine quam cum suilla habeant, unde & qualitates cognoscere proclive fuerit: ταλφαυ EbnCabaro in Sala Coptica, ﻗﺎﻗﻪ Ar. nomine cum Corvo aquatico, avi, communi: φάγρους item, seu pagros: ὀξυρίγχους, Ægypt. ινδελφαυ, Ar. ﺷﻠﺒﺎ Kircheri opinione: nobis enim magis Sturio adridet, ρηι Coptorum, Ar ﺍﻟﺮﺍﻱ Græcis modernis ξυρίγχι, & Turcis quoque Græco vocabulo ﺳﻴﺮﻙ porci marini nomine Hippolyto Salviano laudatos anadromos & in fluminibus pinguescentes, nam porcum Niloticum ad Strabonis mentem Rein- Solenander Sect. II. consf. XXV. χοῖρον, ad percam fluv. minorem rectè referebat: ἀλλάβην, præterea id est mustelam Plinii (nam Dalechampius & doctissimus etiam Casaubonus in animadvers. lectores destituit, relictis Græcis vocibus nihil satis exposuit) Ægypt. νισαλουκι Arab. ﺭﺍﺱ ﺍﻟﺤﺠﺮ EbnCabari interpretatione quam vulgo Lampetram dicunt: σιμοδοντίδα, *Dentalem* Bapt. Platinæ, à Cetaceo diversum, (quem gelu conditaneo crocato valdè delicatum ex Istria Venetias deportare solent,) nec non à Dentice Theodori Gazæ, qui σιμαγρὶς Græcorum vett. ἐλεωτρίδα item, Latinis omnibus indictum & incognitum, ἐγχέλυν, anguillam: θρίσσαν, alosam, Ausonio Burdegalensium suorum consuetudine vocatam ἄβραμιν, abramidem, i. e. Cyprinum τύφλην, latum Gesneri conjectura Romanæ dialecto inusitatam, (quam idem Gesnerus ἐννεόφθαλμον suspicabatur, quod τυφλινίδια quoque inter salsamenta vett. connumerentur, quanquam & acum piscem cæciliæ nomine à Cornelio Sittardo sibi submissum addat,) λεπιδωτὸν, Cyprinum: φύσαν

ὀξυ Græcè tantum ſic dictam, (cujus miram ad lunæ phaſes mutationem Ælianus XII. hiſt. an. XIII. prodidit, Orbemque primum Rondeletii putabat Geſnerus à Luna Demoſtrati, piſce itidem Nilotico Æliani XV. 4. diverſum, ſi modo alterutrum non erráſſe credamus.) κεςρέα, mugilem: omnes quidem non planè ejusdem εὐχυμίας, ſed omnes omninò limoſis cænoſisque aquis delectantes, unde pinguior corporis habitus, & ſubſtantia magis pituitoſa minusque ſalubris Alpino opportunè obſervata. Cui accedit, quod plerique ſaliti, quam recentes, magis uſitati in cibis eſſent, unde τὰ ποτάμια τάριχα ἐκ Νείλου, Xenocratis ap. Oribaſium II. Collect. LIIX.) De Perſis quoq; idem ferè, quod Ægyptiis, teſtatur Jo. Tzerzes Chil. XIII. c. CCCCLXVI. περὶ ταρίχων ἰχθύων ὠξιανῶν.

> Ὠξιανοὺς ἰχθύας μοι ταρίχους εἶναι νόει,
> οἵπερ βαρβάρων καὶ κοινῶς βερζίτικα καλοῦνται,
> οἱ δὲ σουγδίας κάτοικοι χάζαροι καὶ χερσῶνες
> ἀπὸ τοῦ ὤξου ποταμοῦ, ὅς σφῶν τῇ χώρᾳ ῥέει,
> Ὠξιανοὶ καλέονται, ἵνα καὶ ἰωνίσω.

Id eſt:

> *Oxianos piſces mihi conditos ſale eſſe cogita*
> *Qui barbarè & communiter Berzitica vocantur*
> *Sugdiæ autem accolæ, Chazari atq; Cherſones*
> *At Oxo fluvio, qui eorum per regiones fluit*
> *Oxiani vocantur, ut & Ironicè loquar.*

Ita Pauli Laciſii verſionem Jacobus Lectius edidit, cùm: *Jonicè:* tamen, non: *Ironicè:* ſcribendum fuerit, vocem: καλοῦνται: & : καλεόνται: reſpiciendo. βερζίτικα: pro, περσικὰ ἢ περσίτικα: poſita. χερσῶνες, Choroſanæ incolæ ſunt. χάζαροι, quæ ſupra mare Caſpium ſive Georgianum habitant, Tataricæ ut videtur, gentes. Sic enim EbnKethirus Clima ſextum definit c. IX. يبتدي من المشرق فيمر علي بلاد يلجوج ثم يمر علي بلاد

بلاد الخزر ويقطع وسط بحر جرجان الى بلاد الروم ؛

Incipit ab Oriente, & transit per Jagogem, deinde per Chazaros, secatque medium mare Georgianum usque ad Græciam, &c. *Sugdia* denique *Sogdiana* provincia à Sogdo flumine sic dicta, de quo postea. De Indis autem, præcipuè qui extra seu ultra Gangem habitant, Geographus Nubiensis Clim. II. sect. IIX. وطعام اهل نهر واره الارز والحمص والباقلا واللوبيا والعدس والماش والسمك والحيوانات التى تموت موتا طبيعيا ولا يذبحون طايرا ولا حيوانا الا كبير او الصغير ؛ Nostrâ interpretatione; *Cibi illorum, qui ultra fluvium degunt, sunt, Oryza, ciceres, fabæ, phaseoli, lentes, pisa Indica, piscesq́ & animalia, quæ morte naturali exstincta sunt. Nec enim ullam feram, ullumve animal, seu magnum, seu parvum, jugulare solent.* Quod ex metempsychoseos persuasione exortum satis liquet; Sed Pythagoricis præceptis non omnibus consentit; victusque genus nequaquam probum constituit. Unde nec commodè bibi nisi clarefactam ibidem monet, modum quo depuretur, duplicem in usu enumerans. Atque jam olim Plinius XIII. 12. cùm de papyro ageret: *Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aquâ. Turbidus liquor vim glutini præbet.* Et Galen. I. simpl. fac. IV. ἔστι δὲ δήπου καὶ τὸ ἰλυῶδες ὕδωρ σύνθετον ὡς καὶ τὸ τοῦ Νείλου καὶ κατ' αἴγυπτον. ἀλλὰ διὰ τῶν κεραμίων ἀγγείων διηθούμενον, ἀκριβῶς γίνεται καθαρόν. *Est porrò etiam aqua limosa quadantenus composita, velut est Nili aqua, quæ in Æpypto est: Sed ea per fictilia vasa percolata planè pura efficitur.* Verè quidem, non tamen ab omnibus id observatur, Alpinus enim luculentissimus testis est I. Med. Ægypt. XIII. *Multi*, inquiens, *inopia coacti, quorum numerus ibi ferè infinitus est, pessimis tùm cibis, tum turbida ac putrida aqua ali coguntur.* Et XIV. *Pauperes*

peres aquam canosam semiputridamq; epotant. Sed neque aliter quam de hac Nili aqua clarefacta accipienda sunt, quæ apud auctorem lib. de bonit. aquæ inter Galeni spurios leguntur: *Nilum ita laudo ut paucis admodum fluviis bonitate aquæ comparandus videatur.* Est enim caput illud tertium fragmentum ex libris Ruffi de aquis, ut ipsa inscriptio testatur cùm hîc, tum apud Oribasium V. Med. coll. III. quem sequitur Ebnsina noster lib. I. sect. II. doct. III. c. XVI. Neque à victu Ægyptiorum multum differt vivendi ratio Arabibus consueta, quamvis iisdem nonnihil asperiorem Alpinus tribuat. Imo nec Persarum, nec reliquorum Orientis populorum omnium, quibus dracunculi familiares sunt, notante id cum reliquis Jo. Palerno peregrin. suæ descript. c. XHX. De Arabibus utique silvestribus maximè quos non ab re Nomades quidam vocant, id satis constat, eandem illos, ut Ægyptios, victûs rationem sequi, quæ melancholicum crassumque humorem generet: Adeò ut mores etiam ex illa appositè deduxerit auctor libri ، شامــل quem V. C. Edoardus Pocokius not. ad Abulfarajium p. 87. doctum Medicum Arabem appellat. Ejus autem in voce ، ضلان haec verba sunt, quæ subjungimus:

الذين يغتذون بلحوم الابل حقودون ولذلك يكون
الحقد في الاعراب لاجل اغتذيهم بلحوم الابــل ،

Qui carnibus Camelorum vesci solent, odii tenaces sunt. Unde insitum Arabibus deserti cultoribus hoc vitium, ideò quod Camelorum carnibus vescantur. Addamus nos etiam equorum, ut liquet ex historia Chatemtaji Arabum liberalissimi, Legatos etiam Regios equinis dapibus excipientis, quam copiosius recenset doctissimus Gentius not. in Saadi roset. c. II. p. 587. quod hodieque de Tataris notissimum est. Non quidem attingi hodiè putabat Gasp. Hofmannus V. Instit. Med. XVII. §. I. sed plurimum hallucinatus. Sæpè enim illorum mentio in sacrificiis & cibis non tantum

tum vett. Arabum apud Shahabbodinum, Shareſtanium & alios Commentatores Coranicos, nomadum inprimis ſive agreſtium, ſed etiam apud recentiores. Ita Benjamin Tudelenſis Ahmedem Aabbaſidem Chalifam Bagdadenſem أمير المومنين dictum ſive fidelium principem in paſchate ſuo adductum ſibi Camelum mactâſſe refert, cujus portiones optimatibus diſtribuiſſe, eosque avide adripientes, ut victimæ manu ſancti Regis mactatæ carnes deguſtaſſe vidit: מביאין לפניו גמל ומשגרים לטעום משחיטת יד המלך הקדש שלהם: Id verò factum ſæculo abhinc quinto, concedente Conſtantino L'Empereur, quamvis de cætero Chronologiam illius omnem meritò ſuſpectam haberet. Nec aliter Zamachsharius in celeberrimo Corani Comm. qui الكشاف dicitur ad Suratam. II. de fortiendi more rituque ap. Arabas Muhammedi tempore, ubi Cameli pullum in X. partes diſſectum commemorâſſet ſubjungit: كانوا يدفعون تلك الانصباء الى الفقار ولا ياكلون منها شيا *Solebant portiones iſtas pauperibus diſtribuere, nec ipſi ex iis quidquam comedere*. Superiori autem ſæculo Jo. Leo Africanus, teſtis omni exceptione in talibus major, à principe Afrorum viro in Libyæ deſertis convivio exceptus magnam copiam carnium aſſarum & elixarum appoſitam narrabat, tam Camelorum, quam Struthionum in vaſis vimineis, herbis, multoque aromate conditam, unà cum pane miliaceo. lib. I. deſcript. Africæ c. XX. quod de Darenſibus in regno Tripolitano, tanquam quotidianum, narrabat Idem lib. VI. c. XV. Camelorum quidem carnes inſipidas ſtruthionum autem gallinaceis ſimiles, ſed duriores, fœtentes, atque circa coxam maximè viſcoſas pronuncians. Nec aliter de Tegorarinis, ſebum etiam ſalſum adhibentibus, de Numidis, & Guargelenſibus lib. VI. c. XXXVI. & XXXIX. loquebatur. Crocodili etiam carnes, ut boni ſaporis, commendans lib.

IX. c.

IX. c. XLIX. quibus odontotyrannos ſive hippopotamos Niloticos addebat Nic. Chriſtoph. Radzivilius Itin. epiſt. III. Onocrotalos autem Michaël Hebererus II. ſervit. Ægypt. IX. & glires ſilveſtres, è Teixera Jo. Lætius. Nos etiam Scincos, & antaceos Arabicos ex Geographia Nubienſi adjiciamus. Sic enim Clim. I. ſect. X. habetur: الدابة التي في بحر اليمن وبحر هركند المسماه بالبابه لا توجد الا في هذا البحر وسمكة الغرا توجد به كثيرا وايضا ان المسمكة المسماه سقنقور لا تكون الا في هذا الجز من النيل الذي في هذا الاقليم ولا تكون في غيره Noſtra verſione: *Animal illud, quod in mari Arabiæ felicis, & Hircaniæ, vocatur Baba, non reperitur niſi in hoc mari, & Collichthyes plurimi in eodem occurrunt, quemadmodum & piſces illi, qui ſcinci vocantur, non niſi in hac parte ex Nilo, qui in hoc climate, neq; ulterius aliis in locis, exſiſtunt.* Mare Arabiæ felicis, & Hircaniæ, eſt ſinus Perſicus vulgò dictus. *Baba*, Hippopotamus, qui aliàs بوتيق Bos marinus Indorum, quem vidit illic Philipp. à S. Trinit. lib. VII. Itin. Or. c. VI. unde & aliis in locis reperiri manifeſtum eſt, quemadmodum & *Collichthyes* ſive *Ichthyocollas* de quibus idem hic Geographus Clim. VII. ſect. VI. de Camania Ruſſiæ contermina, quæ noſtrâ ſententiâ, Podolia eſt, cujus regionis caput hodieque: *Kamieniiecz.:* vocatur. وفي هذه البحيره يتولد السمك الذي يتخذ منه الغرا الكثير *Hujus maritima parte* (ad pontum ſcil. Euxinum) *gignitur piſcis ex quo plurimum glutinis capitur*. Barbota ab accolis Tanais dicitur: aliis etiam antaceus Boryſthenis, ut Huſo, antaceus Germanicus ſive Danubianus, quamvis enim

formâ externâ omninò differant, omnes tamen ejusdem dignationis. Gluten notissimum, vesicâ inprimis, & reliquis membranosis sui partibus præbent. Scinci autem non minores Arabicis ac Ægyptiis, etiam ad mare Gallicum reperiuntur, unde & nos planè egregios habemus: aquatilia quidem animalia seu rectius amphibia, quam pisces, (quæ Plempius in Ebnsinæ lib. II. tr. II. c. I. frustra terrestria tantum contendit) سمكة رماة (Rasensi I. Antidot. XXVII. *pisces sagittales*, Interpreti, *qui ex Ægypto aut mari rubro saliti advehantur*. de quibus plura notavimus ad Consil. nostr. Exoter. Centur, III. Consf. LXXIII. unde apparet, hæc omnia ad peregrina illa πέριχα referenda. Oneribus quidem ferendis aliisque laboribus ut cætera jumenta, plerumque Cameli destinantur, defatigatos tamen, & nisi mactentur, interituros, in cibos adhibent, quod in itinere sæpius contingit, suoque tempore factum narrabat etiam Jo. Vuildius II. Itin. XXIII. Ægypti animalia ob pabuli abundantiam, probi alimenti, pinguia, magnæque molis memorat etiam Bellonius II. obs. XXVII. Gyllii nimirum experientia, cui inserviebat, cùm iter faceret: bubalos, nominans, *Camelos*, *equos*, *asinos*, *arietes & capras caudâ crassâ & palearibus propendentibus insignes*. Frustrà icsircò Leonclavius in Chron. Turc. p. 308. Camelum, qui Coranum portaverat, tandem mactatum & ad esum distributum negabat, contrà Georgium Dousam, cui id, ut αὐτόπτῃ, in Itinere CPno omninò accredere debuisset. Quid quod Ebnsina noster lib. I. sect. II. doctr. II. c. XV. suo etiam tempore satis frequentem esum innuat, dum qualitates carnis exquirit: مثال الكثيف الكثير الغذا لردي الكيموس لحم البقر ولحم البط ولحم الفارس (*Crassi multiq; nutrimenti & mali succi sunt Caro bubula, anatina & equa*. In Mss. enim quibusdam additur: والابل (i. e. *& Cameli*: quod mirum, Plempio intactũ fuisse.

Ebn-

Ebnzoharus utique lib. I. tr. XV. c. III. ubi de verruca ſtomachi egiſſet, cauſam reddebat humorem melancholicum & phlegma craſſum viſcidum, generatum, *ab eſu carnium Camelorum vetulorum, aut carnium crudarum.* Raſæus etiam III. ad Almanſ. c. IX. *Vaccinam*, *azeurinam* (ut interpres vocat i. e. caprinam Gall. enim *chevres* capræ ſunt) & camelinam eodem cenſu & melancholici ſucci fœcundam à nemine comedendam ſtatuebat, niſi qui plurimum laborare ſoleret. Aali EbnAabbaſus V. Theor. XXI. *Cervorum caro, & aſinorum, arietumq; montanorum omnis mala eſt, & his pejor omnibus, difficilior digeſtioni, humoremq; melancholicum magis generans caro Camelorum: Equorum & aſinorum in ultimo etiam ſunt malitiæ gradu.* Ut ſanè apud eundem II. Pract. ſerm. II. c. XLIX. Stephanus Interpres carnem Camelinam cum aceto ſcillitico epilepſiæ percurandæ laudare non debuerit, tanquam لحم الابل دارج i. e. *Camelæ quæ nondum concepit:* aut ſimile quid legiſſet: nec enim de Camelo ſed muſtela id auctor ſcripſerat, لحم ابن عرس ut pluribus in Variis noſtris oſtendimus Gregorius Abulfarajius de Arabibus inprimis agreſtibus, qui اهل وبر ab Urbanis اهل مدر diverſi كانوا يعيشون من البان الابل ولحومها *His Camelorum lac & carnes cibum præbebant.* Geographus Nubienſis etiam de victu Æthiopum Clim. I. ſect. I. لانها بلاد حر ووهج شديد واهل المدن منها يزرعون البصل والقرع والبطيخ ويعظم عندهم كثيرا ولا حنطة عندهم ولا حبوب اكثر من الذرة ومنها ينتبذون ويشربون وجل لحومهم الحوت ولحوم الابل المقددة Noſtra verſione: *Regio calida eſt, & valdè æſtuoſa. Urbani in illa*

illa cepis maximè, cucurbitis & peponibus vescuntur, quæ omnia insignis magnitudinis apud illos copiosè proveniunt. Nec enim tritico aliisve frugibus abundant, præterquam milio, quod in cibis pariterq; in potu adhibent. Carnes autem ex piscibus & Camelis accipiunt siccatas sive induratas. Quod hodieque sic esse attestatur Phil. à S. Trinit. Itin. or. VI. 2. & VII. 2. Clim. a. I. sect. III. de Nubiensibus suis refert; وشربهم من الابار واكلهم الذرة ولحوم الجمال المقددة والحوت المصبر والالبان عندهم كثيرة *Potus illorum ex palmis, & cibus ex milio, & carnibus Camelorum induratis, & piscibus passis. Lactaria etiam opera apud ipsos plurima.* Quin Asiaticos omnes tempore Joannis Imperatoris CPi. agriculturâ nondum exercitos lacte sorbillato & carnibus vixisse testatur Cinnamus II. histor. Commen. quem Isaaci Vossii benignitati, & Cornelii Tollii curis debemus: γάλακτός τε ἀπερρόφουν καὶ κρεῶν ἐσιτοῦντο; *Lac potabant, & carnibus vescebantur:* quod hodieque Tatari Asiatici aliique solent, non tantum Camelorum, sed etiam equorum, & asinorum. De Persis quoque Athenæus IV. 10. boves, asinos, equos, Camelosque integros furno tostos appositos memorabat, atque in cœna Regia Cervos, Camelos, boves, oves, & passeres Arabicos ingenti corporis mole, στρουθοὺς, à coctionis modo, clibanitas vocabat. Et apud eundem IV. 3. Antiphanes Comicus in Oenomao sive Pelope camelum integrum assatum adducebat. Ut frustra sit Aldrovandus, qui l. de bisulc. XXXIV. vivos tantum inter apophoreta admittebat. Unde profecto satis mirari non possumus (ut obiter hoc adspergamus) Justinianum Imperatorem in Oriente, quo universo nihil Camelis notius aut usitatius, Triboniano, Pandectarum, Sarcinatori, Ulpiani illud tit. XIX. de domin. & adquisit. rer. repetenti adsensum præbere potuisse, qui *inter res mancipi servos & quadrupedes* enumerans, *quæ dorso collòve domantur, veluti boves, muli, equi & asini, è contrario res non*

man-

mancipi distinguens, *elephantis Camelos* æquabat, *quoniam bestiarum numero haberentur:* sive ut Julius Pacius ex lib. II. §. ult. ad leg. Aquil. adnotabat: *quia feræ bestiæ sint.* Quò sanè nihil absurdius cogitari potuisset, cùm non minus, quam alia jumenta apud nos, gregatim educentur & pascantur ab Orientalibus, & Plinius quoque sub Vespasianis integro sesquisæculo ante Ulpianum sciebat: II. 18. *Inter armenta pascit Oriens.* Ex hoc itaque Roma deducti multoque frequentiores ac notiores ab Ulpiani temporibus erant, qui cùm V. C. anno CCXI. sub Antonino Bassiano Caracalla vixerit, ad Justinianum usque qui V. C. anno IↃXXVII. imperium auspicatus erat, CCCXVI. annorum spatium reliquit. Neque καμηλασία sive Camelorum agitatio & exhibitio inter munera civilia personalia, quæ patrimonialibus opposita, in quibus sumptus maximè postulatur, apud Hermogenianum lib. I. Epitomarum in L. Dig. t. IV. l. I. §. I. & II. & l. XIIX. §. X. Camelos propterea feros magis arguit, quam equos quorum usus in re vehiculari, stathmisque notissimus, de quibus ibidem expressa mentio injecta est. Unde nec satis commodè loci diversitate conciliare conabatur Aldrovandus I. de bisulc. XXXIV. Romæ tantum pro feris habendos, non locis natalibus inclamans. Nam & Romæ non magis feræ dicendæ fuerint, quam equi ex Arabia, aut boves ex India, ovesque & arietes ex Persia advecti. Nec quod Ger. Vossius III. Theol. gent. LXXI. non nisi cicuratos vecturæ inservire, ideoque mixtos quasi habendos putârit ad Caji ICti mentem l. 2. Dig. ad leg. Aquiliam satis adridet cùm cicuratione non magis, quam equi, ad vecturam opus habeant, & circulis in nares inditis non magis quam equi habenis & frænis, ut regi possint. Ex istis autem omnibus nunc sponte planum evadit, quantum à verò distent, quæ de Camelis Bactrianis in montibus Indicis, hybridâ generatione, commemorat Didymus in Georgicis suis, quem ideò adducit Rhapsodus ille (sive is Dionysius Cassius Uticensis, sive Cassianus Bassus sive alius quicunque fuerit) qui Geoponica magnifico Constantini IV. Pogonati Cæsaris nomine protrusit; *Ex sue*, inquiens, *fero sive apro & Camelo*

melo femina gignitur Camelus geminatum tuber habens, quemadmodum ex equis, & asinis mulus. Nihil enim putidius, cum istiusmodi Dromades (sive *Dromedarii vulgo dicti*) peculiarem speciem constituant, & utriusque sexus similia animalia gignant, quod nemo de mulis unquam comperiet: quin ipse etiam corporum habitus, positusque membrorum in vastissimis animalibus aprorum, longè minorum, commixtionem ineptam satis ostendere videtur: Neque, si verum omnino foret, Bactrianos seu Persas, & reliquos Orientis incolas latere potuisset, quorum plerique Muhammedi sui edicta propemodum adorantes, suilli generis quæcunque animalia tam fera, quam domestica, tantoperè abominantur. Sed & Solini illa verba c. LII. polyhist. sui; *Cameli Arabici bina tubera in dorso habent, singula Bactriani:* Ita ut jacent, rectè accipienda sunt: *In dorso:* nam Bactriani quoque bina habent, sed unum in dorso, in ventre alterum. Cæterum Camelis non minus insalubres, & vitiosi succi Elephantes etiam censendi sunt, quorum carnes & assas & elixas in regno Senegæ gustavit Aloysius Venetus, incolarum consuetudine invitatus. Verè enim Levinus Hulsius VII. Navig. Batav. XII. Æthiopas voracissimos ajebat crudis etiam carnibus, & intestinis Gallinaceis, canibus item, felibus, elephantis, butalis, atque nonnullos etiam rusticorum præterea lacertis siccatis vesci. Abissinos quoque, qui mare rubrum & Nilum inter sub Ægypto habitant, (à vett. Troglodytas dictos) non quidem omnes, sed illos tamen, qui in regno Angote degunt, crudis ejusmodi carnibus delectari. J. C. Scaliger verè refert. Exerc. XXII. Quod eò credibilius, quia Sinenses quoque Arabibus aliisque Orientis populis tantum non omnibus multò elegantiores in victu carnes tamen equinas, bubulas, asininas, suillas, & caninas admittere nuperrimæ observationes Jo. Neuhofii Itin. Sin. p. 275. testentur, atq; etiam de Tataris, si suillam apud Muhammedi adseclas exceperis, nemo hodiè ignorat. Guineenses præterea leones quoque & tigrides mensis inferre præter Jo. Hug. Linscotanum, Jo. Ledesma Hispalensis testimonio adfirmat Petrus Martyr Ocean. decad. II.

lib. II

lib. II. De Asinis & onagris Plinius IIX. 43. *Pullos asinorum epulari Mæcenas instituit, multum eo tempore prælatos Onagris post eum interiit auctoritas saporis.* Et paullò ante: *Pullis Onagrorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos Latisiones appellant.* Melancholicos omnes, & pravi propterea succi pronunciavit Bern. Gomesius Miede hist. Regis Joannis Lus. lib. X. 5. Hispan. conscriptæ, ubi Insulanos pulcriores, quam terrâ continente genitos, dilaudabat. Persarum quoque mensis eorundem venationes jam olim expetitas vel Bahrami Onagri dicti proverbio constat, de quo Chiamus Poëta Persa celebris;

بهرام كه مي كر فتي همه عمر ؛
بنكر كه چه كو نه كور بهرام كر فت ؛

En Bahramum, qui Onagros semper captabat,
Ut ab Onagro tandem captus est!

notante Gentio ad c. II. Saadini roseti. Videtur autem is Bahramus non Hormuzi, sed Bahrami prioris Ebn Hormuzi filius, multò, quã ille, brevioris ævi, in fragmento Turcico Ms. historiæ Persicæ apud Illustr. virum Andr. Ryerium memoratus. His a ex animalibus desumptis Rasæus III. ad Almans. XIIX. è plantarum genere plura mali succi comemorat, non phlegma tantum, sed atram quoq; bilem gignentia: Erucam, nasturtiũ Persarum consuetudine toties apud Xenophontem laudatum, fœnum Græcum, handacocam sive trifolium aut medicam (generalius enim id nomen, nec asphaltitæ tantum proprium, nec phaseolo conveniens, cujus speciem peregrinam Clusius II. Exotic. X. & III. c. XIV. corruptè Anacok vocabat) Basilicon, apium, allium, cepas, seridem utramque, taraxaca sive τρώξιμα, quæ Interpretes corruptissimè Troximel appellabant: caules item Romanos, & Syriacos sive Imperiales i. e. brassicas vulgares, & Pompejanas seu floridas, Musalenses item seu Niniviticas aut Mesopotamicas, & Medinenses (sic enim legendum pro Almedent) كرنب المدينى

qui reliquis frigidiores: Mala item insana, pastinacas & caryotas, tubera, (inprimis Maverennaheræ & Chorasanæ, quæ Ketsenia Ebnsinæ nostro II. tr. II. c. XI.) ἡ Αἰγυπτία συκάμινος. καὶ ὅσα δὴ καὶ ὑπὸ γῆς φέρει καρπὸν, οἷον ἥτε ἀραχίδνα, καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον οὔιγγον. Theophr. I. hist. plant I. *Morus Ægyptia (sive Morosycos Celsi) & quæ fructum pariunt sub terra, ut Arachidna, & quod Vingum Ægyptii vocant.* ὄιγγον tamen præferebat Bodæus, *glans terræ* c. XI. Zizipha terrestris quibusdam sed falsò in animadvers. J. C. Scaligeri: fungos, blita, malvas, spinacias, cucurbitas, & c. XIX. napos aceto conditos, *bruculos* item rec. inflantes, & salitos mali nutrimenti (i. e. suprema caulium fastigia, Italico Idiotismo) c. XX. dactylos sanguinem crassum producentes, Sycomora stomacho adversa, musas in bilem facilè facessentes, & siliquas intemperati ac vitiosi succi, præter Palæstinas sive Hierosolymitanas, quæ Syriacis meliores. Quibus addantur Carpi Meccani, peponum genus Jo. Vuildio descripti II. Itin. XXIII. Damiatæ inprimis copiosissimi c. LXIIX. colore luteo, mole cucumeres majores æquante, frequentissimi usus, relatione Mich. Hebereri II. servit. Ægypt. c. IX. Apud Æthiopas quoque & Indos pleraque frumentacea difficilioris concoctionis, duriora, & succos crassos producentia, quale Indicum avellanaceum in hist. Ind. Or. part. VI. c. XXX. Guineense item & Turcicum, Mays dictum, quod Nigritæ tamen à Lusitanis primùm acceperant. c. XXXI. Milium item Sabense sive frumentum miliaceum Guineensium ap. Clus. in cur. poster. p. 26. Milium arundinaceum plano alboque semine, sive Æthiopicum Portæ, aut album Congense. part. I. hist. Or. Ind. sect. II. c. I nostro majus, & Afris بشنة dictum ex quo saxis contuso, quia molendinis destituuntur, exiguus sed candidissimus panis, Candin dictus, observatione Michaëlis Hemmersamii Itin. Guin. c. IV. & alius Biscoctus, ex milio parvo, sive Maizio, cujus decocto potus quoque conficitur, infra examinandus. Melica sive pani-

panicum, Vulgò Dora ذرة Cl. Golio ex sententia Jauharii. Bauhino tamen non immeritò panicum Guineensium Clusio append. ad lib. VII. histor. plant. rar. depictum, à Dora distinguendum videbatur, quæ Jo. Bapt. Portæ *milium Æthiopicum*, plano alboque semine, unde & sem. Congianum quidam conjiciebant. أرزن Persarum. Panico enim rotundum est, non planum. Quamquam, si verum fateamur, cognatione generum tanta ubique confusio apud Herbarios enata est, ut vix sit operæ pretium, scrupulosius diremisse, quod dum contra J. C. Scaligerum Gasp. Hofmannus VI. Var. lect. XXXII. conabatur, Ebnserafionis testimonio confisus, nihil tamen egisse censeri debet, ut quem nequidquam intelligebat, sola interpretis Judæi Abrahami, ut se vocabat, Tortuosiensis, i. e. Dertosani ex Hispania, impolitissimâ versione contentus, quæ, si recto stetisset talo. Ipsi apertè adversabatur. Nam cap. CII. simpl. ex Ishaco Amramide: *Doram & Ieuers apud omnes Medicos milii speciem:* adfirmabat. جاورس *panicum*, reddens: & cap. CIV. دخن *Dochon*, *milium*. planè inverso ordine. Quin ipse: *Ieuers:* ab omnibus sapientibus (i. e. philosophis & Jatrosophistis, sive Medicis Naturæ consultis) pro milio accipi cap. CII. adserebat, & verba Dioscor. ex c. CIV. adducta, non milio, sed panico, ἐλύμῳ ἢ μελίνῃ. II. 120. conveniunt, quod propriè دخن non aliud significat, ut ex EbnBeitharo & auctore Camusi manifestum est. Oryza item Africana sive Æthiopica part. II. c. XXXVII. & part. IV. c. VI. Panicum Indicum sesquipedali spica, seu Æthiopicum è Guinea, apud Clus. hist. rar. plant. append. ad lib. VI. & Zeocrithon Turcicum, p. III. c. XL. Oryza item racemosa caule arundinaceo Antonii Jenkinsonii ap. Jo. Læt. in descript. Persiæ. A quibus omnibus nequidquam dissentiunt EbnJezlæ verba in director. sanit. V. Æthiopas, inquientis, *Cerealibus quibusdam aliis frequentius quam frumentis pasci, non secus ac Indos Oryza, & Turcas milio.*

Panicum item Indicum Orientalium, & Ibericum Georgianorum, ex quo illorum panis پوري Puri, & quotidianus cibus, pulmentum cum aqua coctum, Kinkilâi dictum, miliaceis ferculis non valdè dispar, كينكيلاي Armeniis quoq; usitatum, & شاميي appellatum, quibus frequenter quoque ista in cibum veniunt: ماولاي *Oryza:* جاورس او غاورغ *Milium*, quod ipsum Arabicum جاورس videtur: فاسلاي *Phaseolus*, nisi fortè pro ق litera ف reponenda fuerit quod pro proaut hanc ipsam vocem ab Arabibus acceptam ex libro aliquo in Mauritania scripto فسولس nonnihil transformârint: شيشار quod Rivola in Lex. Cicer interpretatur: رشپ *Lens*, & مشلوش quod eidem Rivolæ *edulium lentis*, nostra tamen opinione verius Arabum ماش *Pisum Indicum*, quod cur. Cl. Bauhinus ad aromata retulerit nulla causa apparet. Hordeum item حاري & aqua hordeacea sive ptisana حارا كرور ac potio hordeacea acris پنو اي او تورشا Cibique varii ex frumentaceis parati, viscidi plerique crassioris succi, neque digestu faciles: ut پشرورغ Pulmentum ex massæ partibus minutim conglobatis, pane scil. comminuto, qui پشر اضلاز ex oryza confecto شري نزلازن oryza enim vilior شر بنا Fructus præterea omnis generis,

maximè

maximè tamen Cucurbita حكروم non tantum recens, sed etiam secundum longitudinem dissecta & solem passa, سّراجل اوسّراغل ut Rivola reddidit in Lex. suo nisi hæc quoque Vocula Persica & Arabica ex سّغرجل quod Cydonium significat: Pepones item qui سّاخق & Cucumeres, خيارق communes pariter & anguriæ sive Citrulli à quibus nihil differre putamus qui Cucumeres acidi vocantur طيطورو خيارق غير نيشيرق mala Armeniaca sole siccata: sorba item triossea ut Rivola convertit: لاسّر رانق quæ tamen vox Italica est l'Azaruoli, Mespila tricocea seu Epimelides: خارنوبق Siliquæ Arabica & Syriaca nomenclatura & reliqua, quæ omnia commemorare nil attinet. Hoc unum tamen monendum videtur: licet & nobis Bodæi lectio in Theophr. Comm. probabilis habeatur, quam paullò infra de Armeniis prolaturi sumus, minus tamen frequenter hos ipsos adfligi non ineptè quis suspicari posset, quod pleriquè CHRISTI nomen profiteantur, ideoque & vinum bibere soleant, cujus usu venam Medinensem rarius generari Ebnsina disertè fatebatur, & ex nuperis D. de Bourges, contestatur. لوغ خيني *vinum merum non dilutum:* & ماوبواي *potio ex succo uvæ Corinthiacæ aqua imbutæ*, ut Rivola interpretatus est, Arabica, ut videtur, vocula, ماوي *vinum aqueum* quis dixerit, aut secundarium, *βρυτίων πόμα* Aretæo II. Chron. IX. i. e. vinaceorum potus, aut passum dilutum. Id ipsum tamen vulgato illo: *cæteris paribus:* limitandum, nulloque excessu præpediente ut c. IIX. ostendimus. Quod pari modo de

do de Georgianis intelligendum, quibus vinum, voce propemodum Italicâ غوين *Ghuino* appellatur, & hac quoque πολυσήμῳ, nam vicinis Tataris lac equinum sic præparatum, ut vinum album referat, *Chuinis*, dicitur apud Marc. Paulum Venetum lib. I. Itin. c. LVII. Serum scil. quod viriduli coloris inebriare: etiam ex lacte aliorum animalium advertit G. Hofmannus V. Inst. Med. c. XIX. etsi sero mel quoque additum nobis, quam maximè verosimile videatur, ut ideò *lac mulsum* ad Plinii mentem vocari posset. X. 22. aut *melicratum* Eustathii Thessalonicensis, quod Comm. in Odyss. κ'. non lactis fortasse & mellis mixtura fuerit, tam acriter defendente Daniele Heinsio not. in Silii Ital. XIII. sed seri potius & mellis, sapore & viribus vini. Quæ verò supra de vino hordeaceo Ægyptiorum dicebamus, de Æthiopibus quoque locum habere possunt. Quamvis enim & vineæ circa Nilum essent & circa Antyllam præstantissimum vinum Athenæo laudatum. l. 25. nasceretur, ap. eundem tamen Dion. Academicus Ægyptios vinosos & bibaces incusans, φιλοίνους καὶ φιλοπότας, ob vini egestatem, quo multis carendum esset, alterum illud excogitatum referebat ex hordeo, ἐκ τῶν κριθῶν γενόμενον. Et. IV. 13. οἶνος ἐξ Ἰταλίας καὶ τῆς Μασσαλιητῶν χώρας παρακομιζόμενος. ἄκρατος δ' οὗτος. ἐνίοτε δὲ ὀλίγον ὕδωρ παραμίγνυται. παρὰ δὲ τοῖς ὑποδεεστέροις ζῦθος, πύρινον μετὰ μέλιτος ἐσκευασμένον. παρὰ δὲ τοῖς πολλοῖς καθ' αὑτὸ καλεῖται δέρκομα. Jac. Dalechampius non plenè interpretatus est: *Locupletes vinum bibunt ex Italia petitum vel Massiliensium regione, & id merum, interdum aquæ paululum adfundentes. Dercoma id multi nuncupant.* Quoniam fortassis turbidum aquæ potum acuit, ut p. 152. adnotabat. Nos suppleamus: *Vilioris sortis homines Zythum bibunt frumentaceum cum melle paratum, id verò à multis Dercoma nominatur.* Notatu enim dignum est, quod de mellis additamento adjecit, haut dubiè eum in finem facto, ut corruptionis proclivitas tolleretur, potusque diutius servari posset, quamvis ne sic quidem eventus satis responderet. Nam & hydromelitis genera omnia lice-

licet fermentatione peracta, promptissimè tamen levique ambientis aëris occasione acescunt. Estque is ipse potus qui Æthiopicè Mesy: מס sicera in genere dicitur Deuteron. XV. 16. & Luc. I. 15. sive *Hydromeli Æthiopicum* maximi usûs ob mellis copiam: Amharensibus *Zady:* ;צר Tigrensibus, plurium numero, propter diversa genera, ;אמים *Ymyiasy:* Auctori Æthiopi anepongmo qui Organum Musicum B. Virginis conscripsit. A quibus sola mellis absentia differt ;מזר Amharensium: *Myzyri:* potus scil. ex frumento sine lupulo ad instar Cervisiæ excoctus in Jobi Ludolfi Lex. Æthiop. ut ideò multum halucinatus sit Olaus Magnus XIII. hist. Sept. c. XXXI. cùm Æthiopas Cervisiæ suæ ex hordeo & pane biscocto favos integros nec cerâ quidem separatâ, incoquere narraret. χεννία cibus vilis apud τὰ ἄλευρα καὶ κριθὰς ἀλέοντας: Zythum Æschylo in Supplicibus, ἐκ κριθῶν μέθυ, Casauboni animadvers. in Athen. IX. II. ;זיתום המצרי *Zythus Ægyptiacus*, docente Raf Josepho in Gemara Pesach c. III. ;תלתא שערי תלתא קרטמי ותלתא מלחא *Cujus tertia pars hordei, tertia Crocus silvestris, & tertia sal:* Ideoque Paschatis tempore, ut omnia fermentata ex massa prohibitus apud Hebræos. Nimirum de Carthami floribus lupuli vice & sale re omni extra dubitationem posita non item de proportione quæ minus concinna facillimè intelligitur. Solebant enim Orientales, ut hodieque Germani & Angli, varios potus, ex herbis quibusdam frumentaceis concoctis, aut etiam solis præparare, ut ;אבוברועה Babyloniorum & Persarum præcipuè Talmudi memorata, & dubio procul etiam Ægyptiorum apud R. Moysen Majemonidem in Schabb. c. XIV. ex fistula pastoris dicta: ;הנטרא quæ Alisma & Damasonium quibusdam apud Diosc. plantago latifolia Bauhini aquatica, sed digitalis major lutea Cæsalpino. ;חלות הריע *Caltha crocata sive lutea*, *Crocus silvestris in Nidda* fol. LI. 2. κνίκος Dioscor. IV. 190. ἄνθος κρόκῳ ὅμοιον· ῳ χρῶνται εἰς τὰ πυροφήματα: *Flos Croco similis, quo utuntur in obsoniis:*

soniis: quanquam ; טופרה *Leguminis genus album, durum, & rotundum.* Medicis ; קרטומן Majemonides dici existimârit, ipse cæteroquin Medicus egregius: verius tamen Bartenora id Arabum جلبان *pisorum quoddam genus*, pronunciavit, quod sanè & ipsum decoqui atque in potum adhiberi potuit, quemadmodum & Dora sive melica, & قلب *pisum Indicum* in Codice Medicéo Ebnsinæ lib. II. tr. II. c. XIX. omissum الماش الهندي in Mſ. Cæsareo quo olim Kirstenius usus. Plempio ; قلت non benè, nec benè *Lithospermum* redditum, id enim inprimis majus, vel ipso nomine durius, cum pisis nihil omninò commune habet, ideoque à milio quoque Indico montano, sive Salorano Ebnserafionis distinguendum, quod vulgò corruptè solis denominant, descriptum obiter ab Ebn Juljulo Medico Indo tr. II. de simpl. c. LXVII. *Nascitur apud nos, in montibus (Soler) Saloranis.* Salor enim, sive, ut Ptolemæus VII. Geograph. c. I. tab. Asiæ X. vocat: σάλεϱ: emporium est Indiæ Orientalis in sinu Agarico, ad Solenem fluvium, inter Colchicum & Gangeticum qui verè Bengalensis est, non Agaricus ut Jo. Ant. Maginus putabat descript. Ind. Or. p. 264. Galedragon Xenocrati, Aloysio Anguillaræ de simplic. opin. IIX. dipsacus sativus, seu labrum Veneris, Bauhino, qui silvestrem tantum virgam pastoris vocat. ; שותרה אבוב ראה editione vulgatâ, pro quo Pragensis rectius ; רועה & Menassis Ben Israël ; רועי notante Sebastiano Schmidio. Neque enim Arabico Vocabulo radicali ; ע perire debuit, dum in Hebræam linguam transsumeretur Masseches Shabbas. c. XIV. Mishna III. At quod in Comm. suo h. l. R. Obadias Bartenora fistulam pastoris arborem appellârit *quæ solitaria crescat, nec ramos habeat*, neque polygono, neque alismati, nec denique dipsaco convenit, زمارة الراعي Ebn-sina

ſinæ lib. II. tr. II. c. VII. ut imperitiam rei herbariæ ſatis oſtendat, niſi interpres, quod ſuſpicamur, herbam, non arborem reddere debuerit. Ut enim tam خشب quam نبت & شجرة Arabum latioris complexûs ſæpius occurrere monuimus, ita veroſimillimum apparet, pleraque ejusmodi Hebræa quoque generalia cenſenda, quod de אשלא I. Sam. XXII 6. *nemus*, *aut*, *arboretum* ſignificante manifeſtum. Commentatores enim quidam in Shabb. Herbam expoſuêre. Quis verò ab illis Talmudicis accuratas arborum herbarum & fruticum diſcriminationes exſpectet; qui ſtirpes quas ſubinde commemorant, ſi unum fortaſſe Rambam exceperis, nequidquam cognoſcebant? Quod igitur V. C. Jo. Henr. Meibomius tr. de Cerviſ. c. XXVI. §. XXI. dubium de Zytho Ægyptiaco conjiciebat, annon vid. hoc quoque, velut Pæonum parabia, conyza, aliáve re quapiam condiri conſueverit, ex iſto Gemaræ loco ſatis exponi atque decerni poteſt. Quid quod & auctor de vict. in acut. §. XXXI. Hippocratis nomine, inter varios potus, etiam ex cnico commemoret: τὰ ποτὰ ἀπὸ χλοίης ποιεύμενα, τὸ κρίθινον, τὰ ἀπὸ σαφίδος, καὶ στεμφύλων, καὶ πυρῶν, καὶ κνίκε, καὶ μύρτων, καὶ ῥοιῆς. Potus arte factos ex *herba*, *hordeo*, *uva paſſa*, *vinaceis* (ſive ut Cornarius reddidit, *uvarum expreſſarum retrimentis*) *tritico*, (pro quo mallemus, *frugibus*) *Cnicomyrti baccis*, *& malo Punica*. Atractylis Dioſc. III. 107. Cnicus ſilveſtris Ebnſinæ lib. II. tr. II c. XIX. & XVI. ſub nomine عصفر diſertè: مستعمل زهره في الطعام *Uſus ejus in cibis eſt*. Quamvis hic quoque ſtomacho adverſetur, nec minus, quam ſativus, coloris potius quam alterius effectus gratia, ceu videtur, expetitus, ut vinum flaveſcens referat, calore tamen quoque frigiditatem, & vi tergendi viſciditatem hordei nonnihil corrigere potuit, quod ſal adjectum præterea valentius præſtabat, quemadmodum & alia apud alios uſitata, ut παλιέρε ἀπόβρεγμα Troglodytarum memorante Strabone in XVI. Geograph. ἀφέψημα τῶν φύλλων καὶ τῆς ῥίζης συπτικὸν Dioſc. I. 121.

βρύτον ἐκ ῥιζῶν καθάπερ Θρᾷκες ἐκ τῶν κριθῶν Hellanico ap. Athen. l. c. Phocadium Ebnſinæ *ex pane candido tam azymo quam fermentato, additis mentha ſativa & apio* lib. II. tr. II. c. XVII فقاع ، مـن خبز الحواري ونعنع وكر فـس ، *Ruta etiam & origano*, tr. de remov. noc. in regim. ſanit. c. XIX. adjecto Cinnamomo : صنـب وسعتر ودار صيني Φοῦκας in Mſs. Mentelianis Pariſiis, in Auguſtano noſtro Cod. primo. ὁ λεγόμενος Φωκὰς ἁπλῶς καὶ σὺν ἀρτύμασι κατασκευαζόμενος, in ſecundo etiam Φωκός, apud Sim. Sethi, quod parum refert, quia Arabica vocula eſt à Græculis adſumpta, (ut quondam in notis noſtris oſtendemus) Zythum denotans, non poſcam, ut Martinus Bogdanus non benè interpretatus eſt, tanquam cum ineptulis quibusdam ipſe quoque Φοῦσκα legiſſet, Latinâ ex poſca origine. Quæ ſanè doctiſſimus Reineſius. III. Var. lect. c. IX. de Zytho Ægyptiaco ex fragmento anonymi περὶ ζύθων ποιήσεως in volumine Chemicorum Græcorum, nondum edito adduxit, probante Cl. Meibomio, omnia cum phocaa Ebnſinæ ex aſſe conveniunt. At quæ de مري ، Cl. Golius ex Jauharenſi prodidit, Perſarum آب كامه ، *aquam acidulam ex mucido pane paratam*, aut ſimile quid eſſe excitandæ appetentiæ, ciboque digerendo idoneum, ab amaritudine ita dictum, quamvis & ipſum phocadio adfine videri queat, cùm tamen non aliud, quam Jarum ſit, plurimum ſanè differre manifeſtum eſt. Hoc tamen Arabum phocadium Zythumque Græcorum à noſtro plurimum diſtans, Herbis illis ac ſale concoctum, ingrati & lixivi ſaporis, ut non immeritò Luitprandus Cremonenſis Legat. ad Nicephor. Phocam Imper. CP. balnearem potionem vocârit, religioſis inprimis hominibus vitamque ſedentariam agentibus ſimplici ſalubriorem فقع ، autem *intenſius flavere* ſignificat, unde potui nomen non tantum à ſtirpibus, ſed etiam pane ipſo, de quo aliàs,

noſtro

nostro experimento. Etsi verò Phocaa à nostra Cervisia multum differat lupumque salictarium vett. ignotum, Plinio advertente, & XXI. 15. inter oblectamenta tantum enumerante, si tamen Plempii sententia admitti queat, qui apud Ebnsinam lib. I. sect. III. doctr. III. c. II. senibus, *convolvulum ad leniendam alvum*, collaudantem لبلاب ، præterea *& smilacem, & lupum salictarium, & hederam helxinemq́;*, pro lubitu eligendas, interpretatur, non adeò vero alienum videbitur, hunc quoque, ut reliquas plantas, olim phocaæ incoqui consuevisse, quamvis ipsomet Ebnsinâ fatente, facultatibus plurimum diffideant lib. II. tr. II. c. XIII. quemadmodum & Absinthium apud Olaum Magnum XIII. hist. septentr. c. XXVII. Chamæpeuce Cordi, quæ Cistus foliis rorismarini, seu rosmarinus silv. Dodonæi rectius, quam myrica, quando ista ad tamariscum potius pertinet, aut ericam, de qua Plinius XXIV. 9. *colore rorismarini, & penè folio*. Serpillum item silvestre, Polonis: *Szmer*, dictum, & Callitrichum seu horminum majus sativum & hortense, scarleæ nomine insignitum, de quibus Meibomius l. c. Serpillum tamen *Macierzonka*, seu, *Mazier Zaduskà*, dicitur, quod obiter monere lubuit, *Szmer*, autem à serpillo diversum esse constat, Chamæpeucen enim testatus est vir juvenis doctissimus Jo. Vincentius Mucharskius Polonus, qui nostro tempore de plica solocia egregiam disputationem præside Jo. Benedicto Sinibaldo Romæ habuerat, ad quam nos quoque multa comitate amicè invitârat. At *Celia* Hispanorum de cujus etymo tam multa viri docti differuerunt, non alia nobis, quam phocaa videtur, cujus parandi modum Hispanos ex Africa ab Æthiopum gente didicisse verosimile putamus; His autem : יְלָא *exosam, invisam*, significat, quod nomen fortè ab ingrato herbarum sapore accepit. Origanum sanè, etiam Heracleoticum, amarum & acre, quibusdam *lupulus Hispanicus*, dictum.. ..

Buza Tatarica Miechovii Sarmat. c. VI. Turcarum بصة ،

five نوصه eadem fortè, quæ *Cursia* Antonio Curchino five Georgiano in Itin. suo. c. II. dicta, ubi de Turkestanæ incolis Nam كرسان Turcis latrones sunt quicunque: non tantum piratæ vulgò *Corsari*, sed etiam prædones in terra, quales Tatari Turcis plerumque, nisi stipendia illorum mereantur, inimici. Ubi tamen hoc quoque advertendum, simplicem tantum, & sine melle, aut aliis inebriandi vim habentibus, paratam istam intelligendam, ex hordeo, milio, aut oryza, non qualem vini æmulam, & Tatari, & Cathaini sive Sinenses, conficiunt, quia ex lege Muhammedi sui omnibus inebriantibus potionibus abstinere coguntur, ut infra pluribus docebitur.

Zauna verò & *Cana* J. C. Scaligeri Exerc. LXXXVII. utrumque vocabulum corruptum est, pro vino, [יַיִן] non *Vineali*, sed *arte facto*, ut diximus. Neque enim hoc illi, aut saltem, qui opera ejusd. excudit, insolens, Æthiopica depravata aut mutila proferre ut Exerc. CXLIIX. §. III. *Tebba*, pro embammate Sinapino, : זַבַּח enim *Zabyhy* intinctus est. Exerc. item CLIIX. § I. *Arga*, *Cedrus spinosa* : ארז *Arza* est, Persis quoque & Arab. أرز dicta, Atlantica seu Maroccana Elæocarpos major, & minor myrticarpos ap. Diosc. l. 105. & sic deinceps. Si quis tamen pro *Cana* Scaligeri, *Cava*, rescripserit, vix reprehendi poterit, nam hodieque potum ex milio parvo sive Mays, paratum *Akay* vocant, narrante Michaële Hemmersamio Itin. Guin. c. IV. ad instar Zythi, vino palmeo καρηβαρικῷ multò salubriorem atque frequentiorem, sive id album musteum ex arbore eradicata, sive minus efficax ex palma humiliori, *Criffia*, dicta, elicitum fuerit. Non multum sanè differt & Armeniorum خاويص & *Bragga* Tatarorum ab Oleario descripta, nullâ lupuli mentione lib VI. Itin. Mosc. Pers. c. XIII. ideoque verius, quam à Cosmogra-

mographo Gallo quem Grullellus Parisiis edidit. ﴾ شكركة ﴿ & ﴾ سقر قع ﴿ *Sicera Habassinorum*, *sive vinum Æthiopicum* ex melica confectum sive panico, vulgò *Dora* ﴾ درة ﴿ dicto, apud EbnHammadum Jauharensem in thes. L. Ar. ﴾ غبرة ﴿ *potus Æthiopicus inebrians ex milio sive mel[illegible]a paratus*, apud Jauharium sive ab Æthiopico ; גבר deducatur, quod *facere* significat, tanquam vinum aut potum facticium quis dixerit, unde & ; גברה *factura*, *opus*, & *modus ipse*, *quo quid factum est*, sive ab Hebræo Chaldaico fortasse ; גבר quo *fortitudo*, *potentia*, *atq; etiam inebriandi facultas* denotatur, ut Jerem. XXIII. 9. כגבר רוי וכגברא דמשתטי ; *sicut vir ebrius*, & *qui infatuatus est à vino suo*. His autem simillimæ sunt βρύτια miliaceæ Pæonum, narrante Hecatæo in Europæ periodo ap. Athen. X. Dipnosoph. c. XIV. ἀπὸ τῆς κέγχρου, quales & Iberis s. Georgianis, & Tataris familiares. Horum sanè aquæ insalubres & turbidæ ap. Hippocratem lib. de aër. aq. & loc. §. XXXVII. τά τε ὕδατα θερμὰ καὶ στάσιμα πίνουσιν ὑπό τε τοῦ ἡλίου σηπόμενα καὶ ὑπὸ τῶν ὄμβρων ἐπαυξόμενα. αὐτός τε ὁ Φᾶσις στασιμώτατος πάντων τῶν ποταμῶν, καὶ ῥέων ἠπιώτατα. *Bibũt aquas calidas & stagnantes, quæ & à sole sunt putrefactæ, & ab imbriũ casu auctæ. Ipseq; fluvius Phasis omniũ fluviorũ stagnantissimus & qui lento cursu profluat.* ﴾ عصا الراعي ﴿ Ebnsinæ lib. II. c. XVI. & ﴾ بطباط ﴿ c. II. quod Plempius polygonum interpretatus est, carduum fullonium pernegans: cujus vires adstringentes & diureticas Diosc. laudat, IV. 4. & 5. à dipsaco diversas III. 13 Cui tamen non minores virtutes, quam sphondylio nostro Germanico, ex quo Silesiorum quidam potus conficitur. At quæ de pane ex palmulis Plinius XIII. 4. narrabat: *In Æthiopia siccæ palmulæ farinæ in modum spissatæ in panem*: imperitiam arguit ex auditis non probè intellectis. Quid enim his fructibus

cum farina? aut farinæ modo? Maſſa nimirum intelligenda, ſive fructus ipſi latiorem in modum compacti, quæ hodièque Æthiopibus יחל בלס ; yhhely *balaſy*: maſſa caricarum, παλάθη: & יחל תמרת : *yhhely tamaratus*: Maſſa palmularum. Verius illud quod de farina juncorum alicubi uſitata Coſmographus Gallus Grullelli in victu Æthiopum recenſet, unde Rhizophagi dicti lib. I. c. III. V. & VI. unà cùm Seſamo, loto, & aviculis crudis ſalitis, piſcibusque aſſis ſucco ribaſiorum oblongâ tegularum figurâ conditis. Minus certè & vett. & recentiorum omnium teſtimoniis conſonat, quod ampliſſimus Ludolfus ad Confeſſ. Claudii Regis §. XI. in regno Damat ſcriptæ, ſive Damute, ut in tab. Geographic. vocatur, auro feraci, & Vualeke contermino, Niloque à Gojama diſcreto §. XIV. adnotavit: *Æthiopas in delectu ciborum paullo ſuperſtitioſiores, præter ſuillam, nec lepores, nec gallopavones, nec aſtacos aut Carabos, nec quidquam ex teſtaceo genere deguſtare: non quod lege ulla prohibeantur, ſed quod ſe inſuetos horum ciborum perhibeant.* Etſi enim verum ſit, his abſtinere, de cæteris tamen non eſt, quibus promiſcuè, indecorè, & improvidè veſcuntur, ad quos præterea illos ſæpiſſime anni ſterilitas & meliorum penuria, absque delectu cogere ſolet. Cæterùm & aquæ ferè omnes illarum regionum turbidæ ſunt & lutulentæ. De Tigri (qui hodie دجلة ad Armenios & Gordyæos deducens ap. Geogr. Nubienſem part III. Clim. IV.) ſatis id ex Plin. VI. 27. notum, ubi & quidam alii Perſarum fluvii tantum limi deferunt, ut oram Elymaidis inacceſſam cœno faciant: de qua regione & hoc notatu dignum eſt, quod illic Plinius addit: *Infeſtatur & ſerpentibus, quos flumina deportant.* Quamvis enim Tigris fluvii aquas ob nimiam ſubtilitatem alvi fluxus inſuetis excitare notârit Phil. à S. Trin. III. Itin. Or. IX. eadem tamen rapiditas, quæ iſtam tenuitatem efficit, etiam limoſas & turbidas reddit. Euphratis quoque aquam valdè turbidam memorat Leonardus Rauvolfius, experientiſſimus quondam Medicus apud

apud nos part. II. Itin. c. I. quam bibi incommodam, nisi fictilibus aut cisternis omnem turbationem deposuerit, guttatimque descendens prorsus clara reddita sit, attestatur Jo. Thom. Minadous, Professor Patavinus disp. Med. VI. quorum uterq; in terris illis diu peregrinatus, non vidit tantum Euphraten, sed etiam gustavit. Id verò nimium, quod Dionysius Afer Euphratem adeò in superficie limo obductum adfirmabat, ut eò deinde arescente corticem quasi firmum inducat, & transeuntes facili trajectu transmittat: quod apud Procopium quoque libro I. Persicorum habetur. Erroris enim causam ingeniosissimus Jo. Wovuerius Polymathiæ c. XI. commodius exposuit, quod subterraneo meatu in Arabia emergat, sententiâ Eratosthenis apud Strabonem in XVI. Geograph. & Philostrati libr. I. de vita Apollonii. Huic autem depurationi utres necessarios & usitatos, ut gratior palato adrideat, descripsit Phil. à S. Trin. I. Itin. Or. V. & III. c. IX. Adeò ut intra limum, quô inficiuntur isti fluvii, dracunculi seminium latere posse planè nihil absoni censendum sit. Quod etiam ex verbis illis facilè conjicitur, quæ Romanæ eloquentiæ parens II. de nat. Deor. posteris reliquit: *Ægyptum*, inquiens, *Nilus irrigat, & quum tota æstate obrutam oppletamq; tenuit, tùm recedit, mollitosq; & oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quasi novos agros invehit. Indus verò, qui est omniũ fluminum maximus, non aqua solùm agros lætificat & mitigat, sed eos etiam conserit. Magnam enim vim seminum secum frumenti similium dicitur deportare.* Est autem hic Indus fluvius, qui Persas ab Indis separat, utrique iccircò genti communis. Arrianus quoque in Indicis suis de cæteris etiam fluviis Indorum: ἐπεὶ καὶ τἄλλα ἡ Ινδῶν γῆ οὐκ ἀπέοικε τῆς Αἰθιοπίας. καὶ οἱ ποταμοὶ οἱ Ινδοὶ, ὁμοίως τῷ Νείλῳ τῷ Αἰθιοπίῳ τε καὶ Αἰγυπτίῳ κροκοδείλους τε φέρουσι, ἔστιν ὃ οἱ αὐτῶν καὶ ἰχθύας, καὶ ἄλλα κήτεα ὅσα ὁ Νεῖλος. Blancardi versione: *Nam & cæteris in rebus India haut dissimilis Æthiopiæ est. Quin etiam fluvii Indici, perinde ac Nilus Æthiopicus, & Ægyptius, Crocodilos gignunt, & pisces ac balanas ejusd. generis, ut Nilus.* Sanè & Indis

dra-

dracunculos familiares faciunt Aëtius, Paulus, & Turcarum quorundam relatione Amatus Luſ. Nam quod Æthiopas concernit, quibus hunc adfectum frequentiſſimum Aëtius & Pollux tradidêre, cùm Nigrum bibant fluv. non aliud dicendum reſtat, quam quod de Nilo diximus. Solinus polyhiſtor. c. XXXIII. eleganter: *Æthiopes & Atlanticæ gentes Nigri flumine dividuntur, quam partem putant Nili. Sic papyro viret, ſic calamo prætexitur, animalia eadem edit, iisdem temporibus exundat, intra ripas tunc quoq; redit, cùm contentus eſt alveo ſuo Nilus.* Quibus & illa conferenda, quæ idem c. XXXV. commemorat. *Et Gir notiſſimus amnis Æthiopum* Claudiano in panegyrico Stiliconis. Gis etiam Sidonio Apollinari, non, Tagus, emendatione Gaſp. Barlæi lib. de reb. geſt. in Braſil. à Principe Naſſoviæ Mauricio. pag. 104. Quamquam noſtra conjectura etiam apud Sidonium, *Gir*, reſcribendum. : טגרס : תקז *Takaze Tegyroſy: flumen Æthiopum in Nilum influens, ideoq; κατ' ἐξοχὴν, Nilus, dictum.* Ex Tegyroſy autem primâ tantum ſyllabâ abjectâ: *Gir: Giris:* & *Siris*, etiam, à linguæ iſtius imperitioribus efformatum videtur. Nec multis aliis præterea opus, poſtquam ipſius Nili genuinam originem tot fabulis involutam, tot acutiſſimorum ingeniorum curioſitate priſcis pariter noſtriſque temporibus fruſtra quæſitam, primus ex Æthiopia fideli Petri Pais inſpectione deduxit Athanaſius Kircherus tom. I. Oedip. Ægyptii, ſyntagm. I. c. VII. (In quo ſtupendæ eruditionis, laboriſque immenſi opere, ipſa illius verba ex Luſitanicis Latina facta leguntur) Ingens ſub montibus Lunæ hydrophylacium præterea pulcerrimè depingens tom. I. mund. ſubterran. lib. II. c. X. §. III. ingenioſâ tamen potius conjecturâ, quam αὐτοψίᾳ, aut infallibili demonſtrationis neceſſitate, quando certè Iſaacus Voſſius non Nili tantùm, ſed aliorum quoque fluminum incrementa ab imbribus deducit. Quibus omninò addenda, quæ Gaphiphe (ut vocat) ſive rectius Ebn Juſephus Tiphaſenſis, libello سجع الهديل في اخبار النيل rhythmicè inſcripto, ut nos putamus, (i. e. *vox palumbis Noachicæ*
(ſiti

(*sitiemortua*, ceu fabula habet,) *historiam Nili*, rhythmis enuncians, ex Arabica L. in Gallicam traductus, à viro I.L. Or. artisque nostræ peritissimo Petro Vatterio nuper Parisiis editus, & Nobilissimus Chambræus tr. singulari multùm diversa (ab reliquorum omnium) sententia disseruit. Quin etiam è Nilo multi hinc inde amnes & rivuli procurrunt, aliis nominibus noti, unde Amharicè אבו: Abavvi: quasi pater fluminum vocari solet. Turbidus autem hic adeo, ut nisi depuratus, bibi non possit, ceu supra dictum. A. Hirtius de bello Alexandrino clarissimè: *Urbs ferè tota suffossa est*, ait, *specusq; habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domus inducitur, quæ paullatim spatio temporis liquescit ac subsidet. Hac uti domini ædificiorum, atq; eorum familiæ consueverunt. Nam quæ flumine Nilo fertur, adeò est limosa, atq; turbida, ut multos, variosq; morbos efficiat: sed ea plebes ac multitudo contenta est necessariò, quod fons urbe tota nullus est.* Sunt quidem & alii depurationum modi, præter colatoria illa Alexandrina, quorum & Athenæus meminit, quemadmodum & salsas juxta mare edulcandi, quos recenset Ferrantes Imperatus VII. hist. Nat. c. XXV. per ovi scil. albumina & succos acidos ad Dioclis mentem Tiberinæ inprimis commoda, c. XXVI. per coctionem & expositionem sub dio seu ventilationem Galeno memoratam VI. Epidem. & Athen. III. 18. per fossas item altitudinis ratione sibi imminentes, terraque figlinâ repletas, Rufi Ephesii invento. c. XXVII. per ebullitionem, stillicidia, destillationem vaporosam, trajectionem per manicas, & corrigentium admixtionem. c. XXIX. Injectionem item olei, qua fluvius quoque Croceus Sinensium clarescit ap. Neuhofium Itin. Sin. p. 138. eadem scil. ratione, qua etiam per amygdalas Alpini oleosas: quia tamen haut paucas horas plerique requirunt à vulgo magno sanitatis dispendio negliguntur. Hinc utique plures Ægyptiis cognatos endemiosque morbos, aliis terris incognitos, unà cùm reliquo victu ex leguminibus, fabis, & pultibus Hesychio ἀθήροις al. ἀθάροις dictis, non ipso climate aut stellarum influxu dedu e[illegible] dos verè pronunciabat Cl. Salmasius diatriba de annis Climacter. p. 730.

p.730. etsi parum, ut videtur, memor ad proprietatem climatis serpentes exiguos Agatharchidis i.e. dracunculos deinde p.730. retulisset, quod olim quoque faciebant Hieron. Mercurialis lib. de morb. puer. & II. var. lect. eumque, ut putamus, sequutus Josephus Phavorinus Clavarius sect. I. Exerc. Med. c. XI. & XII. Cæterum notatu dignum est in litore Guineæ aurifero non ubique aquas insalubres esse, quarum potu dracunculi gignantur, sed propè Minam tantum locisque vicinis, Moureæ, non item Acaræ, Blommertii observatione in Ms. Vossiano, ex quo id O. Dapperus Africæ suæ. p. 462. prodidit. Imò nec istis quidem facilè ingenerantur, qui Moureæ exscendunt, nisi aquam copiosius hauriant. Quod nec in Persia accidit Laram accedentibus, si aqua cum cura per pannum transcoletur, aut loco illius vinum bibatur, narrante D. de Bourges. p. 101. De aquis certè non minus, quam oleribus probabile haberi debet, seminia cùm aliorum vermium, tùm etiam Venæ Medinensis sive dracunculorum in atomis latere posse. Vetus enim ista doctrina, quamvis nostra ætate in usum revocata, & felicius exculta primum auctorem non Epicurum sed Moschum Sidonium, ante Trojana tempora Strabonis indicio ex Posidonio in XVI. Geographiæ, Leucippum deinde & Democritum adsertores habuit Senecâ fatente V. quæst. Nat. II. qui corpuscula & micas appellat IV. de benefic. XIX. callidus è Stoa non transfuga in hortos, sed explorator, ut ipse se vocabat, in castra Epicuri frequentius excurrens. Hanc utique ad mentem illius doctissimè explicuerunt Magnenus & Gassendus ut quidquam addi nequeat. Jam olim tamen Sphærus Bosphoranus, Zenonis & Cleanthis discipulus περὶ ἐλαχίστων πρὸς τὰς ἀτόμους καὶ τὰ εἴδωλα, de minimis adversus atomos & simulacra disputabat narrante Diogene Laërtio in VII. de vit. philos. Hæc enim rectissimè antiqui, non secus ac hodiè subtiliores distinguebant. Unde nec illa omnia, quæ contra principia recentiorum physicorum disseruit Georgius Bachius, quidquam ad rem facere possunt, quia plerique sapientiores non Epicuri fortuitas conglomerationes defendunt, figuris Mathematicis coalescentes, sed

modum

modum tantum naturæ positum contendunt, quousque in corporũ divisione progrediatur, & minima ad operationes suas idonea producat, quæ postea mixtorum principia exsistere nilquid. quam prohibeat. Neque tamen propterea Lucretium atomorum nomen tam studiosè vitâsse verosimile videtur, neque quod doctissimus Gifanius suspicabatur, quia versuum leges non facilè admitterent, quæ nihil prohibebant, sed quod purissimam Latinitatem, sepositis Græcis omnibus, haut vanè adfectaret: Unde corpuscula nominabat, & prima elementa, principia, corpora prima, primordia, rerum semina, figuras, corpora cœca, materiam, & materiati corpora, principiorum corpora, quæ tamen Cicero & Lucilius Græcissantes atomos, & corpuscula ἀόρατα, sub adspectum non cadentia, vocare nil formidabant. Minima quidem Lucretius etiam appellabat lib. II.

Corpora nec plus quam minimum, & IV.
Quare etiam atq; etiam minima hæc fateare necesse est
Corpora.

Et alio II. loco:

Id facit exiguum clinamen principiorum.

τὸ ἐλάχιστον habet Cicero de fato & IX. epist. ult. Corpora individua I. de fine, quorum connexio tot aliis nominibus exponebatur: *Concilium*, *cœtus*, *congressus*, σύνοδος, *conjectus*, *nexus*, *complexio*, *colligatio*, *simulacra*, *imagines*, *figuræ*, *formæ*, εἴδωλα, τύποι, ὄγκοι, *exuviæ* Appulejo in Apologia: *Glomeramina*, *concursione fortuita rerum causas efficientes*, ut Amafanius apud eundem Tullium loquebatur lib. I. edit. II. Academ. quæst. Hanc sanè ut nemo, quod sciamus, hodiè defendit, ita peritissimus quisque ipsas atomos & minima naturalia promptissimè admittit: quarum iccircò difficultates vel maximas & intricatissimas fidelior divisio in simplices & compositas facillimè sustollit, quam ideò eruditè & luculenter exponebat David Derodonus disp. de atomis §. IV. nam & compositas geminas discernebat, quod aliæ planum indivisibile, ut sic vocare liceat, aliæ corpus solidum constituerent; addens & illud quod vulgo minimum naturæ appellant.

pellant. Et hoc ſanè, nec aliud atomorum genus eſt, cui adſcribendum, quidquid de illis naturæ artisque conſulti hucusque propoſuerunt. Quamvis enim & iſta vel lynceum viſum fugiant, & ultra illas natura ipſa nunquam dividendo progrediatur (certos enim heic quoque terminos obſervat, utut nihil naturæ minimum, quod dividi nequeat lib. I. quæſt. Acad. §. XXVII. ex Epicureorum ſententia, ſed mente tantum, Cicero pronunciârit, quo pacto etiam, nec alio exponenda *ἄτομα λεπτότατα* apud Suidam, *ἀμερῆ σώματα διὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ σμικρὸν ἄγαν, ἅτε μὴ τομὴν ἢ διαίρεσιν δέξασθαι δυνάμενα*) ex multis tamen aliis ſimplicibus compoſita & verè ſunt corpuſcula naturalia, quibus propterea ſeminia ineſſe, aut ipſa ſeminali facultate pollere, ideoque & ſuo modo, ſuaque conſideratione principiorum naturalium vim & locum habere poſſunt. Quod nobis adeò magis adridet, quam cæteroquin ingenioſa V. C. Alberti Linemanni ſententia, qui Regiomonti Boruſſiæ atomos, & ſpiritum univerſi, & lucem primigeniam, tergemina omnium corporum naturalium primordia conſtituens, multò prius & doctius publicè propugnabat, quam eadem ferè Jo. Amos Comenius in phyſicis protuliſſet. His utique conſideratis facillimum eſt diſcrepantes Heinrici Mori, & Renati Carteſii ſententias conciliare, quæ extra diſtinctionem iſtam *βαττολογίαι* meræ ſunt, & *εὐηθείαι* ſimpliciſſimæ. Ille enim epiſt. LXVI. part. I. atomos naturæ tantum, non Deo indiviſibiles rectè pronunciabat, ſed Carteſio abſolutam DEI potentiam prætendenti, illa tantum objiciebat, quæ facta, nec à Deo infecta fieri poſſent, quem ideò epiſt. LXVII. alter non injuriâ ridebat: *Non valet*, inquiens, *tua comparatio de iis, quæ facta ſunt, quod nequeant infecta eſſe.* Uterque tamen nequidquam philoſopho dignum attulit. Sic enim nos Dei potentiam ſolemus celebrare, ut ex ſe quidem infinita ſit, ſed naturam certis quibusdam terminis, & ſpatiis, & facultatibus concluſerit, extra quæ ipſa numquam exerrare conſueverit, niſi cùm ipſi placuerit, quod raurò evenire ſolet, & ideò naturæ vires excedit. Igitur modus in dividendis corporibus eidem poſitus, quem tranſilire non poteſt,

minima

minima ista Naturalia producit, de quibus loquimur, sive atomos naturales, non Mathematicas, quas mente concipere quis possit infinitas quidem, sed nusquam universo hoc exsistentes, & si naturam ideò spectemus, φαντάσματα purissima, καὶ ὄνειρος σκιᾶς, quas sibi σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος effingit: nec etiam divinas, quas, (si quæ unquam observatæ,) miraculosas esse necesse fuerit. Verè autem Aristoteles I. de gen. anim. III. περιπόλαια πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη, quod Servius III. Æneid. *manibus omnia plena inter lunarem & terrenum circulum:* reddebat, *manes* animas defluentes sic appellans, notante Casaubono ad Athenæum IIX. 13. Nimirum & Aristoteles sæpè Platonis Doctoris sui sententias nonnihil incrustatas, ne agnoscerentur, fovebat, & reliqui ex Academia Chaldaicam & Ægyptiacam sapientiam amplexi parum dissentiebant, à quibus nempe Plato pleraque didicerat. Inter hos sanè Julianus junior, Theurgus dictus, in Oraculis, à Francisco Patritio Ferrariæ primum editis, ζωογόνον πηγὴν ψυχῶν, *fontem animarum vitæ genitalem* nominabat, & comparatione quadam πηγαίους κρατῆρας, *sive scaturigenes*, ex quibus

σμήνεσσιν ἐοικυῖαι φέρονται ῥηγνύμεναι
κόσμου περὶ σώμασιν.
Examinibus similes ferantur perrumpentes
Per mundi corpora.

Miasmata corpusculis per aërem rotatis Acronis Agrigentini denominatione apud Diogen. Laërtium III. *Animalcula* Tremellii Scrofæ, vetustissimi rei rusticæ Scriptoris. Nec enim opus meest, ut formas vicissitudinarias & plasticas quibusdam dictas, medias inter τὰ εἴδη ἔνυλα καὶ ἄνυλα huc accersamus, de quibus olim plurima ex Jac. Schekii sententia Daniel Mœglinus Profess. Tubingensis cum Jo. Scheurlino ex nostratibus Medico pereruditoo philosophabatur literisque vicissim exaratis excutiendo, obscuras tandem fateri cogebatur, quod nihil dum de Atomis alterutri in mentem venisset. Verissimè Hofmannus IV. Institut. Med. XXV. §. LIIX. de lumbricis & dracontiis: *Nullum omnino animal in corpore vivo gigni posse, nisi seminia illius propria extrinsecus*

cus accesserint: quæ sententia etiam erat Levini Lemnii III. occult. Nat. mir. XL. & IV. c XIX. & Nic. Agerii, quam Argentinæ quondam non sine applausu defenderat Alex. Verbezius, multis egregiis argumentis usus, quorum præcipua ex ipso Aristotele exsculpserat ut IIX. Metaphys. III. t. X. quod formæ velut numeri exsistant ideoque totæ seminiis suis insint atque emergant potius, quam educantur aut inducantur, & reliqua ab eruditissimo Hofmanno l. de gen. hom. nec non Scalig. Exerc. VI. & Jac. Schekio tr. de causa contin. prolata, quæ recensere prolixius, nec hujus instituti. Nam hujus quoque opinio, quamvis Peripato addictioris, ferebat, nihil in natura novum in lucem venire, cujus ipsa fundamentum quasi prius molita non sit & inchoationem in minimo quodam quod sive semen esse soleat, sive quidpiam seminis instar: quam suam quoque sententiam Paracelsus lib. de gen. rer. Nat. §. I. etiam ad metallica extendebat, hodieque in lapidum quoque generatione aliorumque fossilium eruditiores suo modo admittunt illustriss. Peirescii exemplo apud doctissimum Gassendum in vit. ejusd. Nec enim principium plasticum metallorum, cavernis ternæ proprium, quod tantopere placebat Gregorio Horstio, ab illis diversum esse potest, si rectè explicetur. Veré quidem auctor incognitus à Martino Birrio Amstelodami editus tr. de transmut. metall. c. V. semen metallicum à vegetabili differre pronunciabat, dum tamen istud à toto corpore decisum, illud per minima ejusdem latens, nec ab reliquo corpore discerni valere adfirmabat, rem acu tetigisse dici non potest, sed ipse incertissimus aliis quoque dubitandi amplam materiem reliquit. Nam quæ de astrali seminum, etiam gemmeorum defluxione part. II. arcan. quæst. VI. adfert, Jo Grasseus, aut multum aliter illustranda sunt, aut certè admitti non possunt. Quemadmodum nec illud quod Florentius Schuylius illustrationibus suis in Cartesii librum de homine, attulit, plantas exanima corpora ad Epicureorum & Stoicorum mentem statuere conatur, semina metallica à se composita jactavit, cùm tamen utrumque à vero penitus abhorreat. Colligi, educi, separari, maturari quasi, aliisque

aliisque corporibus deinde applicari, hæc quidem possunt, quamvis vix unus aut alter inter Chemicos hodiè id satis nôrit. Animam verò sensu metiri iniquum est, quin formæ omninò omnes animæ quædam dici queant, naturales certè omnes tam stirpium, quam fossilium aut metallicorum vegetantes, ut animales omnes sentientes. Hæc sanè omnia mirificè firmare possunt, quæ nostra ætate curiosorum industria per microscopia invenit. In sanguine nimirum febrientium vermes conspectos Kircheri experimento apud Petr. à Castro de febri mal. puncticul. aphorist. method. explic. & animalia balæniformia, notante Petro Borello III. obs. Med. physic. IV. sive balænas sanguicolas proboscide, & Siphonibus quasi aquivomis in vertice insignes obs. XXI. Quamvis enim non ignoremus, quid alii de sensuum imbecillitate, & fallendi proclivitate oggerere soleant, jam olim tamen antiquissimi Medicorum ejusmodi insensilia admisêre, unde & Cassio Felici λόγῳ θεωρητοὶ πόροι, καὶ λόγῳ θεωρητοὶ ὄγκοι toties memorati problem. LX. LXII. LXVII. LXIX. & LXXXI. aliisque, Gesneri interpretatione: *quæ ratione, non sensu deprehenduntur, ut pori, & atomi. Moles & meatus*: ad Asclepiadis mentem apud Galenum, seu quisquis auctor est libri de Theriaca ad Pisonem c. II. Julii Martiani Rotæ interpretatione. Qualem cùm corporis exilitate referat etiam acarus Aristotelis, ejusdem tamen microscopii opè histrici similis tanquam in atomo omnes perfectissimi animalis partes lustrantibus exhibuit apud eund. Borell. Cent. obs. microscop. obs. XXI. Sirones etiam minimi testudinum effigies repræsentârunt, ut & vermiculi Variolarum tenuissimi serpiginosis molesti obs. XXXI. & XXXII. quamvis cæteroquin visum effugientes. Corpuscula item albicantia in Sero & Chylo, valvulæque & pili in poris, obs. XIII. & LXXV. Aëris item animalcula Henrico Alstedio philosopho sollerti dicta, quæ pestis tempore in corpus respiratione attrahuntur observ. LXXIX. notante etiam Hedouillio in ephem. erudit. p. 140. Hanc verò atomorum doctrinam à Leucippo & Epicuro mutuò sumptam primus olim in medicinam intulit Asclepiades, μεῖζοσύγκρισιν ἢ μεταπύρωσιν inde excogitans, docente Cælio Aureliano I. 14. corpuscu-

puſcula intellectu ſenſa, vim in ſemet mutationis habentia aut per magnitudinem ſui aut per multitudinem, aut per Schema, aut per ordinem. In tali autem Naturæ minimo ſive atomo impropriè aut ſaltem κατὰ τι dicta, veræ & ἁπλῶς appellatæ plurium myriadum numero contineri ad mentem doctiſſimi Gaſſendi in Epicuro ſuo, & Jo. Sperlingii philoſophi in Academia Leucorea perquam eximii, argumento I. & XV. prolixius oſtendit Iſaacus Zabanius tr. ſingulari de exiſtentia atomorum haut ita pridem edito. At quæ Renatus Carteſius (omnes cæteroquin rationes mechanicas etiam in phyſicis locum habere part. IV. princ. philoſ. §. CCI. & CCII. licentius adfirmans) de materia informi, & omninò æquali, per ſolum motum localem omnia naturaliter producente, fingebat, ideoque ſatis refutata ſunt à Jac. Reiro in ſtater. philoſ. Carteſ. p. 127. ad Epicuri atomos ſimplices propius accedunt, multumque differunt à ſeminiis, quorum vis etiam in minimis naturalibus elucet: (quamvis ipſe Democriti hanc opinionem veram pronunciârit, *particulas corporum tam minutas dari, ut inſenſiles ſint:* eoque tantum admitti non poſſe, quod indiviſibilia corpuſcula ſtatueret, & vacuum circa ipſa confingeret, & denique gravitatem illis adſignaret.) Sed ut ad aquas redeamus: Oxus quoque fluvius Choraſanæ ſeu Choroanes & Parthiæ Ptolemæi non minus rapidus, quam reliqui jam dicti, ideoque & turbidus, ὦξος ποταμὸς ἐν τῇ βακτρίων χώρα ψαμμώδης καὶ ῥεῦμα ὀξὺ ἔχων apud Suidam. Araxes, ut habet Pomponius Mela lib. III. c. V. *cùm in aſperiora devenit, hinc atque illinc rupibus preſſus, & quanto anguſtior, tantò magis pernix, frangit ſe ſubinde ad oppoſita cautium, atque ob id ingenti cum murmure, ſonansque devolvitur.* Hunc enim ipſum vett. Oxum adſeruit Iſaacus Voſſius l. c. §. 29. Arrianus tamen VII. exped. Alex. M. aliorum fide diſtinguit: ἐκ βάκτρων μὲν ἰῶξος (ſic enim ſcribendum, ut Manuſcr. elegantiora, & noſtrum quoque Aug. habet, non: ὄξος) μέγιστος τῶν Ἀσιανῶν ποταμῶν, πλὴν γε δὴ τῶν Ἰνδῶν ἐξίησιν ἐς ταύτην τὴν θάλασσαν. διὰ Σκυθῶν δὲ ὁ ξυάρτης. καὶ τὸν Ἀράξην δὲ τὸν ἐξ Ἀρμενίων ῥέοντα, ἐς ταύτην ἐισβάλλειν

λειν ὁ πλείων λόγος κατέχει. i.e. *Ex Bactris Oxus maximus Asiæ fluminum, Indicis exceptis, in Caspium mare fluit, per Scythas autem Jaxartes* (sic enim ubique legendum rectè advertit doctissimus Blancardus) *Araxem quoque, qui ab Armeniis fluit, in hoc mare ferri plerique tradunt.* Sed & minores fluvios ejusdem provinciæ plerosque rapidos, quippe ingenti murmure ex altissimis montibus profluentes, & sæpè nivium colliquamentis, aut nimborum accessu intumescentes, multum ex alveis, per quos decurrunt, secum auferre Geographi Arabes testantur: talis enim ad metropolin نيسبور Neisaburam, ام خراسان lacum efformans arundinibus consitum, unde *Carectum sive Arundinetum Saporis Regis* dictus locus, limosus sanè & lutosus, non minus, quam Tigris, & Euphrates, de quibus supra. Tales quoque in Comisene ad Dameganam metropolin rivi plurimi confluentes, qui *aquam Chosroicam* dictam constituunt. ماء الكسروي magno impetu ex Caucaso devoluti, ideoque in subjecta planitie haut parum terræ, quam adluunt, & quidquid in illa delitescit, secum deducentes. Giihon à Plempio dictus ap. Ebnsinam lib. I. sect. II. doctr. II. summ. I. c. XVI. *Vastorum amnium aquæ, ut Gihonis, præcipuè illæ, quæ longè ab origine hauriuntur, simulatque haustæ sunt, valdè turbidæ, fecisque plenæ, breviculo temporis spatio atque unica vice inclarescunt & defecantur.* Quamvis hoc nominis plerique Gangi Indorum adsignârint: Æthiopibus tamen : תקז גיון : *Takaze Gyjony* : Nilus vocatur, quem sanè cum reliquis tribus fluminibus Paradiséis eandem originem habere & S. literæ testantur, & occulti aquarum sub terra commearus. Quin Nilus ipse Melas dictus sive Niger notante Josepho Scaligero ad Festum p. 10. de quo supra etiam ex Solino. Indubiâ Arabum imitatione, quibus apud Geographum Nubiensem part. IV. Clim. I. النيلين *Duo Nili* نيل مصر ونيل

نيل مصر، ونيل السودان *Nilus Ægypti*, & *Nilus Nigritarum*, ejusdem Originis من جبل القمر *ex monte Lunæ*, locis tamen pereleganter distinguitur. Quamquam ut verũ fateamur, si verba illius aliis in locis rectè expendantur, quatuor Nilos denominare licuerit. Ait enim نيل بلاد السودان *Nilus Nigritarum*, *sive terra quâ Nigri habitant*: Deinde يشق بلاد النوبه *Dividit Nubiam*: وبلاد ارض مصر *& regionem Ægypti*: & denique: النهر الذي يمد النيل وهو يشق بلاد الحبشه *Fluvius qui Nilum exauget, is est, qui terram Habassinorum dirimit*. Quod sanè parum refert, omnes enim Nili particulæ sunt, aut Nilus ipse diversas terras adluens; *Nilus Nigritarum: Nilus Nubiensis: Nilus Ægyptius: & Nilus Æthiopicus s. Habassinus*. At R. Saadias Haggaon Genes. II. cùm *Pison fluvium Nilum* interpretatus esset, fortasse ab AbnEsra reprehendi non debuit Comm. in l. c. qui somnia illius criminatus in plerisq; aliis pari ratione errâsse contendebat, cùm tamen nec ipse frequenter adeò meliora adducat: וכן עשה במשפחות ובעיירות ובחיות ובעפות ובאבנים: h. e. *Sic etiam fecit in translatione familiarum, urbium, bestiarum, volatilium & lapidum*. Cujus iccircò censuram nequidquam æstimabat Benedictus Arias Montanus, ut cui Physon è montibus terræ Chus, papyri feracissimus idem erat, qui Sichor, aqua turbidâ, sed postquam resederit, potui aptissima tr. de gent. sedibus sive Phaleg. c. X. in Misraim. Unde & *Sirin* Æthiopum ap. Plin. V. 9. deducebat Seldenus Syntagm. I. de DIs Syr. c. IV. שיחור; enim *nigredo*, & שחור; *niger*, i. e. Μέλας Græcorum. De Persis præterea Jo. Albertus à Mandelslo Itin. Or. lib. I. c. VI. *In urbe Persiæ, Laar*, ajebat,

bat, *potus indigenis aqua est, quæ juxta cùm aëre valdè insalubris, unde incolæ vehementer à vermibus capillaribus adfliguntur, qui duarum ulnarum longitudine inter cutem & carnem nascuntur, magnaque cum molestia, nec sine periculo extrahi solent.* Quod attestatur D. de Bourges in descript. Itiner. Sinici Episcop. Berytiensis p. 101 *aquæ istius cursum ad Gomeron ferè usq; protendi*, referens. Et de Bochara, Ebnsinæ nostri patria Antonius Jenkinsonius Anglus in descript. Pers. Jo. Lætii part. II. *Per mediam urbem Bocharam in Bactris exiguus amnis labitur, cujus aquæ insalubres, in bibentium cruribus, qui nondum adsuevêre, vermes generant inter cutem & carnem singulari industria sensim eximendos.* Is verò fluvius Sogdus est, de quo Abulfeda in libro suo Geographico, quem Canonem regionum تقويم البلدان، ad æmulationem EbnJezlæ, qui تقويم الابدان، Canonem corporum scripserat, insignivit, Clim. XXVI. وارض بخار مفيض ماء السّغد ويتصل ببخارا السّغد من شرقها، *Agri Bocharæ aquis Sogdi irrigantur. Adnectitur autem à parte orientali Sogdiana.* Paucisque interjectis sic pergit: فاذا جاوز وادي السّغد سمرقند بمرحلتين يتشعب فيكون منه نهر يسمي نهر ني من وادي السّغد انهار علي امتداده بحد كل بلدة ورستاق حتي ينتهي الي حد بخارا، قال ابن حوقل ومياه سمرقند والسّغد وبخارا اصلها من جبال البتم، ومن كور ماوراء النهر كورة البتم، Vertente Jo. Gravio, viro maximo & LL. Or. peritissimo: *Fluvius*

vius Sogdus ubi duabus plus minus diætis (i. e. stationibus aut itineribus diurnis) à Samarcanda defluxerit, in ramos dividitur, è quibus est fluvius Kai, qui medium præterfluens in infinitos rivos dividitur. Præter fluvium Kai alii etiam Canales dicuntur Sogdus, ad cujus civitatis & oppidi terminos ducuntur, donec ad Bocharæ confinia perventum sit. EbnHaukal: aqua Samarcandæ & Alsogd, & Bocharæ è montibus Albotam scaturiunt. Albotom est in regionibus Maverennahara. Paulloq; pòst: والبخارا كورة عظيمة نصاقب جيحون علي معبر خراسان ويتصل بها سابر السغد المنسوب الي سمرقند *Ad Bocharam spectat ampla regio fluvio Jihum adjacens propè transitum in Chorasanam, cui reliqua pars Alsogda Samarcanda denominata adnectitur.* Haut procul sanè ab istis Hydrophylacium Asiæ ingeniosa Kircheri conjectura tom. I. mundi subterr. lib. II. c. X. §. III. delineatum, ex quo fluvii omnes remotâ aut propinqua origine scaturiant, non tantum in Persia, Chorasana, & Arabia, sed etiam India, & Sinarum regione. *Elbetom* البتم autem montosa & frigida Ferganæ pars est, qua Sogdus in Oxum fluvium sese exonerat, ut & Dehashus fl. Balcham pertransiens, testante id apud Abulfedam EbnHaukalo. Ut sanè vulgare illud dicterium Hamdollahi Casvinensis in histor. Natur. quam Persica dialecto, sed Arabica inscriptione نزهة القلوب i. e. *oblectamentum animorum*, concinnavit: لو جمع تراب اسفهان وشمال هرات وماء خورزم في بقعة لا يقبل ان يموت الناس ابدا *Si uno in loco jungerentur terra Ispahana, & borealis ventus Heratæ, & aqua Chovarezmæ, non contingeret homines unquam mori:* aut multum profectò à vero recesserit, aut saltem amœ-

amœnitate tantum, & gratiori per ſiccitates ac calores irrigatione potius, quam potandi ſalubritate accipiendum exiſtimemus. De Caſvino ſanè, patria ſua, idem, veteribus Arſacia dicta, à Shaburo Scapulario condita: *parvum fluvium eandem tranſire, reliquam verò aquæ copiam, minus laudatam, ex vicinis Caucaſi montibus per ſubterraneos ductus in puteos deferri, ad quos ferè per gradus deſcendere oporteat.* Mervam quoque ad fluvium مرورود *Mervarudam* in Chorasana Clim. IV. diſtinguens Abulfeda à *Mervashahiana* مروشاهجان ſive *Merva Regii delicii*, duobus fluviis inſigni: *Zerico & Majano:* زريق و ماجان addebat locum propterea مرغاب *aquâ amœnum* (non tamen: ſalubrem) à Perſis appellari. Amœnitas ſiquidem etiam vulgi judicio conſtare poteſt, ſalubritas non niſi Medicorum Philoſophorum experientiâ firmabitur. Eſt igitur aut ipſe Sogdus fluvius, aut alius in iſtum influens, quem plures in ramos divaricatum in Samarcanda Sogdianæ metropoli tantoperè celebrat Ebn Vadachus apud Jacutum Hamavenſem, quem in Caſtellum Saxeum deductum, per plumbeos canales tota urbe diſpergi commemorabat على مسناة علية من حجر i.e. *ſuper alto aggere lapideo, (ſive aquæ ductu) cujus totus tractus ſive ductus ex plumbo* ووجه هذا النهر رصاص كله Ideoque ad potum minus ſalubris cenſendus, ſi plerorumque Medicorum ſententias admittimus, & ipſam præterea experientiam, quæ aquas ejusmodi arenæ lutique adfluentis obſtructione ſæpius ita infici teſtatur, ut non niſi magna ædilium curâ, ac ſumptibus haut exiguis, expurgatis canalibus, depurentur. Nec ergò ad ſalubritatem, ſed fontium multitudinem encomium Poëtæ pertinet, qui urbem frequentibus hortis conſitam, arboribusque inumbratam, tanquam maculas nocturni ſideris iccircò referen-

 tem,

tem, Lunæ, rivos autem viæ lacteæ comparavit لدن وانهارهـا المجرة ، & vulgatum illud dicterium quo Sogda Samarcandæ inter delicias & hortos mundi recensetur: صغد سمر قند في منزهات اوي جنان الدنيا ، His autem fluviis Jaxartem quoque & Oxum addere liceat in Scythia olim Asiatica dicta, quæ Persis nunc subjecta, Et Ebnsinæ nostri patria quondam fuit, Turanæ & Iranæ nomine celebrata cùm aliis, tum Ahmedo Arabshiadæ in histor. Timuri p. 26.

ما وراء جيحون الي جهه الشرق توران وما كان في
هذا الطرف الي جهة الغرب ايران ، ولما اقتسم
كيكاوس وافر اسياب البلاد كانة توران لافر اسياب
وايران لكيكاوس بن كيقباد وعراق هو مغرب ايران ،

Nostrâ versione: *Quod ultra Oxum (sive Jihunum) fluvium est orientem versus, vocatur Turana, quod verò versus occidentem* (non: *serpentrionem*; quod typothetæ vitium dubio procul in Cl. Hottingeri histor. Ecclesiasticam part. V. secul. XVI. cap. XV. sect. II. irrepsit,) *Irana dicitur. Cùm olim Caicaus & Afrasiabus inter se regionem dividerent, Turana Afrasiabo, Irana autem Caicao Ebn Cabcobado obtigit. Iraca verò est occidentalis pars Iranæ.* Transoxiana & Cisoxiana provinciæ dici possent: de quibus in præcedentibus idem, urbes præcipuas, & inter illas etiam Ebnsinæ patriam enumerans: وجخند وهي علي سيحون

وترمذ علي ساحل جيحون ونخشب وهي قرشي
المذكورة والكش واندكان وهي امكان مشهورة وغير
ذلك ،

ذلك ؛ *Chojenda sita est ad Jaxartem fluvium: & Tarmeda ad ripas Oxi (sive Jihuni) Nachshaba item, quæ Coreish, Elkasha, Bochara, & Endacana, quæ Amekana celeberrima, & præterea aliæ quædam.* Hæc enim genuina nomina illarum sunt, pro quibus in tabula Geographica Adami Olearii legitur: *Chotzend: Terment: Kath: Zahassa: & DemKam:* quemadmodum *Orxantes fluv.* pro Jaxarte, repositus ab eodem conspicitur, non aliam, ut videtur, ob causam, quam quod corrupta Arriani historici exemplaria sequutus esset, apud quem Aristobulus lib III. ἐν Μαρακάνδα βασίλεια τῆς Σογδιανῆς χώρας, i. e. *Samarcanda Sogdianæ regia*, Tanaim ajebat ὀρξάντην πρὸς τῶν ἐπιχωρίων βαρβάρων καλεῖσθαι: *Orxantem à vicinis barbaris dici:* quo tamen loco aliisque pluribus ἰαξάρτην ex Alexandro Plutarchi semper rescribebat Blancardus, ab altero Tanai Scytharum in Herodoti historia omninò distinguendum, etsi non faveat ad sensus Mſ. Codicis Græci in Bibliotheca nostræ Reipubl. Augustanæ: (qui à recentiori manu, non quidem contemnendus hiatus tamen habet, & librorum quoque numeros variat) ex quo & Araxates Ammiani Marcellini lib. XXIII. emendandus, quam voculam sanè nemo hucusque tangere ausus est. Quamquam, ut ne dissimulemus, venia danda exteris linguæque indigenæ non satis peritis, si quandoque vocabula pervertant, quæ nec antiquiores Græci & Latini rectè pronunciabant. Hinc enim ζαράσπα, &, δαράψα Strabonis in secundo Geographiæ. Chatra item, & Alicodra & Astacia ejusdem Marcellini lib. XXIII. Cæterum notatu dignum monere heic oportuit, Turanæ sive Mavarajihunæ sive Mavarennaharæ nomine, non tantum unam illam particulam Persiæ sive Bucharam, sed omnes quandoque populos Orientales venire trans Oxum habitantes apud eundem Ebn Aarabsham p. 348. & Jacutum in Abulfedæ Geograph. Clim. XXVI. Tatari sc. maximè Usbequii dicti. Mogolenses s. Indi, & Cathaini iidem cum Sinensibus. De Chajenda etiam Geographus Nubiensis part. VII. Clim. III. وينحدر النهر اليها

وهو

وهو نهر ومخرجه من انهار مجتمع اليه من بلاد الترك ؛

Noſtrâ interpretatione: *delabitur ad illam fluvius, qui (Jaxartes) Sihunus dicitur* (ſic enim in Arabico legendum putamus, & librarii errorem corrigimus, وهو سيحون ؛ pro illo: وهو نهر ؛ quod modò præceſſerat, & repeti abſonum eſſet.) *Hic verò progreditur ex pluribus fluviolis in ipſum ex regione Turcarum confluentibus.* Ex Caucaſo ſcil. oriundis, ex quo, & vicino montium tractu aquæ etiam Taberiſtanæ, (quæ Comiſenen & Georgianam complectitur) pleræque ſcaturientes, inſalubres, terris metallicis infectæ ſunt, quod vel ſolus rivus ad Dinavendam, lutei coloris docuerit, quem ideò بول البيسو راسّف ؛ *Urinam Bujoraffi*, appellant, notante, ex EbnMahalhalo Poëta, Jacuto Hamavenſi in Geographicis ſuis, non tam à ſulfure, quam ceruſſa contracti, noſtrâ opinione, quia non procul à fodinis ſtibii & plumbi Rejanis eundem deducit Ebnzeinus Taberita. Ochram ſanè ex plumbo leviſſimo artificio confici nemo pigmentariorum ignorat. Hæc autem non aliud quam Ceruſſa eſt flavi aut lutei coloris. Ex iisdem etiam montanis non tantum Bucharæ, ſed Mavarennaheræ univerſæ fluvios in Jihunum & Sihunum confluentes, majores, minoreſque omnes derivat Abulfeda Geograph. l. c, Shashum, qui villam novam adluit, القرية الجديدة ؛ & Ferrabam quoque accedit. Caſarinum & Ashurum, ingentia flumina, quæ Nachshabam ſive Naſafam Arabum præterlabentia, ad Casham urbem pertingunt, atque iccircò *aquæ Cashanæ*, مياه كش ؛ vocantur: Ilacum ejusdem cum regione, quam pertranſit, Ilaca, nominis ايلاق ؛ Sagania-

num

num صغانيان، ad cujus ripas Croci cultura fœcundissima, Tarmedanis præ Jihuno ad potum expetitum. Vachshabum item urbis Chotolæ, & Badachshanum, qui etiam Harretus appellatur وخشاب وبدخشان او حرات، impetuosos omnes, & turbidos, in planitiem ex alto præcipitatos, ideoque cænosis, arenosisque misturis non valdè bibi aptos, nisi resideant in vasculis, curâ adhibitâ clarescant. At quod de Sogdo supra diximus, Abulfeda quoque magnificum opus celebrat Tobai quondam Regis felicis Arabiæ, cujus in porta inscriptionem vidisse se testatur, saxeo aquæ ductu ad urbem Samarcandam exstructo, in quo canales plumbei ex fovea aquam transmittentes. ولها نهر يدخل في المدينه علي حمالات في الخندق ومعمول بالرصاص، Hunc sanè civili tumultu dirutum exustâ porta non sine ingenti sumptu restituit Muhammedus Ebn Locmanus Semaniensis, eodem commemorante. De illis autem præcipuè Ebnsina loquebatur, tanquam in Patria sua vulgo cognitis, & Seminia Venæ Medinensis occultantibus: multò sanè probabiliori sententia, quam Libavius cui III. de judic. aq. mineral. putredo tantum in luto Ægxptiaco placebat, cui cùm postea ipse diffisus esset, crocodileam addebat, sed adeò obscura loquendi formula ut vix se ipsum intellexisse potuerit. Candidissimè autem Robertus Boylæus in Chem. suo Sceptico p. 63. aquam quamcunque communem principiorum seminalium & rudimentorum varietate imprægnatam, atque seminia non è putredine produci, sed integra delitescere, ut illam quæ part. VI. p. 231. addebat, transmutationem in plantas ac animalia, non aliter accipere oporteat, quam seminum occultatorum vegetationem. Quænam verò ex esculentis supra enarratis præcipuam dracunculis seu Venæ Medinensi materiam præbere soleant, utcunque obscurum est, & nos cuivis cogitandum relinquimus.

Haut dubiè tamen quotidiano usu multum serosi & pituitosi humoris congeritur. Quod enim apud Ebnsinam sequitur, præcipuè ad melancholiam & atram bilem spectat: *E cibis eam maximè generat, qui calidus est, & exsiccans.* Sed & ad constitutionem corporis aut temperamentum referri potest, quod talis cibi usu adsciscitur calidum & siccum, cùm enim supra pituitæ mentionem faceret, adustam & constitutioni vehementer siccæ conjunctam appellavit, vulgatissima autem sententia erat, lumbricos latos, pilos urinarios, atque etiam dracunculos, è pituita à calore exsiccante produci, qua de re cùm antea jam satis egerimus, nil ultra proferemus. Hoc tamen Galeni dicto concludimus II. tuend. valetud. VII. τὸ δ' ἄριστον σῶμα ὥσπερ ὁ πολυκλήτου κανών ἐστιν. ᾧ κατὰ μὲν τὴν ἡμετέραν χώραν ὡς ἂν εὔκρατον ὑπάρχουσαν ὦπται πολλὰ παραπλήσια σώματα, παρὰ δὲ κελτοῖς, ἢ Σκύθαις, ἢ Αἰγυπτίοις, ἢ Ἄραψιν οὐδ' ὄναρ ἰδεῖν ἐστὶ τοιοῦτον σῶμα. hoc est, *optimum corpus veluti Polycleti regula est, cui in nostra regione, utpote probè temperata non pauca similia videas. Apud Celtas verò, Scythas, Ægyptios, Arabas, ne per somnium quidem tale usquam est vidisse.* Cui adstipulatur Rasæus II. ad Almansor. XV. *Corpora Parthorum interiora, Nigrorum interioribus multum sunt calidiora: & omnium Nigrorum corpora Parthorum corporibus valdè sunt sicciora.* Geographus Nubiensis Clim. I. sect. I. وهذه البلاد كثيرة الحر حامية جدا ولذلك اهل هذا الاقليم الاول والثاني وبعض الثالث لشدة الحر واحراق الشمس لهم كانت الوانهم سودا وشعورهم متفلفلة بضد الوان اهل الاقليم السادس والسابع Nostrâ versione; *Regio ista multùm calida & valdè arenosa est, ideoque incolæ hujus climatis primi, ut & secundi, ac quidam etiam tertii, propter coloris vehementiam, solisq; ardores, colore nigri*

sunt,

sunt, capillis ad instar piperis atris, contra ac incolæ climatis sexti & septimi. Nigros nimirum vocabat Interpres, qui aliis Nigritæ, Geographo Arabi سُودان Parthos autem Persas Transoxianos, de quibus postea dispiciemus. Verissimè autem ad Abulfarajium de mor. Arab. ante Muhammedum p. 3. ex Medico Arabe auctore libri شامل Cl. Pocokius: فان من داوم الاغتدا بالاشيا الحارة لابد وان يسّخن مزاجه *Si quis diu utatur alimentis calidis fieri non potest, quin calidum evadat temperamentum ejus.* Gordonius tamen his aëris æstum jungit ab ipso situ terrarum deducens, inprimis versus meridiem ad Africam declinantium incolas biliosos, mobiles, veloces, oblongis faucibus describit, melancholicos item haut paucos, quibus & equi & vituli eorum adsimilentur, macilenti, robusti, & capitibus oblongis præditi, partic. II. prognost. c. VII. Indos quoque, *μεγάλους μέν τὰ σώματα, οἷα μεγίστους τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, πενταπήχεις τοὺς πολλούς, ἢ ὀλίγον ἀποδέοντας, καί μελαντέρους τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, πλὴν Αἰθιόπων.* Arrianus IV. de exped. Alex. M. prodebat, *grandibus corporibus præditos, quippe maximi omnium Asiæ populorum, quinque cubitos aut paullò minus plerosque altos, cæterisque mortalibus, si Æthiopas excipias, nigriores.*

CAPUT VIII.

DE caussis Venæ Medinensis ergò jam vidimus. Sequuntur ordine apud Ebnsinam nostrum prognostica, breviter evolvenda: *Etiamsi verò uno in corpore XL. ferè aut L. locis obtingat, curatione tamen evadit.* Unde apparet adfectum nequaquam letalem esse: Imò nec valdè periculosum, si modò dextrè & decenter tracte-

tur, unde & Ebn Jezla sub titulo الخلص والحفف ، Salutis & timoris, salubrem pronunciabat. Nimirum nisi aut violenta extensione in parte, cui adhæret, dolor atque inflammatio excitetur, aut ipsa etiam Vena Medinensis abrumpatur, nihil magni mali minari solet. Adeò ut hac quoque in parte dracunculi nomen aptissimè conveniat. Nam Plinius disertè XXIX. 4. *Draco*, inquit, *non habet venena*. Quod licet in notis miretur Dalechampius, non tamen ei mirum videri poterit qui noverit Romanis olim dracones in deliciis fuisse, quibus se æstivis mensibus refrigerarent. Seneca II. de ira XXXI. *Repentes inter pocula sinusq; innoxio lapsu dracones.* Et Martialis VII. epigram. LXXXVI.

Si gelidum collo nectit Glacilla draconem.

Lipsius in not. ad Senecam l. c. *Dracones istos feminæ in deliciis habebant.* Imò & viri quos luxus & libido effeminaverant, ut supra de Tiberio ex Tranquillo notavimus. Tùm addit: *Et hodiè fit in Italia.* Quod tamen neque fando accepimus unquam, neque ipsi vidimus, nisi de illo serpentium genere loquutus sit, quod anguem Æsculapii, Patavini *Aicza*, *&* *biscia buona*, nominant, quodque in agro Bononiensi frequentissimum innoxiè etiã à pueris tractari Jo. Pellinus Lucensis Medicus doctissimus & Thom. Erastus cùm illic studiorum gratia commorarentur, literis ad Gesnerum copiosius retulerunt, in hist. an. ejusd. lib. V. fol. 26. qualem calori corporis mitigando, in febri adhibuit Jac. Grevinus, ipsomet narrante lib I de venen. c. I. & quales omnes aliquando serpentes futuros innoxios, ut iis pueri colludant, Muhammedani credunt apud auctorem libri الموافف ، ante resurrectionem في نزول عيسي الي الارض ، in descensu JESU in terram, cùm Antichristum occisurus est, ut illi quidem fingunt, horrendis fabularum blasphemiis omnia confundentes pariter & pervertentes. Draconem Ptolemæi cicuratum memorat Jo. Tzetzes Chiliad. III. histor. CXIII. si modò fabulosus

ſus ſcriptor fidem mereri poteſt. Draconem quoque Heraclidæ Heracleotæ, ex Demetrio Magneſio Diogenes Laërtius lib. V. deſcribit, illius ſcil. qui de rebus publ. ſcripſit, unà cibum capiens & in eodem cubili cum Domino recubans, ſententia Adr. Turnebi Comm in III. Cic. de legibus: qualis etiam erat, quem Cocconas Byzantinus & Alexander Abonotichita corradendis nummis pro Æſculapio circumducebant, aut etiam Apolline ipſo tanquam è tripode reſponſa quærentibus daturum ap. Lucianum in Pſeudomante: δράκοντες παμμεγέθεις ἡμέρας πάνυ καὶ τιθασσὲς καὶ ὑπὸ γυναικῶν τρέφεσθαι, καὶ παιδίοις συγκαθεύδειν, καὶ πατεμένες ἀνέχεσθαι καὶ θλιβόμενος μὴ ἀγανακτεῖν, καὶ γάλα πίνειν ἀπὸ θηλῆς κατὰ ταυτὰ τοῖς βρέφοις. *Pellæ in Macedonia permagnos dracones manſuetos & cicures admodum, ut etiam à mulieribus alerentur, & cum puerulis cubarent, calcantes tolerarent, preſſi non irritarentur, lac etiam è papilla, infantum more ſugerent.* Quod Plinius verò de draconibus veneno carentibus dixerat, Nicander in Theriacis verſ. 444. ſequentibus pulcrè efferebat:

. . . . οὐ μὲν ὅγ' αὔτως
ἐγχρίμψας ἤλγυνε καὶ ἣν ἔγκαπλα χαλέψῃ.
βληχρὸν γὰρ μυὸς οἷα νυχηβόρε ἐν χροῒ νύγμα
εἴδεται, αἱμαχθέντος ὑποκραντῆρος ἀραιῦ.

Jacobi Grevini verſione paraphraſtica, non κατὰ πόδα, ſed, vel Jac. Lectii poliriſſimi cenſurâ, erudita:

Nec tamen ille graves, ut cætera turba, dolores
Si velit, infixo cùm fortè momorderit ore,
Suſcitat, exiguus non noxia vulnera punctus,
Qui ceu rodentis noctu quæq; obvia muris
Infligit, modicum tenuis dat plaga cruorem.

Placida venena vocabat Claudianus, apud quem Ceres:

Sinuoſa draconum
Membra regit, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant fræna venenis.

Angues quidem Patavinorum forma & colore à veris draconibus differunt, Romanis Cervoni dicti, utrique innoxii nec venenoſi,

nenosi, carbonarii à nigredine vulgo vocati, qualem cum CIↃ IↃCXLVII. in thermis Aponensibus, (ad quas spectandas nobiscum plures amicorum concesserant,) apricantem & convolutum, sclopeti ictu, capite fixum quidam illorum occidisset, parum abfuit, quin apud loci incolas, nunquam lædenda ejusmodi animalia, tanquam innoxia & homini amica, obmurmurantes, malam gratiam retulissemus, nisi nos more illius regionis armatos accessisse, pluresque subsequuturos opperiri intellexissent. Hic verò prolixissimus, dum moriens extenderetur, V. ulnarum longitudinem superabat: nobisque in memoriam revocabat, quæ olim de Serpente Ulmerfeldiensi Episcopi Frisingensis in Austria, Illustris Velserus Duumvir, illud Margaritum urbis atque Germaniæ nostræ (ut eum L. Pignorius salutare solebat) in historia SS. martyrum Afræ & Hilariæ commemoraverat, cùm enim innoxius in turri quadam habitaret, stolido vulgo fausti augurii habebatur, quem nullâ ratione lædendum, nedum interimendum aut sede sua exturbandum pertinacissimè persuasi erant. Sed & ad Pyrenæos Bigerones atque in Mauritania innoxios angues memorat Julius Scaliger Exerc. CLXXXIII. §. III. & serpentes balneorum Diniensium in provincia Galliæ veneni expertes narrat Petrus Gassendus II. de vita Peirescii. Hodieque in Italia spelunca visitur serpentum ad oppidum Etruriæ, il Sasso dictum, in qua ægrotos incurabiles opio sopitos & decumbentes sanari, uti jam notissimum est, ita pluribus testantur Petrus Servius diss. de Ung. armar. p. 44. Kircherus III. de magnet. c. IV §. II. & Thom. Bartholinus Cent. II. hist. an. rar. XLVII. Serpentes item Quamsiani & Chekiangenses, & Carrajami Pauli Veneti, maximi totosque cervos glutientes, cæterà innoxii & mansueti ap. Kircher. part. III. Chin. illustr. c. X. Colubri etiam Peruani & Cubani, humanâ mole ap. Petrum Victoriam & Jo. Bisselium Argonautic. lib. XIV. Plura quoque de talibus adducit Vossius IV. Theol. gentil. LIIX. quæ heic transscribere noluimus. Hoc verò admiratione dignum, quod ex Proclo Chio Cælius Rhodiginus XXVI. 33. & ex isto Jo. Bapt. Gramage antiq. Cappadoc.

doc. Analect. refert, ſerpentem ſi Cappadocem momorderit interire ſolitum, ob ſanguinis in illo pravitatem. Sed cum id potiùs virtuti cuidam alexicacæ tribuendum eſſet, dicterium in gentem illam verius exiſtimabimus, & quod in noſtræ ætatis homines quosdam non minus quadret vel nocentiſſimis anguibus haut parùm venenatiores. In Lemno quoque Inſula familiariter cum hominibus viventes angues ſæpè in lectis reperiri teſtatur doctiſſimus Allatius lib. de opin. Græcor. quod de iisdem Æſculapii accipiendum aut certè tenuiſſimo illo Neapolitanorum, quem propter innocentiam Angioletta, appellant, docente M. A. Severino Zootom. Democr. p. 368. Quod verò de viperis Melitenſibus inde à S. Pauli naufragio innoxiis, ita ut pueros familiari luſu exagitantes nunquam tamen lædere ſoleant, jam dudum omnibus innotuit, plerique tamen divini quidpiam reconditum habere putant, ſecus quam de Ebuſo & Colubraria Plinius III. 5. *Ebuſi terra ſerpentes fugat, Colubraria parit. Ideò infeſta omnibus niſi Ebuſitanam terram inferentibus: Græci Ophiuſam dixêre.* Nimirum mixtura ſerum haut dubiè metallicorum, qui aut amici ſerpentibus aut inimici ſunt, terræ illæ medicatæ videntur, experientia ſuffragante, hodieque cuivis obvia ap. Bernard. Gomeſium Miede Med. & Hiſtoricum eximium in X. hiſtor. Regis Joannis c. V. Hiſpanicè conſcripta. Arabici quoque ſerpentes innoxii, niſi occidantur, memorati à Phile de animal. propr. §. LIX.

ὄφις δ' τις εὔθυμος ἐκ γῆς Ἀῤῥάβων
κτείνει φονευθεὶς τὸν φονευτὴν ὀξέως,
πλὴν ἐν συριγμοῖς καὶ πνοῆς διεξόδοις,
ὑφ' ὧν διαῤῥεῖ καὶ χιτὼν καὶ σαρκίον,
Νωθὸς γάρ ἐστι, καὶ πατάσσει μετρίως.

Interprete Gregorio Berſmanno:

Ignavus eſt ſerpens Arabibus illicò
Qui mortis auctorem viciſſim interficit,
Vel ſibilis, vel ſpiritûs adflatibus,

Quibus

Quibus & amictus & caro diffunditur,
Nam dente caret, nec ictibus nimis nocet.

Sed quia sensus planus non est, & *amictum & carnem diffundi* putat, nos sic ex tempore reddidimus:

Est quidam Arabum in regione serpens languidus.
Occisus occisorem is enecat statim
Aut sibilis aut spiritus adflatibus,
Membrana musculusq; queis colliquitur,
Edentulus namq; ictibus parum nocet.

Commune quidem hoc aliis serpentibus, etiam Europæis, ut interfectores suos, aut statim interficiant, aut gravissimè lædant, sive halitu sive quocunque alio effluvio venenoso, sed hi tamen, dum vivunt, non minus noxii, nec edentuli sunt, ceu ap. Amat. Lus. Cent. I. cur. LXII. Matthiol. Comm. in præfat. lib. VI. Diosc. J. C. Scalig. Exerc. CC. Vid. Vidium lib. I. de cur. gen. c. XIII. aliosque videre est. Nam quod Zacutus Lus. lib. V. histor. Med. PP. V. ex Ebnsinæ lib. IV. sect. VI. tr. III. c. XXII. de milite, qui Basiliscum lanceâ tetigerat, refert, à vivo, non mortuo, exitiosum fuisse, ex ipsis illius verbis patet, quæ heic adscribimus: Gerardi versione ab Alpago interpolata: *Possibile est in quibusdam horis, ut tangat eum cum virga, & secundum plurimum, qui tangit eum cum virga, moritur, & est mediante virga: & propter illud jam tetigit illud miles quidam cum lancea sua, quare mortuus est miles, & animal ejus: & tetigit ipse labium equi, quare mortuus est equus, & miles, & hic quidem serpens multiplicatur in terra Turcorum & Nubia.*

ولكن قد يمكن في بعض الاوقات ان تمسّ بعصاه
في الاكثر من مسّها بعصا هلك هو بتوسّط الارض
للعصا ولذلك قد مسّها فارسّ برمحه فمات الفارسّ
ودابته ولسعت جحفلة الفرسّ فمات الفرسّ والفارسّ ه

وهذه

Noſtrâ nî falli- وهذه الحية تكثر ببلاد الترك ولوبيه ،
mur, planiori: *Interdum fieri poteſt, ut virgâ tantum attingatur. Et tùm ut plurimùm, qui tangit, perit, tremore febrili medio virgæ inducto. Ideoque Eques quidam, qui lanceâ ſuâ aliquando tetigerat, exſtinctus eſt, unà cum jumento ſuo. Nam (Baſiliſcus) momordit labium equi: & ſic equus cum equite ſuo, mortuus eſt. Hic verò ſerpens plurimus reperitur in regione Turcarum & Libya.* أرض ، *tremorem* ſignificat, qualis in febrium paroxyſmis præcipuè conſpicitur, unde nos ſic reddidimus, quia ab halitu venenoſo, & dubio procul fervidiſſimo, tremor & febris letalis facilè inferri poteſt, quamquam ut verum fateamur ad vulgatiſſimam piſcatoris fabulam, quem ſtupor aut tremor à torpedine capta per arundinem ſubiens corripuiſſe fertur, reſpexiſſe videatur. Dracunculus igitur horum exemplo adfectus etiam ex ſe innocuus: ſi tamen abrumpatur, relicta in corpore particulâ, repentè, magnoque cum dolore atque periculo lumbrici in morem, contorquebitur: mox etiam putreſcens, ichoresque aut humores acres in partes nervoſas exſtillans graviſſima ſymptomata, atque inprimis convulſionem excitabit, quam ipſa tandem mors excipere conſuevit. Quibus autem corporibus frequentius obtingat Vena Medinenſis, Ebnſina his exprimit: *Rarius accidit corporibus humidis balneis & cibis humectantibus adſuetis, vinoque moderatè utentibus.* Humidâ ſcil. conſtitutione ſiccæ contraria, quam in præcedentibus requiſiverat, pituitæ exſiccationem prohibente. Balneis item & cibis humectantibus eandem ſiccitatem corporis corrigentibus ac temperantibus: Vino autem moderatè ſumpto concoctionem adjuvante, adeoque humorum vitioſorum proventum præcavente. Nec enim obſtat, quod Adrianus Turnebus libello ſuo de vino, ejusd. potu ſanguinem fervidiorem & acriorem gigni, decolores & flaccidas buccas, vermiculatas larvas, miniatosque vultus, languidos artus, torpentia membra fieri, corrumpi pul-

mones aliaque ſanitatis diſpendia induci criminatus fuerit, cùm ipſe abuſum tantum à ſe damnari paullò poſt fateatur. Et hæc fortaſſe ſat magna cauſa videri queat, cur Vena Medinenſis in plagis Orientalibus tam frequens occurrat. Cùm enim regiones illæ omnes, quas Ebnſina enumerat Turcarum Imperatori & Perſarum Sufo (ſic enim ſcribendum & pronunciandum, non ut vulgo fit, Sopho, صوفي) pareant, adeoque plerique incolarum Muhammedanum Islamiſmum aut verius Iſmaëliſmum profiteantur, vinumque, quod Corani Suratâ II. & V. prohibetur, non bibant, aqua tantum, & potibus ex ea paratis utentes, ſi illa, ut ſupra diximus, dracunculorum ſeminia in ſe contineat, non ultra cuique difficile erit, morbi endemii frequentem cauſam ſponte intellexiſſe. Quanquam verò & Abubecrus inter XL. dicta ſeu apophthegmata, اربعين حديثا quibus doctrinæ illius ſumma continetur, & Muhammedus Bocharenſis, Ebnſinæ noſtri civis inter Sunæ ſive traditionis ſcriptores primarius, Pandectis ſuis ſive reſponſis Juris Muhammedici كتاب صحيح inſcriptione notis luculentius explicuit, libro eorundem L. ſententias XXX. de vino potuque enarrans, aliasque LXV. in LXXVto. cui titulus الشربة ut illi alteri احاديث apophthegmata ſive effata prophetica à ſanctis ſcil. & Coranicis diverſa, quorum neglectu aut obſervatione clientibus ſuis Paradiſum claudit aperitve impoſtorum princeps, quartum hoc decimum enumeraverit: ان لا تشرب الخمر *Si vinum non biberis:* Non ignoramus tamen Augerium Gislenium Busbequium epiſt. Legat. ſuæ Turc. ſcripſiſſe: *Turcas in legem illam ſæpius peccare, & ubi ſemel vinum guſtaverint, potare non deſiſtere, quod veluti culpâ jam*

commiſſa

commissa peccent impunè, neq; minores pœnas post hanc vitam sibi paratas opinentur, si vini minimum, quam si plurimum bibissent: quod CIↃ CCCXXXII. ante illum jam obſervârat Jo. Mandevillius vir nobilis & Medicinæ profeſſor Leodici ſepultus Itiner. ſuo Ital. ſcripto c. CXXII. nec enim Latinum videre dum licuit: quod Balæo & Pitſæo laudatum monebat etiam Ger. Jo. Voſſius III. hiſt. Latin. II. Ex recentioribus autem Jo. Sommerus Itiner. ſui p. 27. idem adfirmat, & Nicol. Chriſtoph. Princeps Radzivilius epiſt. de Itin. in Terr. ſanct. III. verè, Basham ſive præfectum cuivis loco, ſi ſobrius ſit, vini potores graviter punire, ſin ipſe vinoſus, aliis quoque indulgere, atteſtatur. Quod olim jam apud Perſas etiam frequentatum Muslahoddinus Saadus Roſeti ſui c. II. innuit:

قاضي اربا ما نشنيد برفشند دست را

محتسب گرمي خورد معذور دارد مست را

Si Judex nobiſcum (modulando) manus comploſerit
Atq; Cenſor ſi ipſe vinum hauſerit, ebriis facilè ignoſcet.

Immodicam enim illius ingurgitationem atque ebrietatem non minus ac aquæ potum ventriculi vires hebetare, crudisque humoribus corpus replere apud omnes in confeſſo eſt. Quam ideò & Ebnſina disertè excluſit per voculam بقدر h. e. *menſura ſive quantitate*, ut Jauharius eleganter interpretatur, *juſta & competente*, ſive, ut nos reddidimus: *moderato uſu.* In Ægypto certè Alpinus I. Med. Ægypt. XIV. ex aquæ potu, & reliquo victu ventriculi imbecillitatem communiſſimam obſervavit, Turcisque, qui obvio pulſum explorandum obtrudebant, ut aliquid de ſanitate ſua cognoſcerent, hoc quaſi arcano ſæpiſſimè illuſit: cùm enim cætera quidem benè habere, ex ventriculo tamen laborare divinaret, ſemper rem acu tetigiſſe magna cum laude ſua dicebatur. Jam olim verò Saraceni tribus ante Muhammedum ſæculis integris non tam legis ullo interdicto, quam

regionis, ut videtur, vites non ferentis natura & consuetudine, vino abstinuêre, quemadmodum ex Ælio Spartiano planum est, ubi Pescenius Niger Imper. tumultuantibus iis, qui victi fuerant, & dicentibus: *Vinum non accepimus, pugnare non possumus:* respondit: *Erubescite, qui vos vincunt, aquam bibunt.* At Vinum Muhammedanis quarto demum à fuga anno prohibitum attestante EbnJaafaro Alcodajo:

وحرمت الخمر بعد الهجرة باربع سنين في السنة الرابع ؛ *Interdictum verò vinum quatuor post fugam annis, anno scil. quarto:* qui in Heraclii Imperatoris ætatem incidit, nemine refragante. Non levi scil. interdicto, sed maledictione & detestatione addita, de qua Achmetides ille, quem Illustris Seldenus adducit VI. de jur Nat. & gent. c. XII. ubi Roberti Retinensis & Arrivabenii versionem examinans: *Non facientes Haram, qui suo legato Deus Haram constituit*, obscuram voculam sic explicabat:

ما حرم الله ورسوله كالخمر ؛

Quidquid Deus & legatus ejus prohibuerit, sicut vinum. Sic enim Haram pro Halgaracham, maledictionem apud Jo. Bledam defens. in causa Morischorum c. IIX. rectè exposuerat. Concessus quidem olim aliquandiu à Selimo II. vini potus narrante Rauvolfio part. I. hodœporici sui c. IIX. sed mox à successore filio, Amurathe III. iterum abrogatus CIↃ IↃLXXXI. quod Franciscus Billerbegius ad Davidem Chytræum epist. p. 1013. CPi. perscripserat, unde & Guil. Quacelbenus, præclarus Medicus in Gislenii familia epist ad Matthiol. lib. III. p. 102. Turcas CPi. commansis aliquot seminibus Cardamomi odorem vini tegere solitos referebat, alioquin non sine vitæ periculo se prodituros, si quando ad magistratus suos appellarentur. Cumque ut solent otiosi homines, vini deinde potationibus tabaci suctum substituissent, idque ipsum non magis ferendum Amurathes IV. Imper. existimaret,

ret, quod plerique militum stipendia sua temerè impensa insanè prodigerent, atque præterea incendiis occasionem sæpius præberent, ac otiosè confabulantes non sine rerum novarum suspicione ad fumos conventicula agerent, verius quam quod noxam ullam corpore accepissent, prudenti tamen simulatione fœcunditatis impedimentum prætendit, ut aut morigeros magis experiretur, aut certè majorem refractarios coërcendi causam habere possent, quibus id muneris incumbebat. Nec illi id ignorabant, sed ludicris cantibus, tanquam in Satyra, traducebant, homines profectò non adeò semper, ac nostri crediderint, barbari, & nisi quandoque violentis imperiis abstinerentur, ingenio nihil quibusvis aliis concessuri. Versiculos quos nec dum apud suos oblivioni traditos Petrus noster Ebn Diabi Halebensis commemorabat, apponere placuit.

جانا امر السلطان ،

حتي نبشّم اللبان ،

لما تي الامر في القهوات هدوها ،

ولو جوق سّد وها ،

حتي ما نشرب دخان ،

Venit ad nos mandatum Imperatoris, ut stomachum lactis acidi potu ad nauseam usq; gravemus: Postquam edictum de vino quietem suam fastidivit, etsi declinarit vultus rectam intentionem illius, ut ne bibamus fumum. Sive ut nos brevius distichis includere conati sumus:

Excelsa Domini parere jubemur ab aula
Atq; acido æstivam lacte levare sitim.
Sunt pertæsa suam vini interdicta quietem,
Nunc etiam fumum nullus ut ante bibet.

Sed & Abulcasimus Harirensis inter L. suos sermones elegantissimos,

mos Confeſſu.I. Sanaanenſi dum EbnHarethum peregrinantem inducit, Abuzeido Sarujenſi, ſeveriorem vitæ diſciplinam profeſſo, doctori, quæ ipſe alios docebat, nequidquam facienti, turpiorem hanc culpam impingebat, quod mox à gravitate monitorum è foro & circulis auditorum ſe proripiens in antrum ſeceſſiſſet, ubi molliculè cuticulam curans, poſtquam pedes laviſſet, è regione diſcipuli accumbens, etiam lege prohibitis non abſtineret,

علي خبر سميذ ، وجدي حنيذ ،
وقبا لتهما خا بية نبيذ ،

In menſa appoſitus erat panis ſimilagineus, hœdusq́ aſſus, & medio ſeria vini. Ideoque expoſtulantem propemodum ab utroque male acceptum addebat:

ايكون ذاك خبرك ، وهذا مخبرك ،

Eſtne hoc quod dicis, & quod de te dicendum?

Cæterùm quamvis Coranus Surata Vaccæ, vini tantum expreſſam mentionem fecerit, cujus potum aleæ idolis, ſortibus, ac divinationibus æquiparans ingens crimen & opus diaboli appellabat, plerique tamen Commentatorum hoc vinum, quemvis potum inebriantem expoſuêre, unde nec mulſæ, niſi aquoſæ, nec Zythi, nec ullius alterius ſiceræ uſus publicè conceſſus eſt. Ut ſanè Baconus Baro Verulamius in tanta hordei adfluentia CP. omnique Turcarum regione à nemine hactenus Cerviſiæ cocturam attentatam mirari non debuerit, Cent. IIX. ſilv. ſilv. experim. IↃCCV. Neque illi, qui Cahven frequentiſſimam inebriare adſerunt, à nobis audiendi ſunt, cùm verum non eſſe ſciamus. Hæc igitur ſola propemodum fervens abſorbenda, in locum vini Caticis, viniqueipſius ſucceſſit, de qua in ſequentibus plura. Verba ipſa ex Mſ. Bibl. Reipubl. noſtræ adſcribamus:

يشا

يسئلونك عن الخمر والميسر قل فيهما اثم كبير
ومنافع للناس واثمهما اكبر من نفعهما

Nostra versione: *Si te de vino & alea interrogârint, dices, in istis crimen magnum & commodum hominibus esse: malum tamen majus quam utilitatem apportare.* Aleam reddidimus, quod Illustris Ryerius in paraphrasi sua Gallica: *jeux de hazard:* Non enim quemvis lusum ludumve الميسر significat, sed illum tantum, quem sola fortuna moderatur, & quo nullus ingenio locus est, qualis talorum & aleæ, nec enim latrunculi & quæ ad corporis exercitationem faciunt, interdicta intelliguntur. Est autem & *alea* vox latioris significatus, pro ipso cujusvis rei incerto ap. Senecam epist. CXVII. & B. Ambrosium V. epist. XXIV: *incerti eventus quædam alea.* Nimirum ut B. Augustinus V. Civ. Dei IX. causas fortuitas non planè nullas dicendas adfirmabat, sed latentes, easque vel Deo vero tribuendas, vel quorumlibet spirituum voluntati. Quo ignorantiæ humanæ respectu in alea, non minus, quam in præsagiis morborum θεῖόν τι inesse putabat Ger. Jo. Vossius II. Theol. gentil. XLIII. quam benè tamen, nemo facilè dixerit, qui aleam nusquam à causis Naturalibus, ut morborum decursus, dependere norit. Rationem Surata V. quæ mensæ paratæ dicitur, non cujusvis cibo vacuæ, المائدة reddebat: انما الخمر والميسر رجس من عمل الشيطان Ryerius vertit: *Sont saletés & ordures du faict du diable.* Theod. Hacspanius LL. Or. callentissimus in Athenæo Norico: *abominatio de opere diaboli.* Atque ne quis ipsi ex veteri fœdere tot viros sanctissimos, vini tamen potu usos objiceret, præoccupans addebat: vere credentes Deum non offendisse vini potu aut lusibus fortuitis, antequam à se tanquam Apostolo prohiberentur, ideoque in posterum abstenturos

ros quicunque benè agere voluerint: Deum enim bona opera facientes impensius amare. Quin etiam, ut de futuro sibi caveret in Paradisi suæ somniis vinum hoc quidem in mundo Ebn Aathirus in ام الخبايث ، اسم ، *malorum omnium matrem* pronunciabat, cujus tamen ingurgitatio in altero sæculo innoxia & libera, *quia illud vinum non inebriet, ut mundanum:* ان هذه الخمره لا تسكر كما هي خمر الدنيا ،

Unde nec satis id firmum argumentū ad permovendum principē Persarū virum, Ahmedem Ebnzinū Isphahaniensem, quod inter responsa sua Phil. Guadagnolus objectionibus illius opponebat in apolog. VII. c. I. quemadmodum & contradictiones Corani in speciem pugnantes à Muhammedano mediocris ingenii facillimè eludi poterant. Nec enim à fructibus ipsis qui laudantur ad succum eorundem sive vinum, quod vituperatur, idonea consequentia تمرات النخيل والاعناب ، fructus palmarum & uvarum in Surata النحل ، palmæ cum vino الخمر ، in Surata vaccæ sive البقر ، nequidquam pugnare potest, quando & dactylorum & uvarum recentium atque passarum usum toto Oriente licitum ac communissimum nemo ignorat: omnes enim ibidem τρώξιμοι sunt, quæ scil. esui, non vini causa, habentur, ut Alfenus quondam vocabat citante in epitom. IV. Paulo JCto Dig. L. tit. de verb. significat. §. 205. Sic autem ille: في هذا الموضع حرم علي المسلمين الخمر وفي موضع اخر من المذكورة احله ،

Isto loco detestatur & prohibet Muslimis suis vinum, altero autem jamdicto concedit & laudat Muhammedus. Et VII. c. III.

وقد

وقد ذكرنا ايضا تحويل الوصية بالشراب انما في سورة المايدة وفي سورة البقر منع شراب الخمر لكن في سوره النحل احله

Et jam commemoravimus contradictionem absurdam sive inconstantiam mandati, de potu, quia in Surata sive capite mensæ, paratur, & vaccæ prohibet vini potum, in Surata autem palmæ concedit & laudat. Quin etiam Persæ minus obedientes, vinum licentius ingurgitant, satis interdicto cautum persuasi, si vinum ipsi suis manibus non confecerint, sed ab Armeniis Christi nomē professis coëmerint, quod omnes observârunt, qui regnum illud aliquando adierunt, atque inter illos Phil. à S. Trinit. VI. Itin. sui Or. c. III. etiam Sha Aabbasum dicere solitum ajebat: *eum, qui vinum non biberet, non esse virum laudabilem.* Ut sanè gratiam apud illos inire queat, qui Corani aliquo loco vini potum concessum aut laudatum homini Persæ verè ostendere posset: tantum abest, ut illum aliqua contradictio terreret. De Indis quoque Geographus Nubiensis haut multum diversa narrat Clim. I. sect. IIX. ubi de mari Indico;

وملك سرنديب تحمل اليه الخمر من العراق ومن بلاد فارس فيشتريها بماله وتباع له في بلاده وهو يشرب منها ويحرم الزنا ولا يراه ملوك الهند واهلها يبيحون الزنا ويحرمون الشراب المسكر الا ملك قمار فانه يحرم الزنا والشراب

Nostra interpretatione: *Ad Regem sive Dominum Serendibæ defertur vinum ex Iraca & Persia, quod ipse emit suo ære, atq; iterum dimetiendo vendit in regione sua. Hoc ipse etiam bibit, & detestatur fornicationem, quam nec unquam Reges Indiæ admittunt.*

tunt. Indi autem communis generis libidinem fecerunt, potum omnem inebriantem exsecrati: præter Regem Cumaræ, qui utrumq; prohibet, tam scortationem, quam vinipotum. Hoc autem modo exponi quoque debent ejusd. verba, quæ subjungit:

لا يوجد بجميع بلاد الهند والصين عنب ولا تين بتة

i.e. *Universa Indorũ & Sinarũ regione uvæ, & ficus prorsus nullæ reperiuntur.* De Uvarum enim tanta copia intelligenda sunt, ex qua vinum aliis in locis confici solet. Nam & illis cæteroquin edules sunt, Februario mense maturescentes, quo gustatas à se testatur Phil. à S. Trinit. VII. Itin. Or. c. VII. Ficus autem Indicæ, *Musæ* sunt (موز non تين) quarum folia latissima pro charta emporetica adhibentur, notante Jo. Hug. Linscot. Itiner. c. LV. Sinensibus, *Pa Cyao*, با كياو apud Michaël. Boym in Flora Sinensi. De Afris quoque nonnullis Jo. Leo lib. III. c. CXXVI. *In monte Beni Mesgalda doctores & studiosos plurimos vinum bibere, populoque tantum, non sibi, vetitum docere* refert, quamvis illis plerique fidem non habeant. At in Habati montibus Muhammedanos sine ullo metu id bibere, etiam plebejos, testatur, unde ejusmodi disceptationibus abstinendum apparet, quas ipsi utique nequidquam reverentur, totoque animo abrogatos, aut saltem ut Muhammedo Prophetæ suo, nunquam quidquam de vino in mentem venisset, exoptarent. Quod verò de balneis Ebnsina adjunxit, nonnihil dubium videtur Alpinus enim III. Med. Ægypt. c. XV. Ægyptiis usitatissima commemorat, & postquam ædificii formam ferè ad vett. Romanorum thermas accedentem descripsisset. *Hypocausta*, ait, *calfaciunt calentis aquæ vapore, in singularum cellarum labra elabentis: Non enim ut nostri igne illorum balneorum aërem calfaciunt, sed humidis calidisque aquæ calidæ vaporibus loca illa complentibus.* Et c. XVI, XVII. & XVIII. de usu balneorum aquæ dul-

cis

cis tepida plura recenset. Unde cùm Ebnsina corporibus balneis adsuetis, Venam Medinensem rarius accidere adfirmet, Ægyptiis tamen frequentem adscribat, ipse sibi videtur contradicere. Sed facile est hunc nodum solvere. Nimirum non satis est corpus balneis adsuetum esse, sed victus quoque sit conveniens oportet, & talis, qui nec ventriculi robur dejiciat, nec vitiosos humores generet. Forsan & nimio illorum usu præcipuè hepar & cor refrigeratur, ejusque temperamentum mutatur in pituitosum, quod advertit etiam Alpinus lib. II. c. II. Et alias quoque notissimum est illud Hippocr. II. aphor. LI. πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει.

CAPUT IX.

SUperest, ut postquam etiam prognostica absolvimus, de patria aliquid seu loco natali venæ Medinensis differamus: Sic enim Ebnsina noster: *Generatur plurimum Medinæ, & propterea refertur ad eandem. Gignitur tamen etiam in Chavorstana & ultra hanc. In Ægypto quoq; frequens est, aliisq; regionibus.* De Medina, olim Jathriba dicta supra jam vidimus. Celeberrimum hoc Arabiæ oppidum à Turcis hodiè non tantum religionis causa frequentatur, ut quod Muhammedi sepulcro sese efferat, sed etiam quod non procul Meccâ distet, mercaturæ gratia, notante id præter alios Petro Bellonio II. observ. LIII. qui magnam Orientis partem cum Gyllio perlustravit, cujus amanuensis erat. Alzaravii interpres provincias Alhagaz producit: quo nomine haut dubiè tertiam Arabiæ partem innuit, non è tribus quidem illis vulgò notis, sed è quinque aliis in quas ab ipsis Arabibus Arabia dividitur. De quibus Erpenius Orat. II. de ling. Arab. dignit. *Arabia dividitur à nostris quidem auctoribus in partes tres, quarum una Petræa, altera Deserta, & tertia Felix*

lix appellatur. At ipsi Arabes jam ab omni antiquitate in quinque eam distinguunt provincias, quæ sunt Tehama, Nagjeda, Higjaza, Arouda, & Jamana, sive ut Arabicè exprimamus تهام، نجد، حجاز، عروض، يمن، His alii sextam بحرين، *Bachrin* adjiciunt, tanquam duorum marium dixeris, Persici scil. sive Basrensis & Indici principia connectentem, quam tamen reliqui ad Iracam, sive Babyloniam potius referendam censent. Nos ipsam Arabiam felicem intelligere mallemus. Nam *Ichara* Strabonis, & *Ichara Ptolemæi* in sinu Persico piscatu unionum celebrata ad Persiam aut Indiam verius, quam Arabiam spectat, diversa (Insula ab *Icaria*, inter Sporades Cycladum maris Ægæi.) Ant. Giggejus الحجاز، *Elhijaz*, Meccam & Medinam interpretatur: confusè: quo tamen sensu idem ferè fuerit cum Ebnsinæ nostri appellatione. *Terram Aliaægi & terram Arabum* vocabat Interpres Abulcasimi II. Chirurg. XCIII. corruptis, ut cuivis apparet, vocabulis. Quæ verò sit illa regio, quam خورستان، appellat, valdè obscurum nobis aliquando videbatur, unde tùm quoque nonnulla liberius conjicere ausi sumus, quæ eâ lege adferemus, ut cuivis integrum sit, quæ visum fuerit, albo nigróve calculo notare. Qui mons vett. Taurus dicebatur, Cortestân dicitur Nic. Nicolao Delphinati, Regis Henrici II. Gall. Oratori ad Turcarum Imperat. in Itin. suo, ad cujus alterum latus lib. IV. c. VII. plurimas urbes collocat, quæ tamen omnes decantatissimis fluviis Euphrate & Tigri includantur interque illas etiam Bagdadum, olim doctorum quorundam opinione non satis probâ, Seleuciam appellatam, non procul à ruinis veteris Babylonis remotam, quæ quondam Assyriorum regia fuit. At M. Polus Venetus, Patricio genere oriundus qui plerasque orientis regiones peragravit, dum Persiam I. de Reg. Oriental. XIX. in octo regna dispescit, secundo statim loco, Churdistan recenset: quam planè eandem esse

exísti-

existimamus cum Lud. Vartomanni Chorazani lib. III. c. IV. Nisi quis illam Armeniæ majoris partem putaverit, quam hodiè *Curdi*, dicitur. A Rauvolfio enim part. II. c. IX. & passim aliis in locis populi quidam *Curti* nominantur, qui Xenophonti VII. de Cyri expedit. *Carduesi* nullius Imperio subjecti, suis olim legibus utebantur: γαρδυαῖοι Straboni XI. Geogr. & *Gordyæi* Plinio VI. 26. Quos tamen nullum dubium est postea aliquando Persis paruisse, donec Turcarum jugum, subirent, quo hodiè premuntur. Geographi recentiores plerique *Corasan* vocant regionem antiquis Bactrianam nominatam. Ortelius in tab. orb. terr. *Corassan* expressit. Interpres Ebnserafionis de simpl. XI. *Coraseni*, Gerardus & Alpagus ap. Ebnsinam nostrum ubique *Corasceni* legerunt. (بلاد كرد) regio inter Euphratem & Tigrin, Mesopotamia, Ahmedi Arabshiadæ in histor. Timuri p. 51. Armeniæ contermina, quod ex Geographo Arabe part. III. Clim. IV. satis manifestum est: ubi de urbe illius Belde dicta: وهي متصلة بجبل يمنين وماسورين وقلسبور جميعها في الجبل الذي منه جبل الجودي (Nostra versione: *Jungitur hæc monti Jemanim* (alii tamen Temanin rescribunt تمنين) *& Masurim & Kilsabur: Ambæ sunt in illo monte, qui pars est montis Abjudi.* (rectius الجوردي *Eljurdi*, i. e. Gordyæi, quia facilè literula librario excidisse potuit) παρ' εὐφρήταο ῥέεθρα Αρμενίοι apud Oppian. Cyneget. I. vers 276. vertente Conr. Rittershusio: *propter Euphratis fluenta Armenii.* Aut propius ad Tigrin fluvium, quem حيكر يس appellant, ac ipse sese عانغا رنق A gigante quodam Aig à quo originem suam deducunt,

ducunt, memorante Rivola in Lex, nisi potius id nomen verius Agarenorum est, ut nos putamus. De monte autem idem Geographus: جبل يمنين هو الجودي الذي استقرت عليه السفينة نوح عليه السلام *Mons Jemanin est* (non *Eljudi* sed rectius الجوردي) *Eljurdi sive Gordyæus*, *super quem resedit arca Noæ gloriosæ memoriæ.* Nam & Genes. IIX. 4. Ubi in Hebræo est: הרי אררט *mons Ararath*, paraphrasis Chaldaica Jonathæ Ben Uzielis habet: טורא דקרדון; *Mons Kardon:* In Chaldæa veteri, ut putabat Jo. Ant. Maginus part. II. Geograph. Ptolem. f. 274. in Armenia majori, non Phrygia ut lib. I. Oracul. Sibyllin. habetur, demonstrante Samuele Bocharto Geograph. sacr. part. I. lib. I. c. III. *Curdistana* valdè diffusa regio à Susiana usque ad Babylonem: *Susiana* autem sive *Cusistana* à Cusa civitate sita supra fluvium *Zennare* sive vett. Eulæum, observante Phil. à S. Trin. II. Itin. Or. X. Guil. Schiccardus LL. Or. ferè omnium apprimè peritus in Taricho suo sive serie Regum Persiæ, Ex Abrahami Zacuti libro, qui Juchasin inscribitur, f. 152. *Tusaos* טוסיש indigenas terræ Chorasan rectè interpretatur, quæ à Georgio Elmacino II. histor. Saracen. III. aliisque locis plurimis خراسان vocatur Erpenius ubique *Chorasanam* reddidit. χωρασὰν Constantino Porphyrogenneto de admin. Imperio. c. XXII. εἰς τὴν ἐνδοτέραν περσίδα relata, & lib. ejusd. c. XXV. χορασὰν, quod tolerabilius, quam aliis in locis prolatum χωροασάν. Doctissimus Gentius in Muslahoddini Saadi Roseto. c. I. & reliquis perpetuo *Transoxianam* provinciam reddidit. ستان quidem in compositione locum seu regionem denotans Persicam linguam ferè arguere videtur, de qua Lud. de Dieu in rudim. L. Perf. lib. III. c. V. & Levin. Varnerus not. ad proverb. LIIX. non tamen ab re pro خوزستان apud Ebnsinam

ſinam خرسان mallemus. Sic enim vetus quoque Interpres legit, & hanc provinciam ipſe ſæpiſſimè nominat, de cujus aquis ad generationem dracunculi valdè diſpoſitis ſupra itinerantium fide plura attulimus. Hanc verò nataliciam illi teſtatur Sorſanus Arabs, ſeu potius Sirjanenſis Anonymus Perſa & diſcipulus Ebnſinæ noſtri, in vita ejusd. quam Marcus Fadella primùm in Ital. ex hac verò deinde Nicol. Maſſa in linguam Latinam transtulit, ut ſanè haut parum ineptiant, qui Cordubenſem aut Hiſpalenſem faciunt, & multa de ſupplicio Ebn Roſchdi eadem opera fabulantur, ut in quæſitis epiſtolaribus Fortunii Liceti prolixius ſuperfluâ, adeoq; fruſtranea cura diſquiritur. Sed ne quid absque Codd. Manuſcriptorum conſenſu immutemus parum referre arbitramur etſi quis etiam alias provincias vicinas ſimili elementorum ſono exprimere auderet. Quod ſi quis literarum tenacior puncto tantum diacritico tranſpoſito pro خوستان legendum ſuſpicari vellet حوزستان cùm error talis librariis nunquam inſolens fuerit, nec illi valde repugnandum judicaremus. Traduntautem Aſſyriam olim dictam hodiè Cuſiſtanam vocari: Arnoldus Mylius inter nomina regionum Ortelio adjuncta, ex Gerardi Mercatoris ſententia Suſianam interpretatur. Benjamin Tudelenſis Itin. ſui p. 86. poſtquam Samuræ fluminis mentionem feciſſet, regnique Perſici initium conſtituiſſet de כוזסתאן ſic habet:

ומשם ארבע מילין לכוזסתאן והיא עילם המדינה הגדולה אבל אינה מיושבת כלה כי היא חרבה מקצתה ובתוך הרבותיה שושן הבירה והוא ארמון המלך אחשורוש:

Hinc ad Chuzeſtanam IV. ſunt milliaria: hæc eſt Elam magna illa provincia, quæ jam omnibus partibus non habitatur, ſed ex parte vaſtata eſt. In cujus ruinis Schuſan eſt metropolis Regis Ahaſveri quondam regia. Hanc Tigris fluv. quidem adluit, ſed quæ de oſtio ejusd. & de lapſu in mare Indicum ad Inſulam Nikrokin p. 104.

104. denarrat, ut valdè dubia à Clarissimo Imperatore in not. non immeritò sunt castigata. Quæcunque tamen eligatur, & Chorasana sive Bactriana, & Chusistana sive Susiana, & Assyria Persici Imperii primariæ partes sunt. Nam Bactra quoque, à quibus toti regioni nomen datum, Regum quondam sedem Q. Curtius testatur VII. 4. *Ipsa Bactra regionis ejus caput, sita sunt sub monte Parapamisso. Bactrus amnis præterit mœnia, Is urbi & regioni dedit nomen.* Nec non Propertius III. eleg. IX. *Persarum statuit Babylona Semiramis urbem.* Et tribus versibus intercedentibus:

Duxit & Euphratem medium quà condidit arces,
Jussit & imperio surgere Bactra caput.

Quin Chavorstana quoque quam Kircherus part. II. Chin. Illustr. c. VII. Mauris Muhammedanis *regionem infidelium* dictam putat, quod Christianorum sit qui S. Thomæ vocantur, & ipsa in India Persis contermina est, quemadmodum in tabula Geodoporica ejusdem, qua itinera in Catajum suscepta delineantur, & apud Ebn Edrisum videre est in compendio libri Rogeriani Geographici sect. VI. Clim. III.

وتتصل بالري من اسفلها ويحيط بها من جهة المغرب بحر فارس ومن جهة الجنوب ارض مكران ومن جهة الشمال ارض جورستان واصطخر علي نهر قرواب ولها قنطره تسمي بقنطرة خراسان ومن اصطخر الي شيراز ستة وثلثون ميلا ومن شيراز الي جورستون

Ita quidem Romana editio typis Medicéis emissa in qua ميلا & tamen جورستون & nostrâ conjecturâ in خورستان & emendandum, qui reliqua sic vertimus: *In Raji parte inferiori produ-*

producitur, cingitq; eam à latere occidentali mare Persicum, à meridionali autem terra Mikrana, & à septentrionali Chavorstana. Istachra verò (sive Persepolis) sita est ad fluvium (Kirvabum) Cyrum, ubi pons est, qui dicitur pons Chorasmicus. Et à Persepoli Cyropolin usq; sex & triginta sunt milliaria, à Schirazo autem (sive Cyropoli) usque Chavorstanam milliaria - - - - Numerus enim sive in antigrapho librarii culpâ excidit, sive in impresso à typographo omissus est. Kirvabus قرواب Persica voce, ut videtur, composita, idem qui قرو أو قر Cyrus fl. sex milliaribus à mari, Araxi Strabonis & Curtii se conjungens supra Javazam (vulgo Tzavatam dictam) جواز Verus enim Araxes hodiè Aras dicitur, ille alter ab Alexandro M. sic nominatus بندمير nunc vocatur, quem alii Medum fluvium constituunt. Carturigtus verè in Itin. suo: *Cyrus pluribus aliis amnibus acceptis condit se in Araxem, & cum illo exit in mare Caspium.* Nonnulli قروان scribunt, & non Cyrum, sed Araxen appellant, quod aliter, quam de confluentibus, accipi non debet. Et hac quidem occasione omittere non possumus, quin errorem intolerabilem Petri Kirstenii tangamus, qui Indiæ regionem quandam, (fortassis hanc ipsam Chavorstanam innuens) Ebræam nobis persuadere volebat, in vitis Evangelistarum, quas ex Cod. Mſ. Cæsareo ediderat, sæpius tamen linguæ Arabicæ minus solidâ cognitione halucinatus, & ignorantiam negotiis ac tædio περιοδευτικῆς suæ excusaturus. Sic enim de S. Matthæo: كتب بداية هذه البشرة بفلسطين وكملها في الهند عبر انيا *Scripsit principium Evangelii in Philistæis & complevit in India Ebræa.* Addens: *Hoc loco nomen loci esse statuo, cujus*

cognitionem nos nondum habere ingenuè fatemur, aut si aliquando cognovimus, ejus certè nunc non recordamur. Paulloque post Æthiopiam nominabat, quod Palæstinæ conjungeretur. Sed quid indoctius adferri potuisset? Vertendum erat: *Cœpit scribere in Palæstina, & absolvit in India Evangelium suum Hebraicè:* id est, ut paucis versibus inferius loquebatur: بالّلغة العبرانية i.e. *lingua Hebraicâ.* (Sic enim ex Manuscripto Monmoriano interpretabatur quoque Claudius Hardiæus JCtus Mathematum omnium & Arabicæ L. peritissimus.) Quæ sanè explicatio cùm in proclivi fuerit, anxietate illa eundem omni liberare poterat, qua se ipsum tantoperè torquebat, ut nobis Indiam quandam Ebræam conderet. Quidquid tamen fuerit, & quamcunque istarum lectionum magis probandam quis putârit, & Chorasanam cum Chusistana, atque Chavorstana, sæpissimè confundi, & Chorasanæ laxissimo ambitu à plurimis Orientalium scriptorum, non tantum Parthiam, Ariam, Paropamisum, Margianam & Bactrianam, sed omnem præterea Maverennaharam sive Transoxianam, & Turkestanam comprehendi notavit ad Ebn-Kethiri Ferganensis Astronom. c. IX. incomparabilis Golius ap. quem literaturæ Orientalis thesauri omnes, cùm viveret, recondebantur. Sed parum hæc omnia referre possunt. Nam Ebnsina ipse, ultra hanc regionem aliis quoque locis familiares dracunculos commemorat, quibus vel in ipso regno Persico alias provincias significare voluit, vel extra illud vicinam fortè Indiam, quam Paulus quoque & Aëtius recensent. Ormutium inprimis nobile Indorum emporium in confiniis regni Persici nominavit Jo. Hugo Linscot. Itin. c. VI. & recentiori testimonio illorum locorum gnarissimus consentit Samuel Chebibi Medicus Hebræus Venetus scripto de V. S. clarus ap. Thom. Bartholin. τῷ ϖάνυ, II. de luce animal. X. ubi & altera; sed rarior eruditissimi Rhodii observatio, qui in nauta Belgico Ormutio reduce suras manifestè verminantes conspexerat. Hodiè tamen emporium illud Lusitanicum à Persis omninò dirutum, relicta Insula tota salsa, ac ideò sterili,

sterili, inter nuperrimos peregrinatores Indiæ haut postremus testatur Jo. Jacobus Merclinus diar. Itin. p. 433. à qua iccircò multum differt in continente هومز في مدن البلاد كرمان *Hasarmuza sive Hormusinum inter urbes provinciæ (Kirmana sive) Caramaniæ,* Geographo Nubiensi part. VII. Clim. III. Quamvis enim plerumque endemius tantum adfectus sit, diuturna tamen victus consueti usurpatione, & dispositio ejusmodi induci, & seminia accumulari atque latere tam diu potuerunt, donec in patriam reverso molesta esse inciperent. De Ægypto supra jam plura diximus: Cui Ebnsina alias regiones sine nomine adjecit. Eas quæ supra Ægyptum sint, Paulus & Actuarius cæteris adnumerant. Aëtius & Julius Pollux Æthiopiam adferunt, quorum sententiam experientia sua Amatus Lus. confirmat. Et olim quoque Ammianus Marcellinus lib. XXII. tertiam Ægypti partem Libyam denominabat; nam posteriori ætate Justinianus Imper. in edictis suis duas tantum commemorabat, *Thebaidem scil. & Delta* antiquorum, quæ etiam *Augustanica*, edict. XIII. c. I. δύο Αἰγύπτοι. c. II. ἑκατέρα Αἴγυπτος, & c. XI. ἀμφοτέρα Αἴγυπτος. i. e. *alterutra & utraque Ægyptus.* Leoni autem Imperatori orientalis, Bethica, & occid. Errif. cæteris superior, Thebais, & inferior, Augustanica, quæ Delta antiquorum. Guineæ regnum in Africa Levin. Hulsius, & Linscotanus, & Sebastianus Egbertus (aut quisquis is fuit, qui glossas in Dodonæi Praxin conscripsit) addunt, quo hodiè nihil notius, & nos singulari deinceps historia Nobilissimi viri Jo. Abrahami Heinzelii Patricii Augustani, qui XI. annos continuos in illa regione vixit, aliorumque relationibus comprobabimus. Quod cùm ad aërem præcipuè litoralem corporibus noxium, ob caloris intemperiem & pluvias, putredinem, vermesque gignentem Barlæus referat lib. de gest. Mauricii Princ. Nassovii in Brasil. p. 109. non aliter, quam de seminio peculiari accipi debet, ut supra diximus. Ex isto autem exscripsit etiam, quisquis fuit, qui Guineæ atque Americæ descriptionem Erasmi Francisci nomine

consarcinavit, part. I. c. I. Gangines Æthiopes Orosio & Æthico, qui incolis *Ghiuni* dicti in regione Nigritarum sive accolarum Nigri fluvii, qui Nili pars, ut ex Solino supra ostendimus. Ab illis tamen diversi videntur, quamquam nec aliter Ebn Zohar lib. II. c. XX. per Nigros Æthiopas intelligens sive Africanos latissimè diffusos à colore Ægyptinos dictos, quales etiam Guineenses Rasæus XXVI. contin. 12. II. c. I. laxiori ambitu omnes regiones calidas, tenuique aëre perflatiles adducit ex Costæ libro de phlegmate, qui aliàs Ebn Costa vocatur: & Meccam pro Medina substituit, quod in tam parva urbecularum illarum distantia ejusd. provinciæ parum etiam refert. Abulcasimus autem II. Chir. c. XCIII. terras quascunque aridas & æstuosas ac steriles nominat: cui consentit Ebn Jezla in directorio suo morborum, sive ut Abulfeda vocat, Canone corporum tabul. particul. VII. §. I. Plinius XXVII. 13. *sunt & gentium differentiæ*, ait, *non mediocres, sicut accepimus de tineis* (legendum: *tæniis*) *lumbricisq; inesse Ægypti, Arabiæ, Syriæ, Ciliciæ populis, è diverso Graciæ, Phrygiæq; omninò non innasci.* Jac. Dalechampius his omnibus notat dracunculos quoque comprehendi. Imò de his solis intelligi potest, si verum dixisse Plinium putamus. Nam & tæniam, & reliquam omnem familiam lumbricorum, Græciæ satis cognitam, & frequentem, fuisse vel unus Hippocrates docuerit. Quamquam Plinius, ut suspicamur pro Græcia Thraciam nominare debuerit. Ex Theophrasto enim ista dubio procul transscripsit qui IX. hist. plant. c. ult. illis præterea Armenios accenset: ἡ δὲ ἕλμις σύμφυτον ἐνίοις ἔθνεσι. ἔχουσι γάρ ὡς ἐπίπαν Αἰγύπτιοι, Ἄραβες, Ἀρμένιοι Μεταλίδες, Σύροι, Κίλικες. Θρᾷκες δ᾽ οὐκ ἔχουσιν, οὐδὲ Φρύγες. Adrianus Spigelius vertit: *Lumbricus res est connata quibusdam gentibus, haut enim ipsum ut plurimum Ægyptii, Arabes, Armenii, Metatides, Syri, Cilices. Thraces verò non habent, neq; Phryges.* Quinam sint *Metatides* illi omnibus ignotum est, unde & Theodorus Gaza in versione sua, & Daniel Heinsius, cùm Theophrastum ederet, vocem hanc omisêre. Aldina tamen editio & Basileensis, non μεταλίδες habent, sed Ἀρμένιοι μετὰ Δίδες: unde Bodæus legebat.

μετὰ Μήδους, *Armenii trans Mediam.* Quod aliis examinandum relinquemus. Rectius fortasse: Ἀρμένιοι, καὶ οἱ μετὰ Μήδους. *Armenii, & qui ultra Mediam habitant.* Ut alii scil. populi intelligantur, quales aut Tatari sunt Asiatici, aut Iberi, Georgiani & Colchi, suâ linguâ حارطوالبيبي *Chartuelibi* dicti, & حوزيق aut ورازيق Armeniis autem ود يشوريبي cum vicinis Albanis, aliisque. Verè utique Alexandro Magno apud Arrianum IV. expedit. ejusdem, Φαρασμάνης ὁ Χωρασμίων βασιλεὺς, ἔφασκε ὅμορος οἰκεῖν τῷ τε Κόλχων γένει, καὶ ταῖς γυναιξὶ ταῖς Ἀμαζόσιν. *Pharasmanes Chorasmenorum Rex, finitimum se Colchorum genti & mulieribus Amazonibus, ajebat.* Chorasmeni enim iidem, qui Chovaresmiæ incolæ, unde in Colchidem per mare Caspium facilis trajectus est. Aquas certe & reliquam victûs rationem Colchi ferè communem cum Armeniis habent, quod Scholiastes Gr. doctissimus in Apollonii Rhodii II. Argonautic. v. CCCCI. innuit: κυταῒς, Κολχική. Κύταια, πόλις τῆς Κολχίδος. Ἀμάραντος, πόλις ἐν πόντῳ ἢ ὄρη τῆς Κολχίδος, ὡς φησὶν Ἡρωδιανός. ὅθεν καταφέρεται ὁ Φάσις. ὅπερ ἀγνοήσας Ἡγήστρατος ὁ Ἐφέσιος, ἀμαραντίους ἀπέδωκε λίμνας τοῦ Φάσιδος, διὰ δὲ τὸ εὐθαλεῖς εἶναι καὶ ἀμαράντους. ὅτι δὲ ἀμάραντα ὄρη ἐστὶ Κόλχων, ἱστορεῖ Κτησίας, ἐν β. ὁ δὲ Φάσις φέρεται μὲν ἀπὸ τῶν Ἀρμενίας ὀρῶν, ὡς φησὶν Ἐρατοσθένης. Ἐνδίδωσι δὲ εἰς Κόλχους κατὰ θάλασσαν. Nostra versione: *Cytais, regio Colchica. Cytæa: Urbs Colchidis. Amarantus, Urbs in Ponto, aut montana Colchidis, ut ait Herodianus, ex quibus Phasis fluvius defertur. Quod ignorans Hegestratus Ephesius, Amarantias refert paludes Phasidis, quod nunquam deficiant, sed perpetuæ scaturiant, Ctesias autem in secundo historiarum, quod montana Colchorum nunquam elanguida sint. Phasis utiq; ex Armeniæ montibus decurrit, ut Eratosthenes habet, & in Colchos usq; juxta mare illabitur.* Caspium scil. quod Καυκασία θάλασσα καὶ Κασπία *mare Caucaseum* Apollonio Rhodio lib. IV. vers. CXXXV. διὰ τὸ σκιάζειν τῷ Καυκάσῳ.

κολχίδα γῆν ἐνέμοντο παρὰ προχοῇσι λύκοιο
ὅς τ' ἀποκιδνάμενος ποταμοῦ κελάδοντος ἀράξεω
φάσιδι συμφέρεται ἱερὸν ῥόον, οἱ δὲ σὺν ἄμφω
καυκασίην ἅλαδ' εἰς ἓν ἐλαυνόμενοι προχέουσιν.

Nostra interpretatione extemporali:

Colchorum hi terrasq́, Lyciq́, fluenta colebant,
Qui procul haut querulo decedens flumine Araxe
Sacras inducit Phasidi fluctusque, simulque
In mare Caucaseum decursu fertur eodem.

Si tamen conjecturis aliquis locus, legendum fortasse: σαυρομαλίδες, de quibus Eustathius Interpres Dionysii ex Arriano: ἀμάζονες, ἔθνος γυναικεῖον πρὸς τῷ Θερμώδοντι, ὡς ἔφορος, ἃς νῦν σαυρομαλίδας καλοῦσι. *Amazones, gens feminea ad Thermadontem, ut Ephorus refert, quas nunc Savromatidas appellant.* Aut etiam: οἱ μετὰ μαιῶτιδα: *qui ad Mæotidem habitant.* Constantino Imper. Porphyrogenneto de admin. Imperio c. LIII. σαρμάται τὴν μαιῶτιδα λίμνην οἰκοῦντες: *Sarmatæ ad locum Mæotidem degentes.* sive ut Dionysius Alexandrinus periegef. v. 652. seqq.

- - - λίμνης μαιώτιδος ἄγχι νέμονται
αὐτοὶ μαιῶταί τε καὶ ἔθνεα σαυροματάων.

Prisciani seu Fannii versione:

Mæotæ primi tangunt Mæotidis undas
Jauromataque truces - - - - - - -

οἱ μέχρι μαιώτιδος λίμνης Hippocrati de aër. aq. & loc. §. XXXIV. Quæ si non adrideant: μεταγωνῖται substituantur, populi nempe μετὰ τὸ γώνιον in Africa, observatione Isaaci Vossii in Pompon. Melam lib. VII. aut Μελονιτίδες à *Melonite* regione, quæ sic Kiranidum Sarcinatori, & Olympiodoro Alexandrino ap. Thom. Reinesium, II. Var. Lect. XV. in Cod. Chemicorum Manuscripto Bibliothecæ Ducalis Altemburgicæ, ad antigraphum Reipubl. nostræ expresso, quod tamen nobis malâ manu surreptum dolemus. Et quid si μενουθιαδίδες legerimus? Insulani scil. *Menuthiadides.* Μενουθιὰς enim Insula Æthiopiæ apud Arrianum, quæ olim *Cerne*, nunc *Madagascar* & Insula S. Laurentii, notante

Jano Rutgersio I. Var. Lect. XIV. His certè propter insignem voracitatem, victusque turpitudinem vermes frequentissimos esse Verosimillimum apparet. Sed omnium proximè ad ipsos literarum ductus accederet, si μιγαρίδες, ex Theophrasto eodem subrogare liceret; nos enim nemini quidquam istorum obtrudimus, sed cujusvis ingenio cogitandi libertatem permittimus. Quidquid enim fuerit, & Græcis quoque hodiernis dracunculos non omninò ignotos Amatus persuadere poterit. Nos antequam ad curationem progrediamur, coronidis loco paucissimis disquiramus, an unquam hic dracunculorum morbus fuerit epidemius? Plutarchus enim ex Agatharchide id videtur innuere, his verbis: *καὶ τοῦτο τὸ πάθος, οὔτε πρότερον εἶδεν οὐδεὶς, οὔτε ὕστερον ἄλλοις, ἀλλὰ ἐκείνοις μόνον (τοῖς περὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν) γενόμενον. Hoc morbi genus prius nemo vidit unquam, neque posterius aliis, nisi his solis contigit.* Jo. Langius non adeò benè: *Hæc prius, nec modò ullis nisi Arabiam incolentibus acciderunt.* μασσαγέλιδες, σακίδες Jo. Tzetzæ histor. Chil. XIII. c. CCCCLI. Iidem qui σάκαι. μασσαγέται. τοὺς μασσαγέτας νοεῖ ἢ τοὺς Αβασγοὺς ὑπάρχειν. ἄβασγοι, ἀλανοὶ, σάκαι, δάκαι, σαυρομάται, ἰδίως Σκύθαι. Scythæ omnes Asiatici latissimo complexu. Non enim soli Arabes ad mare rubrum habitant. Quod si is postea nemini accidit, non potest endemius appellari, cujus causæ semper præsentes sunt, neque ut epidemii, interdùm solùm commoventur, reliquo autem tempore conquiescunt. Facilè quidem fieri potest, ut morbus aliquis cuidam regioni sit Endemius, in alia autem ἐπιδημικῶς vagetur, quemadmodum febris illa, quam Hungaricam vocant, Pannoniæ regno cùm cœli solive vitio tùm victus ratione familiaris est, & tamen vulgariter plurimis in locis aliquando grassabatur. Peticularis etiam sive lenticularis Sinensibus endemia, sæpè toto orbe epidemia fuit: An verò in eadem regione idem morbus endemius & epidemius esse possit? non satis liquet. Absurdum tamen nemo dixerit, si scil. malignitas quædam ex suis causis accedat. Quod forsan etiam dracunculis aliquando contigit. Sed & exemplo est Stomacace, quam hodiè scor-

ſcorbutum vocant, quanquam Belgio endemiam, nunquam tamen illic ita ſæviiſſe teſtatur Cornelius Gemma, II. Coſmocrit. II. ac anno ſuperioris ſæculi quinto & ſexageſimo, non tantum primis menſibus, ſed ferè usque in æſtatem. Quin etiam hujus, quo vivimus, noſtri anno XXIV. & XXV. in obſidione Bredana epidemiam memoravit Frid. van der Mye tr. de morb. Bred. Suâ quoque ætate vulgariter graſſatam obſervavit Salomon Albertus diſput. de ſcorbut. §. II. Ita & plicam Solociam ſive Cirrhagram morbum primò Sporadicum, deinde endemium, nunc etiam hereditarium & Epidemium Polonis ſuis factum, ac integris familiis infeſtum noſtro tempore Vincentius Mucharskius Romæ enarrabat, & Præſide Jo. Benedicto Sinibaldo viro eruditiſſimo ac humaniſſimo, perdoctè defendebat Concluſ. I. Coroll. II.

CAPUT X.

Expoſito igitur priori Ebnſinæ capite, quo Venæ Medinenſis naturam, cauſas, ſigna, locumque natalem tradidit, ad alterum accedimus, quo præſervationem atque curationem comprehendit. De illa nunc primum agamus. Nec enim probare poſſumus Jo. Colle judicium, quod animi præceps parumque animadvertens, quid diceret, Comm. in Ebnſinæ l. c. c. XXII. ajebat curationem practicè tantum & empiricè absque indicationibus & præſagio propoſitam, atque auctorem materias tantum præſidiorum brevitatis ſtudio recenſuiſſe. Nec enim praxis & ἐμπειρία eadem, neque multum diverſa, niſi prius, ut decet, accuratius explicentur: neque quam in cathedris dici à docentibus ſolent, omnia à ſcribentibus quoque requirenda, horum ſiquidem opera plerumque eruditam deliberationem admittit, neque ut illa extemporalis eſſe cogitur, & captui auditorum aptari debet: quod ipſe ſubodoratus, indicationes ex materiis tacitè & implicitè deſcriptis petendas

tendas admonebat. προφύλαξιν igitur geminam conſtituit, unam in evitatione cauſæ, & alteram in ejusdem oppugnatione: *præſervatio*, inquiens, *conſiſtit in regione in qua generatur, & cibis è quibus gignitur, nec non in oppoſitione eorum, quæ cauſæ illius contraria ſunt.* Vetuſtior Gerardi editio Veneta: *Cibis è quibus generatur, in quibus eſt materia, quæ eſt cauſa ejus.* Senſus eſt: regionem ipſam in qua generatur, vitandam eſſe: cùm enim morbi endemii ea ſit conditio, ut toto illius terræ tractu, quam occupat, cauſam ſuam omnibus communem faciat, non fore ullam certiorem præſervationem, quam locum ipſum fugere. Sin autem id commodè fieri non poſſit, ſaltem à cibis abſtinendum, ex quibus gigni creditur. Quinam tamen illi ſint, non explicat Ebnſina. Alzaravius omnia olera, omnesque fructus illic vitare jubet, ubi vena exiens ſive proſerpens generetur: hæc enim eſſe ait, è quibus produci ſoleat. Ebn Jezla autem piſces ſigillatim enumerat, & lenticulas cum aceto, dactylis, aliisque ſimilibus in direct. morb. tabul. partic. VII. §. I. Nihil enim dactylis, crudis, coctisque, recentibus pariter, paſſisque toto Oriente & Africæ Aſiæque tractu univerſo frequentius in cibo, qualis adjecto etiam pane cum butyro Arab. الوثبة، & دليك، tanquam infriatum dactylatum dixeris, Perſis چنكال خشّ، eodem modo ſcil. paratum, quo ex prunis, pomis, & Ceraſis, aliisque fructibus in Germania conficitur, quodque noſtrates propterea, ein Dattelgeröſte/ dicere poſſent. Multa etiam illorum frequenti eſu incommoda, & morbi oriuntur, inprimis ſi immaturi ſint, quales groſſuli Tuſjanæi ruſi & ſtomacho graves אהיני דטובינא: Talmudicis Cholin fol. XLVI. 2. Jo. Colle Comm. in Ebnſin. l. c. omnia cibaria potusque calidiores omnes commemorat, aduſtos, vitioſos, ſalſos, ut aquam ſalſam, carnem ſalitam, piſces, braſſicam, betam, ſpinaciam, aliaque quæcunque chylum acrem, acidum, acutum & melancholicum gignunt. Vina item nimis potentia, vapida, craſſa, & excremen-

ticios humores generantia. De quibus omnibus supra jam dictum. Oppugnationem verò causæ Ebnsina his exprimit: *Fit hæc ipsa evacuatione vitiosi sanguinis, secta vena basilica, aut saphena juxta locum, & expugnatione ejusdem talibus instituta, qualia sunt Serapium Myrobalanorum, & decoctum Epithymi, aut deglutitione pilularum præcipuè Cocciarum & usu tryphera cum sena & fumaria parata: humectatione item corporis cibis humectantibus, balneis, de reliquo victu humectante noto.* Nimirum remediis hiscè omnibus è triplici fonte haustis: Chirurgico, pharmacevtico, & diætetico: quos singulos libemus. Quod igitur Chirurgiam attinet, venæ in brachio secari solitæ tres præcipuè numerantur: *Cephalica, Basilica, & Mediana dicta* sive *Media, pro quibus, si visui non satis pateant, aut profundius sitæ occultentur*, rami illarum interdum tundi consueverunt. Cur verò ad præservationem Venæ Medinensis, vitioso sanguini evacuando, basilicam elegerit Ebnsina noster, ex ipsomet disci potest, cujus hæc verba sunt lib. I. sect. IV. c. XXI. واعلم ان
القيفال يستفرغ الدم من الرقبة وما فوقها وشيا قليل
مما دون الرقبة ولا يجاوز حد ناحية الكبد والشر
اسيف ولا تنقي الاسافل تنقيه يعتد به ، والاكحل
الحكم بين القيفال والباسليق ، والباسليق
يستفرغ نوادي تنور البدن الي اسفل التنور ،

Quæ sic vertimus: *Scias etiam Cephalicam maximè evacuare sanguinem è collo & partibus ipso superioribus nec non pauxillum ex iis, quæ sub collo sunt, neque excedere finem regionis hepatis & hypochondriorum, neque etiam emundare inferiora, ut emundari desiderant. Nigræ verò judicium est inter Cephalicam & Basilicam medium. Basilica autem evacuat è regionibus superioris Scatebræ corporis, usque ad inferiorem.* Clarissimè: modò per

venam

venam nigram communis ſive media, per geminam verò corporis ſcaturiginem, ſuperiorem ſc. & inferiorem, utraque pars venæ cavæ intelligatur: In membra enim ſuperiora per truncum adſcendentem, inferioribus autem per deſcendentem ſanguis diſtribui vulgò tum temporis docebatur, quo circularis ſanguinis motus nondum cuique cognitus erat. Plempius reddebat: *ex Cervice:* quod minus adridet, quia arteriæ & venæ per cervicem multò minores, quam per colli latera & anteriora feruntur, ac ﴿رقبة﴾ etiam cervicem includit. Paulloque pòſt: *Baſilica & ſuperiorem & inferiorem corporis ventrem inanit.* Tanquam in Codd. ſuis ﴿البطن﴾ legiſſet, quod *ventrem*, non ﴿البدن﴾ quod *corpus* denotat, elegantem præterea vocabuli ﴿تنور﴾ emphaſin omninò præteriens. Auctor Anat. vivorum, inter ſpurios Galeni, eadem ferè iisdem verbis adfirmat, niſi, ut ſuſpicamur ex ipſo Ebnſina deſumpta ſint, cum verſione enim vulgata haut parum conveniunt: *Cephalica verò quod eſt ex collo ſupra ipſum partim & partim ſub ipſo evacuat, & terminum hepatis partis non pertranſit, neque hypochondriorum. Baſilica verò evacuat partes pectoris, & quod eſt à parte ventris inferius. Nigra verò judicium inter Cephalicam & baſilicam medium eſt.* Certè hæc Arabiſmum pòtius quam Græciſmum redolent. Baſilicam ergò, quam quidam hepaticam & jecorariam appellant, Ebnſina elegit, non tantum evacuando ſanguini, ſed etiam temperandæ hepatis Caliditati, quam ſicca corporis conſtitutio ſupra nominata omninò poſtulare videbatur. Attamen ut hoc obiter adferamus ap. Rufum Epheſium lib. I. de appell. part. hum. corp. c. XXXIII. ἡπατῖτις dicitur vena cava, tam quæ in partibus ſuperioribus, quam inferioribus conſpicitur, quod etiam apud Hippocratem fieri præter alios obſervat doctiſſimus Foëſius. Cæterùm cum Vena Medinenſis non ſemper in brachiis, ſed frequentiſſimè in cruribus oriatur, ſaphenam quoque auctor noſter

ſter addidit. Sic enim explicanda ſunt verba: *juxta locum:* ut, ſi in brachio aut latere veſtigium dracunculi metuatur, baſilica ſecetur, ſin autem in cruribus, Saphena: de qua iccircò operæ pretium fuerit ipſummet Ebnſinam conſulere, qui c. cit. ſed loco paullùm inferiori ita loquitur:

ومنفعه عرق النسا في عرق النسا عظيمه ، وكذلك
في النقرس وفي الدوالي ودا الفيل ، وتثنية عرق
النسا صعبه ، ومن ذلك الصافن وهو علي الجنب
الانسي من الكعب وهو الظهر من عرق النسا ويفصد
لاستفرغ الدم من الاعضا تحت الكبد ولامالة الدم من
النواحي العليه الي السافلة ، ولذلك يدر الطمث
بقوة ويفتح افواه البواسير ،

Nos vertimus: *Vena Iſchiadica magno emolumento eſt in dolore Iſchiadico, quemadmodum etiam in Podagra, varicibus, & morbo elephantis, ſed frequentatio ipſius eſt difficilis. Ab illa autem oritur Saphena, quæ in parte depili malleoli exſiſtit, & magis conſpicua eſt Venâ Iſchiadicâ. Secatur ad evacuandum ſanguinem è membris, quæ ſub hepate ſunt, eumque derivandum à partibus ſupernis ad inferiores. Ideoque fortiter menſtrua provocat, & hæmorrhoidum omnia aperit.* Pro *ſecundatione* vulgati interpretis maluimus *frequentationem* ponere تثنيه ، enim repetitionem non ſolum duabus, ſed etiam pluribus vicibus factam denotat. Plempius reddiderat: *Ex ipſa ſecundò ſanguinem mittere difficile eſt.* Pro *parte etiam domeſtica alcabi*, partem malleoli depilem reſtituimus: Solent enim Semibarbari artuum interiores glabrasque partes, *domeſticas*, exteriores

autem

autem pilosasque *silvestres* appellare. Plempius iterum: *in latere tali interiore:* quod idem est. Atque ex istis omnibus satis apparet, Ebnsinam quam proximè è loco adfecto sanguinem mittere voluisse, venasque præterea elegisse, ex sæculi illius doctrina ob singularem quandam utilitatem hepati dicatas, in brachiis Basilicam, & in cruribus Saphenam. Idem sanè ex ramo crurali ortus comperitur tam Ischiadicæ quam poplitéæ & Saphenæ, de quibus M. A. Severinus Med. efficac. lib. I. part. II. angiolog. c. XXVI. saphenam non aliam ob causam, præ poplitea, superioribus sæculis eligi solitam, quam quod propiore situ & majori vasis adfluvio magis juvare crederetur, inventuque præterea difficilior esset, & loco ex carni promptius appareret, unde Græcum nomen: σαφὴς: oculis adspectabilis & manifesta. Nam cæteroquin delectus nimium curiosus nequidquam necessarius consideratione circularis in sanguine motus facillimè evincitur. Jacobus de Partibus in Comm. præter Ischiadicam & Saphenam in utroque malleoli parte, & popliteam, quartam præterea addebat inusitatam, *venam sub Aurchab* corruptè dictam, loco, ut loquitur, retrò supra calcaneum, quæ poplitéæ tamen ramus est, non alterius. Hæc enim geminis se unientibus per medium descendens ad calcem usq; & externi malleoli cutem porrigitur:

عقب enim *Calcaneus* est كعب *malleolus* apud Ebnsinam nostrum. Porrò à S. M. è pharmacia purgationem commendat Ebnsina, laudabili instituto: qui enim purgationem V. S. præmittunt, nunquam eruditis visi sunt artis elegantiam, sed vulgi contumaciam sectari, quemadmodum ad Rumleri obser. LIX. etiam notavimus. Medicamenta huic scopo idonea proposita omnia humores melancholicos serosos, pituitosos, atq; adustos respiciunt: inter quæ *Serapium* è myrobalanis primum occurrit. Sic enim vocamus Græcos Medicos recentiores sequuti, qui sic Arabicam voculam non malè expressère. Nec enim meliora adferunt, qui *Sirupum* pro *Syrupo* appellant, literam Pythagoræ ap. Arabas nullius usus pretiive causati. Nec enim hoc magni

adeò momenti quando & quintum elementum P. durius non magis in lingua sua Arabes agnoscunt, quam quintam Græcorum vocalem. Id magis mirum peneque ridiculum, multos haud exigui nominis medicos in etymo Serapii reddendo tam miserè se torsisse, sive, ut dicamus, quod res est, suaviter ineptiisse. Alii τῆς συρίας ὀπὸν, alii ἀπὸ τοῦ σύρειν καὶ ὀποῦ, quidam ἀπὸ τοῦ σιραίου derivârunt. Sunt etiam quibus ipsum Serapin in nominis partem advocare res tanto Deo scil. non indigna visa erat: Pluraque non Saniora habent, Lubertus Esthius de form. remed. sect. II. c. I. Jo. Renodæus Inst. Pharm. lib. III. sect. I. c. II. Jo. Manardus XIII. epist. I. Marcus Banzerus fabr. recept. II §. I. c. IIX. Franc. Sanchez pharm. lib. III. c. VI. Jo Bapt. Cortesius Miscell. Med. decad. IIX tract. VII. & Hadrian. Junius in doctissimo Nomenclatore. Quæ omnia probari non posse advertens Petrus Morellus lib. I. de form. remed. sect. I. c. IV. cùm nihil certius haberet, ut tamen elaberetur, rem non magni momenti adfirmavit. Non negamus sanè morbos remediis verius quam eloquentia aut etiam vocabulis curari; at è contrario nec barbarismis nec solœcismis depulsi observantur: ita ut nec in cerdone quis ferat, si instrumenta sua, quibus quotidiè utitur, genuino nomine insignire nesciat. Quædam igitur ut ægrotis prosint, medico discenda sunt, quædam ut ipsiusmet animum inscitiæ rubigine exuant. Rectè autem Trincavellius I. comp. med. XV. Serapii nomen potionem significare ait. شرب Ebnsinæ nostro, *Sharab*, & *Sharabon* aut *Sherabon*. Unde Græcorum σεράπιον. Nam crassius S. Arabum, quo ipsi destituuntur, sigmate suo perpetuo compensare, & B. in π. convertere consueverunt, quos etiam Latini hâc in parte sequuntur. Nam Regem illum Persarum, qui Valerianum Imperatorem bello captum caveæ inclusit, medendi arte celebrem, cujus nomine Serapium de pomis inscriptum habemus, Arabes & Persæ سابور appellant. *Saporem* autem S. A. Victor in epit. vit. & mor. Imper. & Cassiodorus in Chronic. nec non Trebelli-

us Pollio, historicus ferè supra modum diligentissimus in vit. Valeriani, quam Julio Capitolino perperam adscriptam genuino auctori adseruit Cl. Vossius II. de histor. Lat. c. VI. Eutropius item IX. breviar. hist. Rom. & σύπωρες Pæanius in Græca illius Metaphrasi, pro quo σαπώρλω habet Zosimus I. histor. & Eunapius in vita Ædesii. Unus omnium Theodorus Metochita in hist. Rom. quam Jo. Meursio debemus, mollius extulit de Philippo Imperatore verba faciens: ἔτος σπονδὰς ἐποίησε μετὰ Σαβώρε βασιλέως Περσῶν. Quin ap. ipsos vett Romanos B. & P. literarum inter se vicissitudines frequentissimæ fuerunt, sicut inscriptiones testantur, quarum plures superstites Romæ nos meminimus videre, inter quas minus vulgaris illa à Fulvio Ursino not. in Sueton. c. IX. producta Nerone Cl. Druso, & T. Q. Crispino Volcano Coss. quæ: *apsenti*, pro *absenti* habetur, cui nos alteram jungamus & integram ex parte tantum doctissimo & humanissimo Rom. Medico, Petro Servio memoratam Miscellan. c. IV. ut ipsi quondam in postica palatii Farnesiani area, sub ingenti statua descripsimus, ex qua præterea Tranquillus illustrari potest, qui in Octav. c. LVII. populum Rom. Calendis Januariis strenam in Capitolio etiam absenti contulisse refert:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTUS.
PONTIFEX. MAXIMUS.
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV. EX STIPE.
QUAM. POPULUS. ROMANUS. ANNO. NOVO.
APSENTI. CONTULIT. NERONE. CLAUDIO. DRUSO. ET QUINCTIO. CRISPINO. VOLCANO.

B. quoque pro P. vicissim positum inscriptione Ælii Vetustini militis Leg. XIII. G. Stib. V. pater, quam haut ita pridem epistola ad Jo. Paul. Ceserottum, (quæ X. est eruditor. marmor.) perscriptâ Illustrissimus eques Sertorius Ursatus exposuit. Sed ne ruderibus lectorem obruamus, ad Serapia redibimus. Hispani, in quorum linguam plurima vocabula Arabica transsumpta sunt,

Xarave

Xarave seu Xarabe nominant, quod ipsissimum est شربة sono quidem multò asperiori & ab Arabum Shin diverso, sed usitatissima ipsis & Lusitanis quoque permutatione, ut è nominibus *Tabaxir* pro طباشير *Xabram* pro شبرم & aliis patescit. Guil. Plantius in VII. meth. med. Jo. Fernelii Schol. in Serap. acidum: Serapia Arabum eadem esse putat, quæ Græcis ἀποζέματα ἢ προπόματα, conjecturâ non planè contemnenda: quamvis multa occurrāt, quibus longissimè differunt, & quæ iccircò prolixiorem dissertationem postularent. Vulgò serapia in simplicia & composita distinguuntur. Ad illa verò pertinet Serapium Myrobalanorum, quod Ebnsina nominavit. Compositum enim neque ab ipso neque ab aliis describitur: Et potuit illis in locis facillimè simplex parari, in quibus myrobalani nascuntur, adeoque recentes legi solent, aut, si quis dissentiat, saltem recentes advehuntur. Quod enim compositum ad dysenteriam valdè commendatum proponit Jo. Freitagius l. auror. Med XXXIV. recentius inventum est, neque ad rem præsentem & auctorem nostrum quidquam facit: quemadmodum & drosata illa quæ Nicol. Myrepsus Sect. IIX. c. CXIIX. & CXX. ex myrobolanis describit intelligi heic nequeunt, cùm ipse etiam Ebnsinæ nostri ætate multò sit inferior: & illud præterea Valesci Tarentini VI. Pr. sive Philonii sui c. XXIII. quamvis ex Rasæo desumptum fateatur, simplex dici non potest, ut cui Scammonium immiscetur: nec non quod Platearius tr. de simpl. c. XIIX. descripsit, ut cui præter recentium condimentum ex saccharo liquato, Cassia fistularis, & tamarindi, & Manna adjiciuntur. Ad composita quoque referenda Serapium myrobalanorum cum epithymo & helleboro additis thym. polypod. Sena, glycyrrhiza, & Sem. Citri paratum, quod Hieron. Donzellinus CIƆ IƆLV. in Consilio cum Julio Alexandrino, Achille Gassero, & cæteris nostratibus Augustæ habito tanquam mirè proficuum commendabat. Propius ad Ebnsinæ mentem ut simplicius accesserit, quod Rasæus lib I. division.

c. CXLIV.

c.CXLIV. ex aqua i.e. decocto myrobalanorum cum Saccharo & terenjabin, i. e. melle aëreo parabat. Serapium Squinæabin cum Scilla præparatum, decem diebus continuis cum aqua tepida præparandis humoribus exhibebat EbnZohar. lib. II. tr. VII.c.XX. i.e. oxymeli Scilliticum سكنجبين الاسقيل atque deinde purgabat pilulis ex bdellii, polypod. opopan. carthami, Sem. Urtic. singulorum aureo j. pulpæ Colocynth. amygdalis & tragacantho præparatæ parte quarta sive granis XV. c. oxymel. simpl. confectis. Admitti præterea heic omnia illa Serapia possunt quæcunque pit. & mel. humori concoquendo idonea docentur, qualia sunt, buglossæ, melissæ, capill. ♀. glycyrrhizæ, lupuli, fumariæ, & decocta ac juscula omnia Cichoriaceis plantis ac troximis medicata, laudata à Jo. Collein Comm. l. c. Vires autem Serapii Myrobalanini è facultatibus ipsarum myrobalanorũ haut difficulter cognoscuntur, idoeq; de illis nonnulla adferemus. Μυροβάλανος Galeni XIII. meth. med. XV. quæ Dioscoridi IV. 160. βάλανος μυρεψική Latinis glans Unguentaria vocatur, fructus est, ab illo, de quo loquimur, planè diversus. Martialis XIV. in apophoretis epigr. LVII. ad pedem Orthium plerisque carminum generibus, & maximè hexametro ineptum, respiciens:

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus
Hoc ex unguento constat & ex balano.

Retinere tamẽ placuit myrobalani vocẽ pro fructu quem Ebnsina *Halilejum*, هليلج appellat. Cùm enim errorem hunc vulgati interpretis, ut quidam putant, aut verius, ut nos censemus, Græcorum juniorum apud omnes Medicos, pharmacopœos & pigmentarios omnium locorum omnibus in linguis adeò inveteratum esse animadverteremus, ut de tollendo planè desperandum sit, nemo nobis vitio vertet, si communem loquendi modum sequuti, aliter tamen nobiscum ipsi sentiamus. Quamvis enim versus isti Jo. Posthii, Medici & Poëtæ egregii de myrobalanis vulgò circumferantur:

Quæ Græcis fuerat glans Unguentaria, monstrant
Scripta Dioscoridis.
Sed verum nobis cupiens imponere nomen
Indica pruna vocet.

Certum tamen est, pruna ab Arabibus الاجاص، vocari etiam Indica, ab Halilejis diversa. Nec enim audiendus Garcias ab Horto, qui lib. I. hist. arom. XXVII. myrobalanos *Deleg.* vocabat: De quo vocabulo vir doctissimus, sive Josephus Scaliger fuerit, ut suspicatur Andr. Chioccus descript. Musei Calceolar. sect. V. sive alius qui nomen suum posteros celare voluit, in not. ad Clusium datis non sine acrimonia: *Verum est*, inquit, *hoc nomen appositum esse in editione Andr. Bellunensis, sed frustra. Vocantur enim Halilegi: quod cur neget verum esse, nullam aliam causam adferre possum, quam quod nesciebat Arabicè. Nam quos Arabas scribit sibi dixisse, omnia myrobalanorum genera Delegi vocari, aut ipsi mentiebantur, aut ille falsò retulit hoc sibi Arabas dixisse.* At species myrobalanorum vulgo ab omnibus quinque numerantur:

الاصفر، الاسود الهندي، الكابلي، بليلج، املج،

Flava: Nigra Indica: Cabulensis: Belileja: & Amleja. Sed Conr. Gesnerus lib. I. epist. ad Gasserum f. 36. *veteres*, ait, *non quinq; Myrobalanorum, sed tria genera statuebant. Emblicas enim & Belliricas ab hoc genere excludebant.* Quam opinionem ex Actuario probare conabatur, quod ille in triphylo, compositione quadam, tria tantum genera jam dicta accipiat. Verum enim verò Actuarius V. meth. med. IIX. interprete Corn. Henrico Matthisio *Myrobalana lutea, Cepule nigra, empeliliz, & emplitzi* recenset: statimque subjungit: *Unde & ex his quinque commistis Barbari sapientes Medici* (sic Arabas à quibus tamen discebat, planè Græco fastu vocat) *id medicamentum quod tryphalum parvam nuncupantem condunt.* Et c. IX. sequente *medicamentum quoddam purgans describit è fumaria ad flavæ bilis*

biliis incendium, *ſcabiem*, *vulnera*, *jecinoris obſtructionem*, & *arquatum*, cujus initium eſt: *Corticis myrobalani lutei*, *Cepule*, & *indici*, & *Dameſonii*, *empeliliz*, & *emplitzi.* Ubi ſex genera nominâſſe videri poſſet, niſi in præcedentibus myrobalanos nigras, & Damaſonias pro iisdem habuiſſet. De ipſa quoque triphyla parva, ut vocat, quam paullò poſt proponit, ſic ſcribit: *Capit corticem myrobalani Cepule*, & *hujus vice ſi voles Indici*, *empeliliz*, & *emplitzi.* Quæ ſanè Geſnero omnia adverſantur: quas enim corruptè *empeliliz* vocat, ſunt Arabum *Belileja*, & quas *emplitzi*, Amlejæ noſtræ. Officinæ Belliricas & Emblicas non minus corruptè nominant. Nimirum aliquid ſuboluit Geſnero, quamvis non probè intellexiſſet. Tria enim nomina Arabibus conſueta ſunt, Perſicæ originis, ut reliqua plura: هليلج، بليلج، املج، Et hujus iterum tria genera, unde quinarius numerus exſurgit. Sed & præter Actuarium, quem ſolum tamen horum fructuum è Græcis meminiſſe falsò putabat Coſtæus not. in EbnMaſiræ II. ſimpl. II. & Matthiolus in Dioſc. IV. 154. etiam Nicol. Myrepſus ſect. I. c. XXIV. in antidoto Cancalica (ſive Alcancali) dicta (quam vocem Arabicam malè in Græcam ἀγγελίκαλιν, ut plures alias, transformat Fuchſius, cùm ipſe Myrepſus Italicâ lingua ſic cognominari ſcribat, & Fuchſius ad c. XXII. jam ante hæc notaverit: *Paſſim Barbaris & Arabicis vocibus Nicolaus utitur*, *quas ipſe perpetuo Italicas appellat.*) Myrobalanos enumerat *Citrinas*, *Cepulas*, *Indicas*, *belliricas*, & *emblicas*. Fuchſius longè corruptius in notis ad h. l. & l. de comp. med. c. III. *Beletzicas* & *empeliticas* vocat. Idem quoquè Nicolaus ſect. XXXII. c. IX. pil. è quinque myrobalanis deſcribit: & c. CXV. in pil. è myrobalano dictas, *empeliticas*, *belliricas*, & *Citrinas conjicit*, nec non c. CXVII. in pil. Aoriis ex EbnMaſira laudatis *Cepulas*, *empeliticas*, & *Belliricas* recenſet, ſicut & ſect. IIX c. CXIIX. in droſato ſive Serapio quodam omnes myrobalanos, exceptis flavis, præſcribit. Ut profectò nullum ſit dubium, plura Græcos Medicos, quam tria illarum

 genera

generanon solùm cognovisse, sed etiam usurpâsse. Inter Arabas autem EbnMasira II. simpl. II. de citrinis, nigris, & Cabulensibus. c. III. de Amlejis, & IV. de Belilejis tractat. Quem tamen nullum bonum ducem, ut sequeretur, habuisse, Jo. Manardus & ipse Arabum odio excoecatus, in notis suis calumniatur meritò propterea à Costæo reprehensus. At verò Jo. EbnSerafion, si interpretem ejus consulas, de simpl. ex plant. c. CVII. expressis verbis. IV. tantum myrobalanorum species constituit *Citrinas, nigras Indicas, Kebulas, & quæ Semicitrini à barbaro interprete vocantur.* De *Emblicis autem & Belliricis* c. XCV jam egerat. Unde si Cabulenses cum eodem duplices facias, *Citrinas scil. seu immaturas, & Nigras seu diutius in arbore relictas:* omninò sibi constabit Gabrielis Fallopii calculus, qui lib. de med. purg. simpl. c. XXXIII. ait: *species myrobalani plures sunt, & septem possem ex Serapione enumerare, sed quinque tantum sunt in usu in officinis.* Nec multum aliter Ebnsina II. simpl. his verbis: وهو منه الاصفر الفج ومنه الاسود الهندي وهو البالغ النضج وهو اسمن ومنه كابلي وهو اكبر من الجميع ومنه صيني وهو دقيق خفيف ، Nostrâ versione: *Aliud (Myrobalanorum genus) flavum, immaturum est, aliud nigrum Indicum, perfectè maturum & pinguissimum, aliud Cabulense omnium maximum, aliud Sinense, parvum & leve.* Sinenses quidem officinarum Emblicas Garcias suspicabatur, sed vehementer errans, nam Ebnsina in præcedentibus de Amlejis, & Belilejis separatim scripserat. Arbores singularum vulgò cognitarum, præterquam Cabulensium, vidit & descripsit Christoph. à Costa l. arom. c. XX, sed & hanc Cairi à se conspectam depingi curavit Illustris Veslingius not. in Alpin. de plant. Ægypt. p. 62. Quas enim Andreas Marinus suis in EbnMasviam adnotationibus, tam Cabulensium, quam Indarum, & citrinarum arbores depinxit, ficticiæ an genuinæ sint? non absque causam jam

olim

olim Matthiolus dubitavit, & Nobiliſſimus quoque Sebizius in Specul. Med. Pr. part. I. ſect. I. c. IV. ſuſpectas habuit, nec illa quam Biturigibus in Gallia hoc nomine ſibi oſtenſam memoravit Jo. Poſthius, Archiatrus Palatinus apud Cluſium I. hiſt. rar. ſtirp. c. XXIX. aliud quam pruni genus quoddam erat. His ſextam ſpeciem hactenus ignotam, figurâ planè rotundâ, nullis ſtriis aut inciſuris notatam, nec purgandi facultate præditam in India à ſe obſervatam uſurpatamque primus addidit Jacobus Bontius I. de med. Indor. not. ad Garciam. c. XXVII. Quamquam etiam in prodromo hiſt. gen. plant. quam olim promiſerant Jo. Bauhinus & Jo. Henricus Cherlerus lib. II. p. 7. nominetur myrobalani ſpecies nova, & in ipſa hiſtoria paucis abhinc annis Ebroduni in lucem emiſſa lib. II. c. XIX fuſius deſcribatur è Palæſtina tamen, non Sinis, accepta dono Rauvolfii quondam noſtri. Ebn ſina l. c. de Sinenſi: واجود الصينى ذو المنقار Plempio vertente: *Optima eſt Sinenſis, quæ roſtrata.* Quod tamen non prohibet, quin hujus quoque genera quædam alia, etiam rotunda & olivaria in Sinis reperiantur: ut taceamus منقار non tantum roſtrum ſed quemvis apicem cujusvis rei ſignificare, & olivas quoq; acuminatas quaſdã reperiri, & deniq; roſtra etiam volucrum non omnia acuta, ſed quædã præterea lata atque obtuſa ſpectari. Nî igitur valdè fallimur, Rauvolfiana hæc myrobalanus Sinenſis auctoris noſtri fuerit. Certè EbnSeraſion ex AlBaſare & EbnMaſvia Sinenſi eandem figuram, quam ſextæ ſuæ Bontius & Bauhinus tribuit, olivæ nempe ſimilem, h. e. lævem & rotundam, qualem utique icones Ebrodunenſes tam primæ, quam ſecundæ Dominici Chabræi nobis exhibent, claſſ. I. Quibus addenda pruna Americana ex Inſula Dariene, ſi modò ad myrobalanos pertineant, quæ tanquam in tranſitu recenſet Jo. Bruyerinus II. de re cibar. c. V. *Schiramlejum* autem EbnSeraſioni dictum de ſimpl. c. XCV. non aliud eſt quam Amlejum lactis immaceratione præparatum, quod ipſa vox شير املج

docere potest; nam Persis شير ؛ *lac* nominatur. Solent autem fructus siccatos eodem macerare. Nec tamen propterea probari debet illorum sententia, qui illos effœtos segnesque, in tanta nostrorum prunorum adfluentia supervacaneos, ex hyperbolica Arabum commendatione inutiles censent, cogitare enim hos oportebat in plagis orientalibus multum recentiores haberi, etiam siccatos, quam ad nos unquam deferantur. Omnes autem melancholiam & pituitam, quamvis non eadem efficaciâ expurgant. Unde Ebnsina: الكابلي والهندي مقلويـــن بالزيت يعقلان ؛ والاصفر يسّهل الصفرا وقليل بلغم والاسّود يسّهل السّودا وينفع من البواسّير والكابلـــي يسّهل السّودا والبلغـم ؛ i. e. *Myrobalani, Cabulensis & Indica, oleo frixæ adstringunt. Flava bilem solvit cum pauco phlegmate: Nigra melancholiam & confert hæmorrhoidibus: Cabulensis verò melancholiam & pituitam.* De Amlejo idem: يلين البطن من غير عنا وينفع البواسّير ؛ *Aliis nostrûm ventrem lenit & confert hæmorrhoidibus.* Vulgatus interpres quædam adsuit, & vertit: *Lenit ventrem absque labore & confert hæmorrhoidibus, & solvit phlegma, & melancholiam.* Non enim sic Arabicè leguntur. De Belilejis autem sic habet: ربما عقل البطـن وعند بعضهـم يلين فقـط ؛ *Interdum adstringit ventrem, quibusdam verò etiam lenit.* Ex istis tamen quas Ebnsina ad Serapium suum elegerit, incertum, nec scire magni refert. Omnes enim præservationi venæ Medinensis conveniunt. Cabulenses tamen, quod utrumque humorem, pituitosum scil. & melancholicum evacuent, reliquis præferri possent. Huic autem Serapio decoctum epithymi Ebn-

ſina admiſcet: quem ipſum conſulamus, utut epithymum ſatis notum ſit omnibus. بزور وزهر وقضبان صغار متهشمه

وهو حار حريف الطعم احمر البزر قوة نباته كقوة الحاشا

لكن الحاشا اضعف منه وقيل انه جنس الحاشا ،

جيده الاقريطي اوالمقدسي ، *Epithymum conſtat è ſeminibus, flore, & petiolis parvis atque fragilibus: eſtque calidum, ſapore acri. Semen ejusd. rubet. Virtus autem plantæ ipſius thymi facultatibus ſimilis, niſi quod thymus illâ imbecillior ſit, cujus & genus dicitur. Optimum Cretenſe eſt aut Palæſtinum.* Quidquid alii contra exiſtiment cum Jo. Jac. Vueccero Antid. ſpec. lib. I. ſect. IIX. qui tam Creticum quam Vulgare, epithymbram tantum adfirmat; Etſi nec multum interſit: cùm Dioſc. III. 45. easdem planè vires thymbræ & thymo adſcripſerit. Sunt etiam, qui eandem plantam Caſſutham, aliis adnatam, diverſa nomina ſortiri putent: In thymo nempe epithymum dicentes, in thymbra epithymbram, in Stœbe, epiſtœben, in abſinthio epabſinthium, in gramine epagroſtin, in rubo epibaton, in lino epilinon aut linodeſmon, ſive ut facetioribus placet, anginam & podagram lini; quæ omnia examinare non lubet. Ipſum verò epithymi decoctum, ejusque exhibendi modum Ebnſina perpulcrè ſic deſcribit:

الشربة من الافيثيمون اربعه درهم يشرب بعسل

وملح فيسهل السودا بقوة ويسهل البلغم ايضا ،

قال بعضهم المشروب منه الي درهمين والمطبوخ

الي اربع درخميات ويجب ان بلت مشوبه بدهن

اللوز ولا يجب ان يستقصي في طبخه ،

Noſtrâ

Noſtrâ verſione: *Doſis epithymi eſt IV. drachmarum. Propinatur cum melle & ſale, atque tùm melancholiam fortiter evacuat, uti & pituitam. Quidam ad duas tantum drachmas. Decoctum verò ad IV. exhiberi ajunt. Quod propinatur, irrigandum eſt oleo amygdalino. Neque oportet decoctione ejusd. ad extremum pervenire.* Nimirum quod longiorem coctionem absque virium jactura non ſuſtineat, quamvis id contra omnium ſententiam, ipſamque experientiam adfirmârit Petrus Gorræus de form. remed. c. VII. *Infundendum oleo amygdalino:* reddidit Plempius, quod pharmacopœis plus dicere ſolet, quam, ut nos vertimus: *irrigandum:* inprimis cùm hoc quoque pleriſque diſpliceat. Cæterum quod Matthias Naldius lib. III. pamphiliæ part. VI. c. VI. epithymi mentione facta, iſthæc verba adjecerit; *poſtquam corpus perpurgatum eſt Epithymo aut Lap. pyrite, aut quolibet ex ſupradictis:* vix aliter admitti poteſt, quam ut pyritæ loco cyaneum aut Armenium reponamus, quorum tamen uterque, ut in pyrite naſci interdum ſolet, ita ab eodem omninò diſtinguendus, uſuque Medico ſollicitè ſeparandus eſt. Vocabulum quoque شربة quod communiter potionem denotat, uti Interpres poſuit, Ebnſinæ noſtro paſſim ſingulari ſenſu doſin unam medicamenti ſignificat: Unde & المشروب non: *quod bibitur:* vertendum erat, ſed ut nos fecimus: *quod propinatur, aut quod ſumitur*, unâ ſcil. vice. Pro drachma, quam Græcâ voce Ebnſina ſic nominat vulgatus interpres ubique aureum ſubſtituit. Videbat nempe drachmas illas non reſpondere iis, quibus hodiè utimur. Nobis enim octo faciunt unciam, ſed drachmæ vett. Græcorum, quos Arabes ſequuti ſunt, ad denarios Romanos conveniunt, de quibus Celſus V. 17. *Sciri volo, in uncia pondus denariorum ſeptem eſſe.* Quod etiam in nummis Rom. Conſularibus ante Cæſarum imperium cuſis experimento facto verum deprehendit Petrus Ciacconius lib. de ponder. p. 44. & alias quoque obſervant Georgius Agricola IV. de pond. Rom. Robertus

Cena-

Cenalis tom. I. de Menſ. & pond. & tom. V. Juſtus Lipſius c. IV. aurei opuſculi de re nummaria, quod primus pro ſua in omne literarum genus propenſa voluntate eruditiſſimus Rhodius quondam poſteris communicavit, qui etiam videri poteſt diſſert. poſtumâ de ponder. ex Polybio, A. Gellio, Demetrio Alabaldo aliisque argutè diſquirens. Drachma noſtra, eadem quæ Attica IV. obolis Æginea minor, Athenienſibus odio gentis craſſæ nomine notior, obſervatione Marſilii Cagnati. IV. Var. cap. VI. ad Julii Pollucis mentem, qui eadem de obolis eorundem parvis magnisque prodiderat. Denarius Galeni ʒj. ſive ℈iij. pendens, ſic tamen, ut ſingula ſcriptula ex duobus obolis legitimis conſtent, ideoque ʒj. integra grana LXXII. contineat, non LX. Obolus autem gr. XII. non X. quem errorem ab aliis acceptum in pharmacopœia noſtra Auguſtana Albertus Quatrocchius jam olim reprehendit. Nos eò differemus, excuſaturi potius, quam defenſuri. Denarius Celſi ʒj $\frac{1}{7}$ i. e. ℈iij $\frac{3}{7}$ & obolos XX. $\frac{4}{7}$ ſive grana LXXXII. $\frac{2}{7}$ continebat.

درهم igitur ſive Drachma vulgaris Arabum & Perſarum XII. tantū Ceratia continebat i. e. gr. XLIIX. drachma Græcorum & Rom. Ceratia XIIX. i. e. gr. LXXII. Darucum ſ. δαρεικὸν ab integro ſtipendio Romanorum equeſtri denominatum videtur, tot ſc. drachmarum, quot dies ſunt in anno, i. e. 365. quæ pauculis additis conſtituunt ℔iij. Nec enim ſi quandoque differre comperiantur aliter excuſari debet, quam ætatis intertrimento, aut difficultate nummaria conciliatione Andr. Alciati tr. de pond. & menſ. qua ſanè, nec aliter, explicari Debent denarii Galeni V. Comp. med. per gen. III. magni, mediocres, & parvi; ex quibus IIX. parvi, VII. cum ß. Mediocres, & VII. magni Unciam unam conſtituebant. Talmudicis tamen in Bechor fol. XLIX. 2. דינרא טריינא : *Denarius Trajani*, quarta pars Sicli ſacri, Imperiali dimidio æquivalentis, i. e. *Drachma.* דרכון ; autem & דרכמון ; & דרכון ; duo Selahim ſive ſicli argentei, i. e. duo Imperiales ponderis levioris gratia in aureos commutati, qui qui-

dem nunc nostro tempore itidem drachmam faciunt. Et faciebant etiam Vespasiani ætate, experimento Leonardi Portii tr. de Sestertio. درهم ، اثنا عشر قراريط ، Firauzabadio in Oceano suo L. Arab. At alterum درخمي ، sono asperiori, quamvis & ipsum pronunciatione drachmam tantum resonet interdum tamen aliquid aliud denotare videtur, de quo singulari cura dispiciendum. Ebnsina ex breviario Ebnserafionis:

الدرخمي مثقال الدروق الا نطاليقي يكون ثمنيه جواهين ، والجو اهين ستة اقساط روميه ،

Vulgatus Interpres: *Darchimi est aureus unus. Dorach Italicum est Johein IIX. & Johein est acsat Romana sex.* Nihil obscurius & putidius cogitari queat! eum tamen, ut cœcus, sequebatur Hieron. Mercurialis II. de comp. medic. c. III. cæteroquin doctissimi laudem meritus. Nostrâ versione: *Darachmion (i. e. Drachma) denarius aureus. Darucum Italicum* (الايطا ليقي) *sive Amphora Romana est octo congiorum. Congius autem (sive Choa) sex sextariorum Romanorum.*

At paullò inferius nullâ Italici agnominatione additâ Darucum pronunciabat ثلثه ارطال ، *trium rotulorum*, sive, *trium librarum.* Drachmam autem sive denarium *6. obolorum:* Obolum, *3. Ceratiorum:* & Ceratium, *4. granorum hordei.* Qua computatione drachma habebit xviij. Ceratia, i. e. grana non sexaginta, sed LXXII.

Sed cum aliter EbnSerafion enumeret, satis apparet, in talibus neque textum integrum, neque Ebnsinæ transscriptionem satis fidam, neque denique interpretum versiones commodas, aut extra culpam esse, cùm ipse EbnSerafion suo tempore ponderum rationes diversis in locis variâsse fassus sit, & numeri appositi

siti nusquam respondeant, & exemplarium vitia manifesta occurrant, ne quid de nominibus corruptis nunc conqueramur.

Hoc ipsum utique دروق si maximè Italicum esse debeat, quid aliud credemus? quam δαρεικὸν illud, quod in stipendio militari notissimum tam copiosè & eruditè expositum videri potest in Lipsii Electis, & libb. de militia Rom. Sed neque sic quoque isthæc cohærent, mensuris & ponderibus utique confusis, de quibus iccircò nonnisi ex Manuscriptis justam emendationem exspectare possumus.

Nimirum quod Venetis quondam accidit, ut pondera Medicinalia cum argentariis sive nummariis publica consuetudine commiscerent, quæ tamen cum naturalibus frugum & fructuum exactè conveniebant, experimento præcipuè Curtii Marinelli & Collegarum ap. Quatrocesium tr. de pond. sect. II. p. 55. Id multò magis Persis & Arabibus olim ipsis evenire poterat, dum vett. Græcorum Romanorumque vocabula, aut satis non capiebant, aut suis temporibus ritè non optabant, qua de re aliquando singulari dissertatione dispicere cogitamus.

Quod verò de oleo amygdalino Ebnsina adjecit, ad Arabum consuetudinem referendum est, quam quidam hodiè etiam in myrobalanis suggillant. Nos alia occasione, quamvis non imitandum, exponere tamen & excusare conabimur. Porrò cùm liquida purgantium forma non omnibus accepta sit, solidam quoque geminam Ebnsina proponit: quarum prima pilularum est. Interpres vulgatus bibi illas jubet. Nos deglutiri volumus, aut si omninò vox illa placeat, transbibi, ut Cælius Aurelianus IV. tard. VII. loquitur, quamvis doctissimus Dalechampius non: *Catapotia transbibenda:* sed: *transvoranda:* legendum putârit in adnot. suis, nullo tamen Codicis melioris consensu, quando notissimum est, illum Græca Sorani sæpius arctiori vestigio consectatum infelicius expressisse: *Transgulari:* habet Goffredus Vindocinensis IV. epist. XXI. edente eruditissimo Jac. Sirmondo. Nimirum ut καταπίνειν Græcis non tantum epotare aut ebibere signifi-

gnificat, sed etiam devorare, deglutire, ita & شرب Arabum de quacunque re sæpius accipitur, quæ simili quodam modo, in liquore aliquo absorbetur, ut pilulæ, è quibus omnibus præcipuè Coccias dictas Ebnsina commendat: nusquam tamen describit: ut dubio procul, quas Rasæus ætate superior IX. ad Almansor. I. & antidotar. VII. edidit, intellexerit. Hic enim primus, ut videtur, Cocciarum nomen imposuit, cum à Galeno, sed alio nomine, acceptas parum immutaret. Sunt quidem qui à capite Coccias vocari putent, inter quos Hieron. Calestanus part. II. obs. pharmac. sed horum sententiam jure improbat Petrus Gorræus de form. remed, c. IX. & Ant. Musa Brassavolus in exam. Cataporiorum his verbis refutat: *Recentiores inquiunt à κόκκος dici, quod Græcè significet caput, quoniam caput mirificè expurgant: sed unde hoc acceperint, ignoramus. Nam κόκκος apud Græcos & Coccum significat & granum.* Franciscus Alexander Vercellensis Apollinis radio II. Cephalicas rectius appellari statuit, non quod Cocciæ à capite denominentur, sed quod caput magna efficaciâ expurgent. Lubertus Esthius de form. remed. sect. III. c. V. aut potius Salomon Albertus (Cujus ille famam judicio Petri Laurembergii in Lauru Delphica alieni sub suo nomine operis editione parum honesto consilio involavit) κοκκία, inquit, *pilulæ dicuntur à granorum rotunditate, unde in appellatione pilularum Cocciarum Rasæi videtur esse redundantia.* Neque ab re J. Bapt. Montanus in IX. Rasæi c. III. nugas ejusmodi nomenclaturis agi, sed consuetudinem tamen invaluisse ajebat, tanquam pilulas pilularum quis dixerit. Gorræus l. c. à granis Cocci derivat, à quo parum dissentit Nic. Fontanus Inst. pharm. sect. IX. c. VII. & Brassavolus non malè l. c. *Ita fortè dictæ sunt, quia in granorum ciceris modum conformari debent: vel per excellentiam dicuntur Cocciæ quasi pilulæ, quia Græci vocant pilulas καταπότια & κοκκία. Tunc verò per duplex CC. scribendæ sunt, & absque adspiratione.* Addimus nos & κόκκους, pilulas ab Alexandro Tralliano lib. I. c. XII. aliisque appellari. Nec dubium, quin Rasæus, cæteri-

cæterique Arabes, (cùm apud Græcos κοκκία legerent) nomen hoc proprium rati, inde Arabicam vocem قوقاي efformârint. Nos tamen Cocciarum nomen, ut notissimum, retinuimus, sed sine adspiratione, quam Brassavolus rectè superfluam monebat. Cùm enim Interpretes Arabum vulgati plerique Itali fuerint, & Ebnsinæ quidem nostri, si Gerardus omninò Carmonensis Hispanus, non Cremonensis fuerit (sive ut eum Regius Volaterranus XXI. Comm. Urban. ab oppido Cremonensium, *Sabioneta*, vocabat, Sublonetanus) unus Bellunensis, alter verò Benedictus Rinius, & tertius Paulus Mongius, Venetus, factum hinc est, ut plusquam sexcentos vernaculæ suæ idiotismos, ut erant tunc sæcula minus literata, versionibus suis immiscuerint. Solet autem illorum linguâ C. litera ante secundam & tertiam vocalium nunquam Græcorum κ. exprimere, nisi adspiretur, quod, qui Italicè loquuntur, non ignorant. Descriptio ipsa Cocciarum ap. Rasæum l. c. & in plerisque antidotariis occurrit: à qua nonnihil differentes alias Galeno tribuunt EbnMasira I. de morb. c. V. & VI. & EbnSerafion antidot. tr. VII. c. XVII. Unde & Brassavolum senex sic adloquitur: *Necesse est igitur, ut ex aliquo Galeni libro accepta sint.* Cui ille: *Nunquam ap. Galenum de his pil. factam mentionem invenire potuimus. Fortè hi auctores librum aliquem Galeno adscriptum habuêre, è quo hæc compositio accepta est: sicuti impræsentiarum libellus quidam circumfertur inscriptus Galeni receptarium, cùm tamen Galeni non sit, imò quamplures vanissimas compositiones contineat.* Quod Brassavoli judicium adripuit etiam Jo. Freitagius III. auror. Med. XXXVI. At Petrus Castellus in antid. Rom. p. 292. valdè miratur Brassavolum, qui Indicem in Galeni libros confecerit, pil. hasce invenire non potuisse, cùm tamen V. meth. med. XIV. & I. comp. med. S. loc. II. describantur. Nos utrumque, quod res est, dixisse existimamus, si modo utriusque sententia commodè explicetur. Certissimum enim est Galenum pil. illas nonquam κοκκία sed tantum καταπότια διὰ τῆς ἀλόης, aut etiam τὰ διὰ τῆς σκαμμω-

νίας καὶ τῆς κολοκυνθίδος ἔχοντα vocâsse. Unde cùm Brassavolus ad Cocciarum nomen, Castellus autem ad compositionem ipsam respiciat, neuter alteri contradicit. Brassavolus sanè in Indice Galeni, Catapotiorum ex aloë, scammonia, & Colocynthide nequaquam oblitus est, etsi cum Cocciis Rasæi ferè eadem aut nesciverit, aut non adverterit. Cæterùm cùm nonnulli alias quoque pilulas Galeni nomine, Coccias dictas describant, ab ejusd. Catapotiis ex aloë longissimè discrepantes, operæ pretium fuerit, utramque compositionem inter se conferre. Sunt ergò qui sumi jubeant *aloës ℥iij. agarici ℥j. Colocynthidos ℥ß. Dacrydii. ℈j. Bdellii ℈ij. tragacanth. Gumm. Arab. singulorum grana xv. quæ omnia cum Serapio de stœchade in massam cogunt, pilulasque efformant*, quibus simillimæ sunt Hexaêmeræ sive sex rerum clarissimi illius Medici, cujus meminit Alex. Massarias VII. Pr. Med. XXXV. & quæ Galeni nomine ab Aali EbnAabbaso X. Pr. XI. describuntur. At Galenus V. meth. med. XIV. medicamentum purgans diversarum facultatum requirens, ait: *Cujus generis sunt pilulæ, quæ ex aloë, scammoniâ, Colocynthide, agarico, bdellio, & Gummi Arabico conficiuntur, ad plures vid. excrementorum purgandas species: sanè satisfaciunt ad usum & quæ sine gummi componuntur.* Ubi nec lacrumæ tragacanthæ, nec ullius ponderis mentionem fecit. Sed lib. I. comp. med. s. loc. II. pilulas has, quamvis aliquando usurparit, non tamen suas, sed Quinti præceptoris sui fuisse fatetur, & à se postea rejectas ait, cùm de alopecia in adolescente curata historiam narraret his verbis: ἔδωκα τῶν διὰ τῆς ἀλόης αὐτῷ καταποτίων ἕνδεκα παραπλήσιά πως ἐρεβίνθοις τὸ μέγεθος. ἔχει δὲ ταῦτα τῆς μὲν κολοκυνθίδος ἓν μέρος, ἀλόης δὲ καὶ σκαμμωνίας ἑκατέρου δύο, τούτοις ἐν μέρος ἐγὼ μιγνύω χυλοῦ ἀψινθίου, πρότερον δὲ καὶ μαστίχης χιάς ἔβαλον, καὶ βδελλίου, οὕτω γὰρ ἐχρῆτο κόϊντος, ἀλλὰ, διατὶ περιεῖλον ὕστερον αὐτὰ λόγος ἕτερος, ὃν ἐν τοῖς περὶ τῶν καθαιρόντων φαρμάκων συνθέσεως ἐρεῖν ἀναβάλλομαι. Janus Cornarius vertit: *Catapotia ex aloë undecim ei præbui, ciceribus ferè magnitudinem parem habentia. Habent autem catapotia hæc: Colocynthidos partem unam, aloës & scammonia*

monia, singulorum partes ij. His ego unam partem succi absinthii misceo, antea verò etiam Mastichem Chiam & bdellium adjeci, hoc enim modo Quintus utebatur. Verum propter quid ea rejecerim postea, alio sermone explicabitur, quem in compositionis purgantium pharmacorum libros reservo. Et hæ Galeni Cocciæ ab EbnMasira appellantur lib. II. operis sui sect. I. part. I. summ. III. c. VI. quem sequitur Paulus Suardus in thes. arom. & Fallopius tr. de purg. simpl. c. XVI. Ille quoque pseudonymus, qui evporista Galeni nomine transscripsit. III. 80. pil. pituitam purgantes ferè easdem describit, nisi quod Scammonium excluserit. *Accipit enim Aloës* ℥vj. *Mastiches & succi absinthii, singulorum* ℥ij. *Cucurbitæ silv.* ℥iv. Sed hæ dubio procul sunt pil. Dia Colocynthidos dictæ quibus Nic. Alexandrinus in edit. Nic. Rhegini c. IↃCCCV. etiam bdellium adjecit. Præterea Galenus I. comp. med. sec. loc. IX. ad psydracia, achoras, aliasque pustulas curandas purgationem capitis commendat per pilulas ex aloë, colocynthide & scammonia c. succo brassicæ coactas: & XIV. meth. med. IIX. ingentem linguæ tumorem iisdem se curâsse refert. Atque cum pil. his & Quinti, & Galeni ferè conveniunt Aloëdaria illa, quæ Aëtius ex Philagrio transscripsit tetrab I. serm. III. c. CVI. Nic. Myrepsus sect. XXXII. c. LXXIII. pil. Aloëdarias appellatas *ex aloës flava & scammonii singulorum hexagio* j. *c. succo brassicæ* componit. Et c. LXXV. Alectorias dictas (haut dubiè etiam Aloëdarias scribendum) valdè probatas *ex aloë flava, scammonia, mastiche, pipere, & colocynthide c. succo brassicæ* efformat. Quas autem c. l. purgantes ad dolorem ventris & stomachi *ex hiera picra Galeni, colocynthide, dacrydio, turbetho, & stœchade* describit, ad Rasæi compositionem proximè accedunt: Eas tamen nequaquam Coccias vocat, nec etiam Galeno adscribit, ut Brassavolus & Castellus opinantur. Nonus præterea in compendio morborum, quod Constantini Imperatoris jussu conscripsit, & Jeremias Martius primus è publica patriæ Bibliotheca in lucem produxit c. CCLXXXIV. *καταπότια δι' ἀλόης* ita describit: *κολοκυνθίδος μέρος ά. ἀψινθίου μέρος ά. σκαμμωνίας μέρη β'. σὺν*

β'. σὺν ὕδατι δίδου κατὰ δύναμιν. Cùm verò hic nulla aloës mentio fiat, præterquam inscriptione, & Nonus pleraque sua, ut ferè omnes recentiores Græculi, à Galeno acceperit, ex eodem etiam sic restituendum, legendumque censemus; σκαμμωνίας καὶ ἀλόης, μέρη β'. quomodo & Oribasius legebat IIX. Collect. XLIV. & IV. Euporist. CXXXIIX. ex quo præterea χυλοῦ ἀψινθίου, non ἀψινθίου simpliciter scribendum discimus. Sed hac de re pluribusque aliis plenius egimus, quando Nonum hunc ad fidem ejusd. Codicis Msi. quo Martius usus est, accuratius emendavimus, qui etiam si tanti esse doctis videatur, nostra curâ illustrior prodire poterit. Nec multum aliter auctor Anonymus in Schediis Mss. antigrapho Moschionis in eadem Bibliotheca nostra additis; τὸ τῆς ἀλόης καὶ κολοκυνθίδος δεχόμενον describens ait, πρὸς σῆψιν κεφαλῆς τουτέστι ἀλωπεκίαν καὶ ὀφιάσιν. ἀλόης δράχμας γ. κολοκύνθης. δρ. δ. σκαμμωνίας. γο. η. ἀψινθίου χυλοῦ δρ. δ. σὺν χύλῳ κράμβης ποιήσεις καταπότια. *Aloës* ʒiij. *Colocynthidos* ʒiv. *Scammonii* ℥viij. *succi absinthii.* ʒiv. *c. succo brassicæ f. pilulæ.* Quod tamen, quia longius à Galeni ponderibus recedit, nimium est, neque proportionem ullam habet, ideoque nec probari debet, nostra sententiâ sic corrigendum; ἀλόης δρ. δ. κολοκυνθίδος. δρ. γ. σκαμμωνίας. γο. ά. *Aloës.* ʒiv. *Colocynthidos.* ʒiij. (est enim aloë multò levior) *Scammonii* ℥j. Qua ratione ad Galeni descriptionem quam proximè omnia accedunt: Quam inter secreta sua famosus ille Empiricus J. Bapt. Zapata c. VI. ita retulit, ut loco succi absinthii tantum Serapium de Stœchade subrogârit. Atque ex iisdem & Coccias suas substitutâ in aloës locum hierâ picrâ, additoque turpeto c. Stœchade, Rasæus postea effinxit. Nam quid è recentioribus plerique in iis desiderarint, aut immutârint, aut etiam luxârint, longum nimis esset enarrare. Summatim cuncta non sine labore & judicio complexus est Petrus Castellus loco, quem supra laudavimus. Unum tamen monere lubet, his pil. Cocciis dictis nonnullos etiam helleborum adjecisse, quod inter juniores fecêre Curtius Marinellus Med.

Venetus

Venetus II. Comm. IIX. de ver. meth. pharm. par. Bononienses in addit. Med. quorundam selectiorum, Bergomates pharm. suæ sect. V. Castellus Antid. Rom. p. 315. Jo. Bapt. Cortesius Antid. Messan. c. XI. & L. Riverius tom. I. Pr. lib. I. c. X. frustra ringente Jo. Colle meth. facilè parandi jucunda, tuta, & nova medicamenta c. V. cum quibus ex asse convenit Catholicum Paracelsi nominatum, quod olim Eustachius Rudius tanquam summum secretum in capitis adfectibus quibusdam, celebrabat, ac alios omnes celabat, primusque revelavit Phil. Mullerus Myster. Med. p. 101. Has ipsas autem innumeris penè locis doctissimus quoque Mercurialis in Consiliis commendat: & *Hieræ exacutæ* nomine à Galeno præscriptas suspicatur Alex. Massarias VII. Pr. XXXVII. ut atræ bili commodior esset, ac Aloysius Bellocatus in Pr. Mſ. p. 235. Matthæo Curtio, doctori suo usitatissimas testatur. Quibus omninò conveniunt pil. Venetorum, Sanctorii nomine celeberrimæ descriptæ ap. Stecchinum dist. IX. Singularem quoque descriptionem Cocciarum sive Cephalicarum, additis ad vulgares nonnullis aliis, ut agarico, rhabarb. hermodactylis, & spec. Diamosch. dulc. in append. medicamentorum suorum edidit Phil. Gruelingius Centur. I. cur. Med. IX. Hiæræ sanè omnes, quia omnes sunt aloëticæ, in hoc adfectu admitti possunt: Inprimis autem Hermetis nomine cum dracunculo descripta ab Ebn Masira l. propr. pro quo tamen aut pulv. aut feculam ari aliis quibusvis miscere licuerit, vermibus utique cujuscunque generis inimicissimi, de quo superius c. I. disseruimus. Nam quod Georgius Livelaticus in obſ. & experimentis suis Onolsbacensibus Mſs. Hieron. Heroldum & Volfg. Mollium Archiatros Palatinos his raro usos, & pil. de agarico aut sine quibus dictas prætulisse notârit: cùm utræque multò inferiores sint, à nobis probari non potest. Extractum quoq; Catholicum Rulandi, cujus tanta fama quondam totâ Germania spargebatur, objiciente Jo. Oberndorfero antagonista, nihil secreti occultabat, præter stibium & turpetum minerale, quod illum adjecisse hinc saltem colligitur. Neque absimilis ejusd. spiritus Catharticus ex iisdem propemodum

ingredientibus, chylisma tantum liquidius, aut verius Infusum erat, quod ideò p. 66. & 74. non adeò magni faciebat. Paris quoque conditionis & virtutis Extr. pil. Catholicarum apparet Conradi Henneluci Crecciacensis quod tanto cum applausu olim ex nostris Conradus Videmannus, Chemiatrus celeberrimus in usum duxerat: cui, omissis tantum hermodactylis omninò similes pil. Sanctorii Venetæ supra nominatæ. Pil. etiam Coccias minores Galeni dictas, helleboro adauctas ex XIV. meth. med. IIX. Jo. Hucherius Monspelii suas vocabat, quas postea Turquetus pariter comendatissimas habebat, & simillimas suas Zanobius pharmacopola Romanus peritiss. in Mss. Evporistis Petri Asselinæi. At nobis his omnibus nequidquam unquam opus est, qui multò commodius Extr. hellebori nigri c. aliis convenientibus, tam Cocciis quam reliquis miscere solemus ex tempore, re exigente. Cæterum de viribus Cocciarum vix ulla pharmacopœia est, quæ non aliquid cantillet. Qui volet igitur, & cui volet, auscultabit. Pituitam viscidam crassamque præcipuè expurgant, etiam ex remotioribus corporis partibus, tùm bilem quoque, cujus mixturâ quidam pituitam insulsissimè condiunt. Unde jam sponte clarum evadit, cur Cocciæ in præservatione Venæ Medinensis tantoperè commendentur. Nam præter pituitam, serosos etiam humores ejiciunt, quibus illa salsa plerumque redditur, & qui melancholicis haut rarò conjungi solent. Altera medicamenti solidioris forma aut potius mollis, ut vulgò fit, dicenda, quam Ebnsina laudavit, Tryphera est cum sena & fumariâ parata. Medicamenta τρυφερὰ, i. e. *delicata*, ab antiquis Varia quidem dicebantur: pleraque tamen, tam externa, quam interna, aut dolorem vehementiorem sopientia, aut sinè molestia purgantia, aut denique externam quandam corporis deformitatem corrigentia: Nam isthæc quidem omnia delicatuli impatientius ferunt. Emplastrum Pancratiastarum, quod etiam ambusta citra cicatricis vestigium percuret *Trypherum* appellat Galenus V. comp. med. f. loc. VII. ex quo & Actuarius in sua retulit VI. meth. med. VI. *Trypheram* quoque ad suppurata sine Sectione aperienda

enda Scribonius Largus Comp. CCXXIX. & aliam Comp. CCXXX. meliorem, ad omnia facientem quæ ferro sine magno dolore tolli debent, commemorat, de quibus videndæ Rhodii notæ. Collyrium album ad epiphoras aliasque adfectiones oculorum Trypherum vocatum idem Galenus describit IV. Comp. med. S, loc. VII. & duo alia, ambo opiata Nic. Alexandrinus c. CLII & CLIII. in Rhegini editione, cum quo posteriori, ponderibus tantum parumper immutatis idem est, quod Nonus cap. CLIII. κολλύριον παρηγορικὸν τρυφερὸν appellat. *Trypheram antidotum* sive confectionem magnam auctor suppositicius libri de dynamidiis inter Galeni nothos, recenset: Aliamque, Monteo cuidam compositam, qui dolores frontis & acetositatem in stomacho, ac punctionem habuerit, auctor libri Secretorum Galeno itidem perperam adscripti, memorat: cui alteram adnectit purgantem pro filio Regis concinnatam, qui religiosus, anxiosus, & annosus ac humectatus fuerit. Hæc enim omnia planissimè Arabismum, & versio Interpretum barbariem ac ineptias sapiunt. At Ebnsina noster I. Antidotar. summ. tr. III. tres trypheras describit, primam è ferri scoria, quæ flatus dispellat, & Veneri opem ferat, alteram minorem & tertiam paullò infrà magnam nominatam, utramque ventriculi imbecillitati & dolori proficuam. Præter has verò Jo. EbnMasira trypheram Saracenicam & Moschatam, viscera roborantes, describit dist. I. de med. Secret. part. II. Quibus & aliam addit Galeni nomine inscriptam, cujus tamen non esse Commentatores omnes, & res ipsa, clamant. Tùm *trypheras minores* subjungit, Phenonis unam, & alteram auctoris incerti: Illa tamen ad ferratam Ebnsinæ nostri, hæc ad minorem ejusd. accedere videtur. *Persicam verò Trypheram purgantem*, sic dictam, quod à Persis sit inventa & experta, idem l. c. dist. III. describit. Quas omnes ex EbnMasira desumpras Nic. Præpositus in suum, ut vocat, dispensarium conjecit. Sed & trypheram de epithymo in curatione maniæ atque melancholiæ Idem EbnMasira tr. de morb. cap. commendat. & aliam ex myrobalanis ad acuendum visum tr. de ocul. ad-

 fect.

sect. c. XVI. insigniter laudavit. Ishacus denique EbnSuleimanus, Med. Hebræus, & ipse inter illos, qui Arabicè scripsêre, valdè celebris, quem Amat. Lus. Centur. IV. Schol. cur. III. intolerabili errore cum Aali EbnAabbaso eundem facit, X. Pr. XXXVI. Undecim Trypherarum descriptiones adfert, quarum pleræque cum dictis conveniunt. Cæterùm cum Arabes, interque illos Ebnsina noster, Græcorum hanc appellationem retinuerint, & extrema tantum consonante mutatâ, literaque, ut solent, Elif, ob meliorem vocalium positionem, addita, pro Tryphera أطريفل *Atriphel aut Triphel*, aut adjecta in fine vocali nunnata, ut vocant, *Atriphelon* seu *Triphelon* protulerint: qostquam deinde Græci posteriores ab his iterum cùm disciplinas reliquas & artes, tùm Medicinam maximè ad se revocarent, evenit, ut etiam hanc vocem, *Triphelon*, ut eam Arabes è Græca τρυφερὸν formârant, nihil animadvertentes, sicut & plurimas alias, scriptis suis inseruerint. Unde *parva Triphyla* apud Actuarium V. meth. med. IX. enata est: & dubio procul etiam *Triphyllum* Nic. Myrepsi sect. I. c. CCXII. quamvis antidotum hanc à viridibus rutæ foliis sic dictam Jo. Jacobus Manlius in Comm. Lumin: major. sect. I. c. CXLV. indoctè arbitretur. Adeò ut exigui momenti sint, quæ Gesnerus lib. I. epist. ad Gasserum de *triphylo* & *triphalo* argutatur. Trypheram Saracenicam, stomacho præcipuè roborando, describit etiam Myrepsus sect. I. c. CCIX. magnam & narcoticam. c. CCX. Ishaci. c. CCXI. & trypheram è ferro. c. CCXXI. ex quibus omnibus quam Ebnsina ad præservationem venæ Medinensis requirat, colligere proclive est: illam nimirum, quam EbnMasira, & reliqui omnes, Persicam appellant. Hæc enim & folliculos Senæ, & semen fumi terræ sola recipit. Descriptio apud EbnMasviam & in plerisque antidotariis obvia est: cui si quis Commentaria addere voluerit, Calestanum part. II. obs. pharm. Costæum in EbnMasviam, & Bricionem Bauderonum (aut potius Laurent. Catelanum, ut Frid. Monavio credimus epilog. ad l. de comp. med Jo. Prevotii)

à Phi-

à Philemone Hollando Med. Londinensi è Gall. Lat. conversum sect. VI. consulat. Simplicia, è quibus consarcinata est, longo sermone & examine persequutus est F. Alex. Vercellensis in Apoll. suo, rad. I. Cui hoc unum nos adjicimus: Conradum Gesnerum in epist. c. à Symphoriano Campegio, qui usu Trypheræ Persicæ quosdam Lugduni in saniisse observarat, perterrefactum, Solani succum, cui culpam impingebat, è confectione ejecisse, (quam ideò venenosam & dæmoniacam appellaverat. II. Castig. pharm. c. propr.) atque succum fructuum Oxyacanthæ illius substituisse, quæ officinis vulgò Berberum nomine insignitur. Hunc imitatus celeberrimus quondam Adolphus Occo in utraque pharm. Augustanæ editione, quarum prior CIↃ IↃLXXIII. altera CIↃ IↃXCIII. prodiit, pro Solani succo succum Berberum, & pro mutationis ratione, ipsam Gesneri epistolam adduxit. Quæ præparatio deinde in patria Sola diu obtinuit. Nam reliqui ad unum omnes succum Solani cum EbnMasvia intactum reliquerunt. Et Petrus Castellus Antid. Rom. p. 142. existimat pharmacopolam illum Lugdunensem, non Solanum hortense, quod debuisset, sed furiale, sive manicum trypheræ Persicæ immiscuisse. Nulla certè noxa à Solano hortensi corpori infertur, quod Dioscor. IV. 71. etiam ἐδώδιμον θαμνίσκον *esculentum fruticem*, appellat: Et Galenus II. alim. fac. XLIX. cum transscriptore Oribasio II. Collect. X. disertis verbis ἐκ τῶν ἐσθιομένων λαχάνων, *inter olera quibus vescimur*, recenset: præeunte Hippocrate, aut illo, quisquis fuerit, auctore II. περὶ διαίτης: cui ad sensum præbebat etiam EbnAabbasus V. theor. XVI. inter olera enumerans, ac ex recentioribus Jo. Manelphus lib. de Urban. vict. rat. sive Mensa Rom. c. LI. suæque gentis experientià Gasp. Suuenkfeldius Silesius l. de stirp. Siles. p. 197. Probatis præterea remediis quam minimum addere aut detrahere rectissimum judicabat Jo. Crato, trium Imperatorum Medicus felicissimus apud Laurent. Scholzium Cons. CCLXXV. ut taceamus Gesnerum ipsum cæteroquin nequidquam meticulosum fuisse, cum è baccis Solani sui silvatici, quod Clusius & Dodonæus letale nominant, Se-

 rapium

rapium hypnoticum conficere, dysentericis exhibere & lib. I epist. f. 34. etiam Achilli Gassero pro mysterio commendare ausus sit, qui tamen ab ejus usu, eâ quâ erat prudentia, semper meritò abstinuit. Quod eam ob causam publicè nunc monere debuimus ne quis temere fidem habeat typographo, qui Michaëlis Dœringii tr. de opio excudit, ejusque sect. II. part. II. c. II. Serapium illud non tam Gesnero, quam Gassero videtur adscripsisse. Nam quod Jo. Vierus lib. II. observ. tr. propr. hoc ipsum Solanum somniferum, appictâ etiam figurâ, ne dubitemus, varis, sive arthritidi vagæ scorbuticæ commendarit, nobis tamen parum adridet, neque opio præferendum videtur. Est sanè id verè letiferum & exitiosum, ut longè aberrarit doctissimus cæteroquin vir J. A. Saracenus cui verba illa Dioscor. IV. 76. de mandragora: Φασὶ δὲ καὶ ἀντίδοτον εἶναι τὴν ῥίζαν πινομένην μετὰ στρύχνου τοῦ καλουμένου μανικοῦ. non erant reddenda: *Ajunt insuper pro antidoto esse radicem, si cum Solano manico bibatur.* Ipse nimirum sensus contrarium docere poterat, ut verteret: *Si contra Solanum furiale bibatur.* nec enim ignorare debuit τὸ μετὰ: apud Græcos non semper Latinorum: *cum:* sed aliquando etiam: *contra:* sive: *adversus:* denotare. Præterea Georgius Melichius & ipse Augustanus, sed pharm. Venetus, cùm succorum nimis parvam mensuram autumaret, consensu Andr. Marini Medici Veneti, succum rosarum recentium, & violarum infusum adjecit, ipsomet referente in Comm. de rect. med. par. ratione dist. I. quem Samuel Cellarius ex Italico Latinum fecit. Nos cuivis experimenta sua libera esse volumus, nec quenquam reprehendimus, sive his, sive illis magis adsentiendum putet, De genuina tamen medicamentorum præparatione aliquando videbimus. Ebn-Sinam utique nostrum & EbnMasviam veteresque omnes succum Solani accepisse nihil dubitandum est. Jacobus Silvius in Comm. trypheram Persicam ἀντιφθεγστικῶς dictam suspicatur, quia valde amara sit, & ideò minimè delicata: Cui consentit Bernardus Dessennius lib. I. de comp. med. Pontius Franciscus Pourpanius in pharm. Tolosan. c. XX. & Jo. Renodæus II. antid. X. ut ingratam,

tam, omninò rejicit, aliamque à se excogitatam ejus loco reponit, quam solutivam vocat, & ab Antonio Landæo Parisiensi, magno successu paratam usurpatamque narrat: quam Londinenses quoque Medici deinde pharmacopœiæ suæ inseruêre. At rectius Costæus Trypheram sive delicatam dictam putabat, non quod palato ægrotorum blandiatur, sed quod sine molestia purget: quod adeò verum est, ut Gotofredus Steeghius experientissimus Rudolphi II. Imperatoris archiatrus, trypheram hanc Persicam I. med. Pr. XIV. omni & sexui & ætati tutam sit testatus: & Jo Schyronius, permagni nominis Doctor in Academia Montepessulana IV. meth. med. VII. in febribus pestilentibus vehementiora solventia omnia aversatus, æstate tamen præsertim biliosis trypheram hanc Persicam laudârit, quem sequebatur Felix Platerus tr. II. Pr. c. II. In febb. etiam lenticularibus malignis Tridenti grassantibus CIↃ IↃXCI feliciter exhibuêre Octav. Roboretus c. XVI. & Rod. Fonseca tr. de remed. febr. ac. & pestil. p. 112. quemadmodum & arthritidi biliosæ Adr. Spigelius tr. propr. p. 81. & uteri fluori in picrocholis Guil. Ballonius lib. II. Consil hist. II. p. 99. Neque dissentiens Jo. Bapt. Cortesius Antidot. Messanens. c. XIV. atque ex Chemicorum grege Josephus Quercetanus lib. II. pest. alexicac. VII. eandem adfectibus contagiosis curandis plurimum inservire arbitrati sunt, quod nullatenus calfaciat. Hic tamen & ipse Solano ejecto succum Citriorum aut Curtipendulorum malorum, aut saltem violarum substitutum voluit. Quidquid iccirco sit, eandem ad Venam Medinensem Ebnsina commendat, & nos quam maximè convenire existimamus. Si enim omnia, ex quibus constat, probè examinentur, apparebit omnibus humoribus, inprimis inter se confusis, evacuandis utilissimam exsistere: Ut sane sæpius mirati simus profundæ eruditionis virum, Anutium Foësium, quod sect. II. pharmac. suæ, Brassavolum fortè sequutus trypheram Persicam compositionem confusam, inordinatam, negotii plenam, usuque raram nominaverit, cùm tamen in sequentibus, tanquam sui oblitus, eam non vulgariter collaudet. Nec obstat, quod Laur.

Jouber-

Joubertus & ipse sect. I. pharmac. suæ magis κακοχυμίαν ab ustis humoribus, ex morbi duratione contractam evacuare, adeoque declinationi potius, quam initio conferre adfirmet. Possent tamen his omnibus & alia cum successu substitui, ut Electuarium Alexandrinum Trajani Petronii, & illud ex ♀o. Petri Castelli, ac Franc. Corvini, ex quo etiam Julapium nuperrimè parabat Donzellus thesaur. pharm. Chem. p. 367. Licebit enim non tantum cardiaca, sed etiam alexicaca dicta, & Simeonis Sethi verbo, ἐλμίνθων ἀναιρετικὰ, c. de mentha, lenientibus admiscere. Quis enim nescit, humores etiam antequam morbos excitent, aduri posse? & ne excitent evacuandos esse? Quæ tamen ipsi quoque in descriptione desideremus, aut quomodo emendandam putemus, alii loco reservabimus. Superest igitur diæta, quam Ebnsina humectantem requirit. Nos supra jam vidimus: & auctor noster veluti omnibus notissimam tangit potius quam exponit. Nec nobis propterea lubet plura disseruisse.

CAPUT XI.

De præservatione dictum. Sequitur curatio, quam Ebnsina noster duplicem constituit, unam, antequam Vena Medinensis sive Dracunculus prominere incipiat, medicamentis tantum peragendam, alteram verò, cùm egreditur, manuali præcipuè operâ, seu Chirurgia absolvendam. De posteriori seq. capite, de priori autem hoc agemus. Sic igitur Ebnsina: *Caterùm cùm vestigium illius mox in principio apparuerit, membri refrigeratione uti convenit, per Cataplasmata refrigerantia, uti sunt succi expressi frigidi noti cum sandalis & Caphura, post corporis purgationem & præservationem quoque per hirudines loco applicitas.* Vulgatus interpres sive vitioso codice usus, sive iis, quæ dicebantur, non satis attentus, aut literarum adfinitate vel etiam transpositione deceptus

ptus verba hæc valdè corrupit & obſcuravit. Nam pro *veſtigio illius* أثره videtur أمره legiſſe, unde more ſuo: *eſſe illius*: barbarè reddidit. Tùm pro refrigeratione membri تبريد *regimen membri* nobis obtruſit, quod تدبير ab Ebnſina in præcedentibus appellabatur. Vocem quoque الأضمدة *emplaſtra*, vertit, hoc ſanè loco ineptiſſimè, cum ſuccis ſolis, ſandalis, & caphura nemo unquam emplaſtrum confecerit, ſed nec conficere poſſit. Quo circa *Cataplasmata* maluimus interpretari. Cùm enim vox illa de quovis medicamento externo, quod tæniis ſive faſciis partibus corporis adligatur ſine diſcrimine Arabibus uſurpetur, adeoque non tantum emplaſtrum, ſed etiam Cataplaſma, epithema, & fomentum humidum ſignificare queat, ipſa ratio dictare nobis viſa eſt, nihil commodius cataplaſmate heic adferri poſſe. Id quod vel ex his Ebnſinæ verbis patet, quæ lib. I. ſect. IV. c. XIX. leguntur: كما يفعل الكزبرة بالسويق تضميد الخنازير بها Ubi interpres iterum: *ſicut facit Coriandrum cum Savich cum ex eis fit emplaſtrum ſuper ſcrophulas.* Nos rectius: *ſicut facit Coriandrum cum ptiſana, ſi inde pro ſtrumis Cataplaſma fiat.* Certè ex tali materia nunquam emplaſtrum ſed Cataplaſma fiet. Farinam hordei c. portulaca ol. roſ. Solano & Coriandro laudabat Raſæus. XXVI. Contin. tr. II. c. II. quod itidem de Cataplaſmate tantum accipiendum. Succos denique expreſſos nominavimus, quoniam عصر *exprimere*, ſignificat, unde المعصرة او المعصر *torcular*, *quo ſucci exprimuntur*. Quæ nomenclatura eò magis neceſſaria viſa eſt, quod præter ſuccos expreſſos frigidos è plantis recentibus, alii quoque in officinis proſtent, ab his planè diverſi. Cæterum medicamenta quæ primò enarrat Ebnſina, omnia externa ſunt:

De internis verò, quid subjunxerit, postea disquiremus. Etiamsi enim purgationem corporis cataplasmatum applicationi præmittendam rectè judicârit, de illa tamen in præcedentibus jam copiosius tractavit. Quam etiam præservationem per hirudines loco applicitas hîc nominat, προφύλαξις est non propriè sic dicta, quâ adfectus ipse, nondum aut recens genitus, (ut Jo. Bapt. Silvaticus Comm. in hist. Gal. LXXXIV. docet) sed altera illa, quâ adfectus jam præsentis, aut symptomatum magnitudo, vehementia, & augmentum impeditur sive præcavetur: quam præservationis differentiam paucis animadversam, aut rectè intellectam sæpè nobis è Galeno explicitam meminimus à viro tam generis, quam inexhaustæ eruditionis splendore nobilissimo, Melchiore Sebizio, Argentinensium Archiatro, Gerardus ubique pro præservatione, & prævisione, *solicitudinem & administrationem*, reposuit, quod rei ipsius consideratione facilè tolerari posset, nisi illa vocabula arti magis propria, ideoque & notiora essent. Amatus Lus. Centur. III. cur. V. & Schol. in Cent. VII. cur. XXVII. *prævisoriam curationem* appellat, quod itidem tolerari (quia iisdem remediis gradu tantum & copia variatis & præservamus & curamus) accuratè tamen loquentibus placere non potest. Custodiam ap. Rasæum XXVI. Contin. tr. II. c. II. reddidit Hieron. Surianus sive ipse interpretis munere defunctus, sive vetustioris alicujus operam in lucem promovens, quæ tamen non nisi incipientibus conveniat, quando non alia curatio serpentibus jam effectis, quam per extractionem debeatur. Refrigerationem autem membri Ebnsina commendat non tam repercutiendi gratia, ut Franc. Pedemontanus opinatur, quam dolori calorique inflammatorio mitigando, de quo supra nonnulla diximus. Succos expressos frigidos, ceu vulgò notos, sigillatim nec auctor noster, nec quisquam alius recenset, præter unum Bertapaleam, qui succum sempervivi, vermicularis & *herbæ apostematum* seu *fabæ grassæ* nominat. Per herbam autem hanc postremam Telephium intelligit; Matthiolus & Lugdunenses fabariam vocant, Lobelius *fabam inversam*, Dodonæus & Cæsalpi-

salpinus *Crassulam:* Italis: *Fava grassa* dicitur. Jac. Theodorus, quem vulgus herbariorum non aliter quam Tabernæmontanum à patria appellat, II. herbar. c. CII. ejusd. vires calori & dolori sedando valdè extollit, quod & cæteri plerique faciunt. Addi possunt alii quoq;, ut lactucæ, nymphææ, parietariæ, alsines, portulacæ, lenticulæ, polygoni, oxalidis, umbilici veneris, capreolorũ vitis, & maximè tussilaginis, cujus virtutes omnibus inflãmationibus planè singulares & eximiæ compertæ sunt. His autem Sandala & Caphuram admiscet Ebnsina: omissis oleis omnibus, etiam rosaceo & omphacino, ut rectè advertit Jo. Colle Comm. l. c. quia fervidis humoribus inimica ardorem & inflammationem exasperant, nisi succis frigidioribus temperentur. Ol. tamen rosarum c. oleo lil. albor. miscebat EbnZohar tr. VII. c. XX. quem forte imitari voluit Naldius l. jam sæpius c. cùm ol. rosf. adjecta portione olei ex sertula campana seu meliloto commendaret, sed venam Medinensem, ut supra vidimus, cum varicibus confundens. Pergit enim Ebnsina: *Ex inunctionibus*, inquiens, *bonis est linimentum ex aloë, Sandalo, caphura, aut myrrha, sem. psyllii & lacte rec. mulcto.* Aloën vermibus inimicam putredini resistere omnibus notissimum est, qua ratione dracunculum interimere potest, qui ipse quoque lumbrici genus quoddam supra à nobis ostendebatur. De Sandalis autem res paullò obscurior videtur. Santala duriusculè appellant Græculi juniores, quod Theodorus Colladus part. II. advers. lib. II. c. XIV. homo semidoctus & cætera planè ineptus, reprehendit, non malè quidem, ut fateamur, sed parum animadvertens, ita Græcorum posteriorum consuetudinem ferre, & valdè in eo halucinatus, quod etymon vocabuli Hebræum fecerit, quem ideò mirum est doctissimum Medicum & Mathematicum Laurent. Eichstadium suffragio suo juvare voluisse, eò graviori culpâ, quod eandem originem, quam Colladus Hebraicam dicebat, Arabicam crediderit, dissert. de confect. Alkerm. in Pomerania parari cœpta §. VI. *Santalum est vocabulum Arabicum & descendit à* : סם *quod Arabibus est Aroma, &* : דל *quod ap. eosdem habet significationem: aucti-*

onatus fuit, item altum & excellens. Ergò Sandal perinde erit quasi dicas sublime & pretiosum aroma. Hebræis quidem :סם aroma significare negari non potest, Arabibus autem طيب dicitur, quibus سم tantum abest, ut aroma denotet, ut potius sic venenum appelletur. Vocabulum etiam :דל neque Hebr. neque Arab. *sublime aut pretiosum dicit:* Illis enim attenuari & exhauriri significat, & :דל *tenuis, viribusque exhaustus:* Hi verò دل præcipuè de indicatione usurpant. Nobis stoliditati plusquam vicinum semper visum est, tam etyma ex aliena lingua longius exquirere, quam omnia vocabula ab aliis derivare velle, ac si nulla, ut Grammatici vocant, primitiva essent, nisi quæ duabus tantum aut tribus literis constarent. Certè vix causa erit, cur Garciæ sententiam rejiciamus, cui lib. I. c. XVII. in Insula Timor, omnibusque provinciis Malacæ vicinis, *Chaudama,* dictum memoratur, unde Arabes corrupto nomine Sandal vocârint. Nec enim obstat quod doctissimus Anonymus in not. Clusii dicat: *Idiotas esse oportet, quibus persuaserit ex Chaudama depravatum esse Sandal: quid autem dissimilis?* Sit igitur صندل ipsa radix quadrilitera, & nisi ab Indis accersenda fuerit, fortassis à magnitudine aut robore ita dicta, cùm Ebnsina disertè lignum crassum appellet, & trunci quoque nobis advecti arborem sat grandem crassitie sua contestentur. Nec enim satis dixisse putandus est Henricus Hagnerus adnot. ad Franc. Caronis descript. Japon. quæst. XVI. qui VII. tantum aut IIX. pedum longitudinem, III. verò aut IV. altitudinem nominavit, cùm nobis multò longiora & latiora ejusmodi ligna quotidiè intueri liceat. Sed neque anonymus ille animadvertit Garciam Hispanorum & Lusitanorum suorum more, *Chandama*, pronunciaturum, non ut Græcorum χ. sed potius Tuscorum Ci. exprimeret, quemadmodum in voce *China*, pro *Tzinis* aut *Sinis* communissima idem observat Phil. Cluverius V. Geograph. VI. quod eò magis mirari

mirari queas, si auctor illarum adnotationum Josephus Scaliger fuerit, ut ex Casauboni epist. ıɔı. & ıɔxxxiv. apparet, ut qui Hispanicam sibi non ignotam sæpius in suis fateatur. Cùm verò Sandali genera plura occurrant, quænam ex illis Ebnsina eligenda censeat, ex ipsomet cognoscere licebit; خشب غلاظ
يوقي به من حد بلاد الصين وهو علي اصناف ثلثه
اصفر واحمر وصنف اخر اصفر مايل الـــي البياض
يسميه بعض الناس مقا صعري ولهذا رايحة اكثر من
Vulgatus interpres ist. رايحة الصنفيـــن المذكورين

hæc omnia omisit, quæ causa fuit, ut Fallopius in I. Diosc. XXI. nullam Sandali citrini mentionem ab Ebnsina factam putârit: neque in suis Codd. repperit Plempius, ut vel hinc Mediceo honor accedere possit, præut quam alii viliorem æstimabant. Nos vertimus: *Est lignum crassum, quod defertur è confinio regionis Sinarum, estque trium generum: flavum, rubrum, & flavum alterum ad alborem vergens, quod quidam nominant Macassarense. Hoc verò odoratius est, quam reliquæ duæ species commemoratæ.* Garcias Macassari, vel ut ipse vocat, Machazari, idem significare putat; quod è Malaca petitum, aut legendum Mazarani quod pallidum aut croceo colore infectum sonet: sed ab Anonymo Clusii reprehenditur: *Jam ostendimus in verbis Avisenæ bis legi Makassari, quod haut dubiè à loco unde devehitur dictum: Quare nihil mutandum.* Makassaria Insula parva infra Borneo, versus meridiem in mari Indico Jo. Albert. à Mandelslo III. Itin. p. 222. in cujus mappa Geographica perquam egregia quæri & inspici potest, memorata etiam à Sandali proventu in histor. Sinensi M. Martinii dec. I. lib. VI. Imper. I. ex famil. Cin. p. 207. & Jo. Jacobo Merclino Itin. p. 467. nec non novissimè à Cornelio Speelmanno, qui historiam belli brevissimè conscripsit,

quo haut ita pridem Batavi, ſuorum internecionem vindicantes, illam occupârunt. Geographus Nubienſis IX. part. Clim. I. Sandalum in Inſula Cumor Copioſum provenire refert. Jac. Bontius I. Med. Ind. not. ad Garc. c. XVII. Inſulam Tymor nominat, ſimulque febris cujusdam continuæ & ardentis hiſtoriam cum delirio conjunctæ enarrat, quæ plerumque Sandali arbores cædentibus è viroſo corticis odore accidat: quam ideò III c. XV. febrem Tymorenſem appellat, ejusque curationem pluribus exponit. Scaliger quoque Exerc. CL. §. 1. *Non eſt, ait, omittendum, quod tradunt in inſula maris Sinarum, quæ Timor appellatur Sandalum album non niſi obſervatâ lunâ cædi, aliàs inutile futurum.* De ipſa autem electione Ebnſina his verbis:

قال جالينوس وابن ماسوية الاحمر اقوي وقال

بعضهم الاصفر اقوي وقال اخرون المقاصري اجودواقوي

Galenus & EbnMaſvia rubrum ajunt fortiſſimum eſſe, quidam verò flavum, alii Macaſſarenſe optimum & validiſſimum dicunt. Quis iſte EbnMaſvia ſit? non apud omnes ſatis conſtat, qui enim Jo. Meſue vulgò appellatur, nihil tale prodidit, & probabile eſt, eum auctore noſtro juniorem fuiſſe, utut Jo. Jac. Foriſius in Bibliotheca ſua coævos fecerit. Hic ſanè Ebnſinam in ſuis nominat, ut ſaltem poſterius ſcripſiſſe nullum ſit dubium, certiora tamen è Bibliothecis Arabum & proſopographis, AbuOſeibea, & EbnChalecano exſpectanda, qui Lugduni Batavorum aliisque nonnullis Bibliothecis, Mſs. ſervantur, digniſſimi, qui aliquando in lucem producantur. Sed & jam olim Alpagus, ſive alius, qui notas quasdam hinc inde marginibus Seraſionis Venetiis à Juntis editi tr. VII. Pr. c XXXIII. illevit, & Geſnerus atque Simlerus in Bibl. ſua, duos hujus nominis Medicos exſtitiſſe conjectarunt: quod minimè vanum Jo. Leo Africanus in hiſtor. vit. quorundam Arabum teſtatur, quam Florentiâ à Nobiliſſimo D. Cavalcanto, acceptam Clariſſimus Hottingerus produxit: unum quidem Meridinenſem, religione Jacobitam, alterum Damaſcenum,

num, Chalifæ dignitate celebrem, &, ut ajunt, Nestorianum. Unde nec placet, ut ingenuè fateri liceat, quod Plempius Mathojæ filium reddiderit. Nimirum cùm librarii sæpè EbnMasviæ nomen depravassent, sæpius tamen interpretes deinde distorquebant, quod apud Rasæum toties observavimus, ut aliquot decurias auctorum imperiti ex uno procudere potuissent. At, quod Galenum concernit, Sandala omninò ignota erant. Nam etsi in libro de dynamidiis illorum mentio fiat, centonem tamen illum falsò Galeno adscriptum nemo doctiorum hodiè dubitat: & nec ibidem, nec ullo alio in loco hæc dicit, quæ auctor noster ei tribuit. Haut dubiè jam Ebnsinæ tempore plura Galeni nomine circumferebantur, ex quorum fortè aliquo hæc imprudentius descripsit. Certè & Rasæus XXXV. Contin. tr. I. c. I. commemorat, se librum Galeni de venenis vidisse, quem tamen nos, utut fortasse suppositicius fuerit, non minus, quam genuinum, cujus ipse Comm. I. in VI. Epidem. Hippocr. meminit, desideramus, ut etiam Franc. Pona tr. Ital. de venenis c. IV. & ante ipsum Hieron. Cardanus I. de venen. c. IV. animadvertit. De fide autem versionum Arabicarum Græcorum Scriptorum, quibus & auctorem nostrum usum verosimile videtur, meritò nos cautiores fecit immensis in Rempubl. literariam meritis Illustris Salmasius præfatione, quam tabulæ Cebetis Arabicæ paraphrasi à Jo. Elichmanno adornatæ præfixit. Ad Sandalorum quoque genera pertinet, aut saltem non multum distat lignum odoratum, albo persimile, quo se in febribus indigenas inungere Garcias testatur, Malavaricâ linguâ, *Samburane*, dictum: quamvis Christoph. à Costa c. IX. distinguendum censeat, erysipelati tamen & inflammationibus utile. Clusius in not. ad Garc. Sandala penè omnia suspecta reddidit, quæcunque ad nos deferuntur sic enim: *Fieri*, inquit, *poterit, ut aliud aliquod odoratum lignum nobis pro legitimo Sandalo obtrudatur. Certè candidum nostrum planè inodorum est, & rubrum, tametsi dulce, inficit tamen, quam notam Garcias in Sandalo rubro non requirit*. Nemo quidem negaverit, incautis, rerumque istarum minus peritis pro veris Sandalis

alia ligna obtrudi posse, quale & Abelicea sive PseudoSantalus Cretica Honorii Belli ap. Clus. in epist. p.302. genuina tamen ferè ubique nunc prostant. De temperamento autem & viribus lis magna inter Medicos jam olim agitata. Ebnsina noster apertè: بارد في اخر الثانية يابس في الثا نية ، *Refrigerat in fine secundi gradus, exsiccat in secundo.* Huic non tantum Arabes omnes, sed omnes post ipsum Medici adsentiuntur, atque haut pauci hodieque frigiditatem Sandalorum nequaquam frigidè tuentur. Alii vero rationibus magis, quam experientiâ nixi calida pronunciant, odore scil. calorem prodi existimantes. Verum enimverò odorem levissimum argumentum suppeditare planum est, quando & Rosæ, Violæ, pluresque plantæ odoratæ omnium consensu vim obtinent refrigerandi. Imò cùm medicamenta calida aut frigida dicantur non simplici quadam consideratione, sed relatione ad corpus humanum facta, sponte consequitur, in qualitatibus eorum pervestigandis experientiam magis quam rationem spectari oportere, quod olim etiam Hippocrati consuetum pulcrè notavit Prosper Martianus in lib. de adfect. sect. II. v. 247. & Galenus ipse clarissimè II. de simpl. fac. c. III. & XX. neque à calore, neque odore, neque consistentia, neque glaciatione, duritie, levitate, de facultatibus medicamentorum ratiocinandum monebat, quod sæpè corporis dispositione diversa per se calidum refrigerare & per se frigidum excalefacere compertum sit III. c. IIX. ideoque experientia vires potius cognoscendas atque dijudicandas c. IX. adserebat. Plurima sanè frigida comperta sunt, quæ tamen extra usum & actionem in corpus humanum perpensa calida vocantur. Plantæ, quotquot sunt, etiam quæ frigidissimæ Medicis putantur, calorem tamen obtinent, sine quo nec vivere, h. e. nutriri, neque augeri, neque etiam Semina & fructus producere possent. Idem de Sandalis dicatur; quæ licet ex sese calida sint, corpori tamen humano interius atque exterius adhibita, frigefacere omnium experimenta clamant. Quid verò in Venæ Medinensis curatione præstare queant, ex istis Ebnsinæ

sinæ verbis satis colligitur: يحلل الاورام الحارة خصوصا الاحمر ويطلي على الحمرة فانه نافع *Resolvit tumores calidos, inprimis rubrum & illinitur erysipelati, cui prodest.* Talis enim tumor est, qui dracunculum comitatur. Sequitur Caphura, quam plerique Camphoram vocant, defendente Anonymo Clusii: *Arabes vocant* كافور *& qui pronunciant, Capur, peccant non leviter. Tunc enim Capur poterat pronunciari si sine Elif* كفور *scriptum esset, quod sanè videtur à quibusdam ita scribi. Itaque tunc punctum fortè, quod Arabibus Tesdid dicitur, mutat Φ. in ϖ. Unde quidam Canfur vocant, quia ubi illud punctum Tesdid additur, Arabes non rarò* ن *interjiciunt, ut Tabbur, Tambur.* Paulloq; pòst: *Hebræi, Syri, Arabes, nullum F. nullum etiam P. habent, sed tantum Φ. quod in ϖ. mutatur interventu illius puncti duri Tesdid.* Vana omnia! Nam litera ف nunquam aliter, quam latinorum F. aut Græcorum Φ. pronunciatur, cujus rei testes omnes Grammatici Arabum, aliique quorum plures legentes & differentes sæpissimè audivimus. Neque Tesdidon ف in ϖ. commutat, quod apud Hebræos literæ פ per Dagesh usuvenit, sed sonum tantum geminat, atque ita v. g. كفّور *Caffur*, non, *Capur*, pronunciatur. De interjectione etiam literæ ن res valde dubia est. Hanc enim ut Mauris in usu esse concedere possimus, ita Orientalibus planè inusitatam adfirmamus. Certissimum autem hos illis longè purius & scribere & loqui. Idem anonymus ad l. 4. cùm de opio ageret: *Arabes Græco vocabulo Ofium vocant, ut est ap. Avisenam: aliis verò* انفيان انفيون *dicitur. Sed idem est. Nam Arabismus ignorat ϖ. Græcum quod cum exprimendum est, præponit Nun. Itaque quamvis literæ concipiant*

Amfiam, *tamen lectio* καὶ ἐκφώνησις *edit* ὄπιον. Pessimè. Quis enim nescit Arabas in peregrinis vocibus ϖ. durius absque litera Nun vel per ب vel per ق exprimere, nisi Arabicæ linguæ sit imperitus? sæpius etiam hoc negotio پ triplici puncto subnotatum à Persis mutuatos vidimus. Julius Scaliger Exerc. CLXXV. §. 1. addit: *Additam consonantem primam in Amfiam mirum non est ei, qui illam, ut dicebamus alibi, servam literam à Syris vocatam in memoria habeat.* Verum nil opus est: Arabes enim omnes, & Ebnsina noster أفيون nominant: cum quo & Syrorum appellatio planè convenit, nam & illi אפיון: vocant ap. Jo. Bapt. Ferrarium in Nom. Syr. p. 742. A Turcis quoque quibus opium frequentissimo in usu est, أفيون dici docet Jo. Molinus, Interpres Venetus dict. Ital. Turc. p. 282. Audiamus tamen de Camphora sua Scaligerum Exerc. CIV. §. 8. Cardanum immeritò perstringentem: *De Camphora primum dicamus, neq; abs te, neq; ab illis, qui Caphuram corrigunt, rectè* κενοτομοῦσι. *Est in Insula Bornei arbor nomine Capur. Cujus illa cum sit Gummi, ab arbore deductum nomen ab illo utroque diversum erit. Quamq; hoc nihil est. Quia & adspiratio & illa consonans ad Sonum & Latinis & Græcis vocibus aliquot addita est. Hæc in hoc subtilitas, ut non digna philosopho, ita philologo non adspernanda. Profitentur enim non solum Græci & Latini, sed Chaldæi quoque ac Syri quasdam sibi literas esse, quas vocant servas: inter quas istam ipsam numerârunt. Atque illarum interpositione superstitiosa secta Saturninorum suam Cabalam negat variari. Malim tamen Indicarum rerum patria nomina non mutare. Id quod etiam in illorum myrobalanis, in illorum Cariophyllis ausa est importuna Græcia. Ingenuè Latini vocibus externis in externis usi sunt rebus, Mastrucca, Bracca, Saraballa, Gaza, Tiara, Sarissa, Cateja, Caterva.* Verùm enim verò nemo præter Scaligerum in Græcis & Latinis literas servas observavit, aut saltem ita nominavit. Verè habent

illas

illas Hebræi, habent & Chaldæi, & Syri. Sive tamen מ sive נ adſciſci putet, ut Camphora ex Caphura procudatur, (Hebræi enim & Chaldæi ſæpè confundunt auctore Guidone Fabricio in Gramm. Chald. certum eſt utramque literam tam ap. Hebræos, quam Chaldæos, & Syros ab initio tantum aut in fine, nunquam in medio ſervire. Imò à litera Nun, etiam cùm non ſervit, Syri, quos præcipuè Scaliger nominat, ſæpè abhorrent. Id olim quoque obſervatum Andreæ Maſio, qui in Grammat. Syr. ſic habet: *Sicut Hebræi literam Nun ſæpè è mediis dictionibus abjiciunt, & puncto Dagges abſentem repræſentant, quod ea gens literæ hujus ſonum in mediis verbis quodam naturæ inſtinctu fugiat, ita Syri quoque non id ſolùm faciunt, ſed adſcriptam expreſſamque etiam ſæpè non pronunciant.* Et quæſo quid Syrorum literæ ad Arabas? quorum linguæ ſatis ſunt diverſæ? Cum igitur Scaligero ipſi patria rerum nomina mutari diſpliceat, quid heic opus eſt καινοτομεῖας (ut illius verbum parum immutemus) & Camphoram pro genuino nomine ſubſtitui? Ante Arabas profecto nemo Medicorum eam novit aut deſcripſit; Unde nos Ebnſinam noſtrum ſequuti Caphuram retinemus, Camphoram ſpernimus. Sunt, qui bituminis genus eſſe contendant, inter quos etiam Georgius Agricola IV. de natur. foſſil. II. ſed horum abſurdam opinionem refutant Scaliger l. c. & prolixa diſceptatione Andreas Libavius part. III. ſingular. lib. V. c. XXI. Ebnſina noſter lacrumam arboris teſtatur: واما خشبه فقط رايته كثيرا وهو

حشب ابيض هش خفيف جدا وربما احتنق في

خلله شي من اثر الكافور، Noſtra interpretatione:

Cæterũ lignum ejus, quod jam ſæpius vidi, album eſt, fragile & valdè leve. Interdum inhæret rimis ejus veſtigium aliquod Caphuræ. Geographus Nubienſis ſect. IX. Clim. I. arborem Salici ſimilem prodit, totidemque penè verbis Ebnſinæ adſtipulatur:

وخشب شجر الكافور ابيض خفيف،

Lignum arboris Caphuræ candidam est & valdè leve. Utrique consentit è Græcis posterioribus Sim. Sethi Syntagm. de cibariis c. περὶ καφουρᾶς: ἐστὶ δὲ δένδρου κόμμι ἤτοι δάκρυον φυόμενον ἐν Ἰνδίᾳ. *Est Gummi sive lacruma arboris in India nascens.* E recentioribus autem Christoph. à Costa c. IV. *Habui*, inquiens, *tenues admodum fritilli tabellas, cum pyxide qua adservabantur, ex Caphuræ ligno confectas, uti ex odore facilè deprehendi poterat: nunquam tamen Caphuram exsudabant, at si manibus tractarentur, solummodo Caphuræ odor in eis major spirabat.* Garcias quoque lib. I. c. IX. mensam & tabellam è ligno isto confectam, Caphuramque exsudantem vidisse se testatur: & Alvarus Semedus, barbatus ille Lusitanus part. I. relationis suæ c. II. de Sin. regno, *Ligni Caphuræ notabili magnitudine mentionem facit.* Quin silvas integras Japoniæ ex arboribus Caphuræ, domosque plerasq; ex earundem ligno exstructas memoravit Jo. Albertus à Mandelslo. III. Itin. p. 247. Insulam Calam ejusd. fœcundissimam nominavit Geographus Arabs l. c.

من جزيرة لنكيالوس الي جزيره كله خمسة ايام
وبها الكافور الجيد وهو شجر كبير يشبه شجر الصفصاف
والكافور يستخرج من هذه الشجره بان يثقب اعلاها
ثقب فيسيل منه علة جرار واذا انقطع اسفل من ذلك
في وسط الشجرة فتنساب منه قطع الكافور وهو صمغ
ذلك الشجر غير انه ينعقد في داخلها ثم تبطل
تلك الشجره فتنحي ويقصد غيرها

Nostra versione: *Ab Insula Lanchialo Insula Cala quinquidui itinere (marino) distat, in qua Caphura optima nascitur. Arbor est magna, Salici similis, ex qua elicitur, facto in supremo fastigio ejusd. foramine multum effluit laticis, qui sistitur alio*

in

in medio arboris exciso, & sic aufertur deinde frustum Caphura, quod lacruma est illius. At si interiori parte arboris coaguletur, ipsamet perit, & tùm remota illa alia reponitur. (Ita maluimus, quam cum Schiccardo: *separatur & destinatur alia:* nimis obscuro sensu.) CIↃIↃCLXI. Novembri mense Ostendæ in Flandria duabus navibus Lusitanicis captis, præter alia, Ligni Caphurini insignis copia advecta est, quod Scriniarii deinde ad politiora opera sua adhibebant, referente in Jo. Franci relationibus semestralibus Jo. Sledero. Solidioribus tamen ineptum, nec palmeo comparandum: ut sæpius mirari lubeat, cur Thom. Meermannus Archiatrus Bavaricus CIↃ IↃXCII. apud Avum nostrum maternum, Jo. Georgium Sighardum in compositione Antidoti Matthioli, quæ tùm in maximo pretio habebatur, Caphuram quandam palmariam appellàrit, & frigidam in tertio febribus pestilentibus parum tutam existimârit, siccantiora præferens. Quidquid tamen fuerit Meermannus haut dubiè eruditissimus non tanquam è palma proveniret, palmariam appellabat, sed quod Julii Palmarii sententiam de febr. pestil. c. XIIX. sectaretur, eandem propter frigiditatem, nisi ingens putredo calorque ardentissimus fuerit, rejicientis. Cùm enim nostram & communissimam calidam potius & nequidquam refrigerantem plerique faterentur, putabant Palmariam aliam quandam cognitam habuisse, quemadmodum & Zacuto persuasum fuisse mox videbimus. Varia quidem illius genera, nominibus tantum proditis Ebnsina enumerat: quem species ipsas minimè digessisse Scaliger ajebat: Neque nos immorabimur, commodiori occasioni servaturi; hoc tamen omittere non possumus: Garciam Alpago ingentem injuriam his verbis intulisse: *Scribit Andreas Bellunensis in suo dictionario secundum Arabas, aquam Caphuratam ex arbore Caphura stillare, eamque cum arbore calidam esse tertio ordine. De hac aqua à multis cùm Medicis tùm mercatoribus sciscitatus sum, neminem tamen invenire licuit, qui eam se vidisse adsereret. Quare facilè adducor, ut credam Bellunensem cum in hac aqua describenda, tàm in ejus temperamento lapsum.* At è contrario

verosimilè apparere posset, eandem hanc esse, cujus ex EbnRoschdo (sive Averroë ut vulgo corruptè vocant) his meminit Scaliger l. c. *Avenrois in quinto aliam cognoscit. Camphora, inquit, Indica, quæ in Arabico Coforalgent appellatur, calefacit & desiccat in secundo gradu. Diversæ igitur fuerint, nisi sit aut in Codice mendum, aut error in opinione.* Nos omnem suspicionem tollemus. Bro Cofor algent in Arabico, non كافور الهندي *Caphur Elhindi:* quo Caphura Indica significatur, sed قفر الهندي *Cafr Elhindi:* Scriptum conjicimus, quod vertendum erat: bitumen Indicum. Deceptus ergò simili diversissimarum literarum sono interpres Armegandus Blasius, quem dubio procul Scaliger non inspecto Arabico textu solū consuluerat, aut saltem Hebraica tantum paraphrasi usus erat, qualem in Ebnsinæ quoque ; ארגוזה i. e. Cantica R. Salomon Ben Joseph ex Arabico traduxit: Hebræis autem ; כפר picem significat, unde errandi proclivitas, quia cæteroquin ; ך Hebræorum Arabes per ك exprimere consueverunt: Ita & Cantic. IV.13. ; אשקול הכופר quibusdam perquam absurdè Botrus Caphuræ putabatur, cùm Cyprus intelligenda sit, cujus flores odoratissimi cœrulescentem uvam quodammodo repræsentant, qualem hoc ipso tempore vernali, quo ista condimus, in manibus habemus. Quam conjecturam nostram abunde firmare potest ipsa capitis LVI. inscriptio lib. V. Collectaneorum (sive enim كلته sive كليه sive كلله scribendum, à كلت colligere, aut كل quod Universum denotat, utrumque Collectaneorum nomine aptissimè insigniri potest, quemadmodum Grammaticis quoque nomina universorum complexum significantia الكليه collectiva vocantur, singularibus sive unitatis opposita, unde compendium quoque aut Synopsin vertere liceret) *de rebus nascentibus*

in

in mari: dum certiora ex Mss. eruditiores aliquando proferant. Nam ut hoc quoque obiter addamus, Jo. Brugerini Campegii editio, non aliud præconium meretur quam tersioris Latinitatis, ut qui Blasii versionem horridiusculam interpolando, nullo authenticæ linguæ subsidio, nullaque codicum fide, ad lubitum efformatam Sebast. Gryphii typis Lugduni emiserat. Quid enim Caphuræ, quæ arboris suboles cum mari? aut credemus solum inter Arabas Scriptores EbnRoschdum veros Caphuræ natales ignorâsse? Alios ergò videamus. EbnJezla (qui vulgò Elluchasem Elimithar Medicus Baldacensis sive Babylonius dicitur) in directorio sanitatis (sic enim explicari debet, quod Tacuinum pro تقويم interpres vocat) de VI. rebus non naturalibus dom. XV. aquæ Caphuræ vett. dictam ait, quæ è cortice arboris destillet, eamque calidam & siccam secundo gradu constituit, ac à Caphura illa altera distinguendam monet. Kircherus ὁ ἀθανάσιος, cujus ingenio atque industriæ cùm plurima alia, tùm L. Ægyptiacæ restitutionem debemus in Nom. Copt. Arab. ριζοζοπισα, quæ Arab. عرق الكافور exponitur, elegantissimè vertit, *Sudorem Caphuræ*, humorem scil. qui ex arbore fluit. Qui dubio procul cum aqua Caphuræ Alpagi idem est; quamquã nec hoc dissimulandum: omnem omninò lacrumam sponte ex plantis exsudantem, & liquorem quoque quemcunque Chemiâ prolectum, Arabibus عرق vocari. Sed & doctissimus Quacelbenus, qui A. Gislenio Orientalis Itineris comes fuit, Caphuræ liquidæ speciem, vivam dictam, non vidit tantum, sed Matthiolo etiam Byzantio transmisit, cujus verba lib. III epist. notatu digna sunt: *Genus quoddam resinæ à Persa mercatore Capura viva cognominatum ab id D. Orator quantumvis magno emendum putavit, quod illius nullam adhuc ap. quemquam, nisi sub alio fortasse nomine mentionem factam intelligeret. Venerem inprimis stimulare, contraria virtute ab Arabibus attributa Caphuræ idem mercator referebat. Odor certè saporque non mediocrem caliditatem possidere*

dere tantum testantur. Tùm addit: *Hìc admonendus es, dum imprudentius vitreum vasculum, in quo adservabatur, tractarem, collisâ ansulâ particulam vitri unam atque alteram liquori incidisse.* Adeò ut Alpagus nihil peccârit, nisi quod fortè aquam dicere maluerit, quam Quacelbenus in hac & Matthiolus sequente epistola rectius liquorem appellarunt: Quamquam Arabum Medicis nihil insolens sit ferè quosvis liquores aquas nominare. Arte tamen facta, non nativa, aqua Caphuræ, imò nec propriè sic dicta, quam Hieron. Rubeus sect. II. de destill. c. XVI. ex pinûs latifoliæ segmentis aqua rosar. madefactis eliciebat, liquorem scil. oleosum, sive ut dicamus quod res est, oleum pinûs etiam simplici ex fonte parabile absque rosarum inutili profusione. Quo pertinet illud quoque à Conr. Gesnero Evonymi sui p. 51. ex Abulcasimo descriptum; Hoc enim sub nomine latere tùm ipsi placuit, ne quis fidem habeat aliis, nescio quem Nicolaum Epiphanium somniantibus. Cæterum de viribus & temperamento Caphuræ jam dudum ingens & intestinum bellum Medici excitarunt, magnisque animis inter se gesserunt. Ebnsina noster apertè: بارد يابس في الثالثة *Frigida & sicca est in tertio:* Item: يمنع الاورام الحارة *Prohibet tumores calidos.* Cui plerique alii adsentientes caphuram frigidam statuunt. Sim. Sethi: ἡ καφουρὰ ψυχρὰ ἐστὶ καὶ ξηρὰ κατὰ τὴν τρίτην ἀπόστασιν. Gregor. Horstius multa quoque hac de re ad Ludov. Hœrniceum perscripsit. lib. II. epist. Med sect. IX. Quidam verò calidam esse existimârunt, inter quos Jo. Fragosus tr. IV. hist. Ind. c. VII, & Sennertus, qui plura argumenta à facili inflammatione, odore, sapore, & partium tenuitate petita adducit in paralipom. ad Instit. XIV. Nam quod Garcias mutatâ sententia, quam prius calidam crediderat, mox frigidam putârit, quia ophtalmiæ & ambustis insigniter prodesse & refrigerare expertus sit, tanti faciendum non est, quanti videtur: Si nempe & plura alia, suâ natura calida, externo tamen usu refrigerantia accuratius considerentur.

Zacutus

Zacutus Luſ. II. Pr. admir. obſ. CIIX. cùm noxiam atque effrenem juvenis cujusdam Salacitatem Caphurâ ſublatam narraret, ſtatim in Scaligerum, qui nihil tale advertere poterat, invehitur, eumque non verâ, ſed adulterinâ, uſum contendit. Ac ſi objectiunculas illas Magiſter ſubtilitatis ipſe non præoccupaſſet, cùm Cardanum adloqueretur: *Dices adulterinam. Hanc tu ipſam prædicas, non aliam. Nec alia uteris quam Venetiis aut Genuâ advecta Mediolanum. Nos eadem, Lugduno aut Maſſilia, ab Hiſpali aut Oſyſipona.* Eodem effugio ſibi conſulere conabatur idem Zacutus III. hiſtor. Med. Princ. quæſt. XXXIV. in temperamentum Caphuræ inquirens: *Caphura legitima frigida eſt, facticia, quæ præſertim ad nos ex India adulterata adfertur, & bitumine infecta, calida eſt.* At quænam illa legitima Caphura? non putamus aliâ Zacutum uſum, quam quæ ad nos ex India adfertur. Hæc autem ipſi calida eſt, non frigida. Quî ergò experimentum ejus ſtare queat? cum Veneris flammas Caphurâ ſe coërcuiſſe dicit. Neque enim ignis igni exſtinguitur, & calor calori additus augetur, non perit. Imò Chriſtoph. à Coſta c. IV. *Caphuram in India viliſſimo pretio venire refert, planeque explodendam illorum opinionem, qui à Rege Sinarum adulterari autumant, cum tamen ſit ex potentiſſimis totius orbis Regibus.* Huic ſanè & copia non apud Indos tantum, ſed aliis etiam in locis repugnare videtur, ut quæ fraudem vix redimat. Elmacinus I. hiſtor. Saracen. c. III. cùm Saadum Ebn Abuvaccaſum Medajinam Coſroæ ſeu Cteſiphonta occupâſſe narrâſſet, addebat: ووجدوا بيتا مملوا كافورا فظنه ولمسلمون ملحا فاستعملوا في العجين فمر الخبز، Erpenii verſione: *Invenerunt & domum plenam Caphura, quam Muslimi rati ſal eſſe, in fermento uſurparunt, unde amarus erat panis.* Schiccardus melius: *in maſſa:* ἐν τῷ φυράματι. Fermentum enim Arabibus الخمير، dicitur &, خمر العجين، eſt *Maſſam fermentare.* Nec co-

pia tantum facit, quo minus bitumine infectam credamus, sed etiam candorem in illa expetitum inducendi difficile artificium, quod dubio procul multum temporis & sumptuum requireret, nî potius omninò impossibile censeri debeat. Id sanè, quod ex Mastiche & Sarcocolla cum spiritu vini & urinæ, ut singulare quidpiam notavit in Miscellaneis suis Mss. Petrus Asselinæus, nec ipsum satis expeditum apparet. Sive tamen calida, sive frigida Caphura tandem judicetur, refrigerandi gratia inunctioni suæ Ebnsina admiscuit, frigidam enim constituit, ut paullò ante dicebamus. Sed nec illi ipsi qui calidam arbitrantur, eandem inflammationibus externis adhibere verentur. De myrrha etiam, quæ sequuntur apud eundem, non aliud dicendum restat, quam quod de aloë supra diximus. Ebnsina tamen præterea: يمنع التعفن *Putredinem prohibet*: Et mox: نافع من الاورام البلغمية *Confert tumoribus è pituita.* Nempe ut supra conjiciebamus, tumor Venæ Medinensis principio exortus non sincerus, sed Serosis ac melancholicis ichoribus excitatus est. Unde & medicamenta non tantum calorem refrænantia, sed putredinem prohibentia eidem admoventur. Particula quoque, ut Grammatici vocant, adversativa, qua Ebnsina utitur, الكافور او المر *Caphura aut Myrrhâ*: hoc quasi innuere videtur, si tumor calidior magis ad puram phlegmonem accesserit, Caphuram, quæ frigida putatur, sumendam esse, myrrham verò, quò magis eâ distet, magisque ichoribus scateat. De psyllii quoque semine, licet res Vulgo sit notissima, Ebnsina noster: بارد رطب في الثانية *Frigidum humidumque est in secundo gradu.* Paulloque pòst: يستعمل مضروبا بالخل على الاورام الحارة والنملة والحمرة وخصوصا التي تحت الاذان

Applicatur contusum cum البلغمية الاذان وعلى *aceto tumoribus calidis, serpigini, & erysipelati, maximè autem tumoribus sub auribus atque etiam pituitosis.* Plempius: *Contussum in aceto:* quod pharmacopœi non intellexerint, aut certè risuri essent. Neque illud: *pituitosis:* aliter verti queat aut debeat. Nisi in Mss. suis non البلغمية sed forsan الفلغمنية repererit, ut *phlegmones* deinde interpretaretur, sensu tamen minus commodo, quia tumores calidos jam ante nominaverat. Postremò & lac præscribit Ebnsina, quod Interpres Vulgatus dulce requirit, nos vim vocis Arabicæ & rem ipsam accuratius expendentes recens *mulctum* vertimus. Nam حلب *mulgere* significat, & الحليب *emulctum*, pro quo Gerardus & Alpagus videntur الحلو legisse, id enim dulce dicitur. Sed & ipsimet ap. Ebnsinam III. sect. X. tr. II. c. IV. اللبن الحليب asperitati vocis commendatum *lac noviter mulctum* sunt interpretati. Quod etsi apud alios auctores promiscui usus comperiatur, in arte tamen nostra aliquantillum referre videtur, quia interdum dulce esse poterit, utut tamen non recens exsistat. Galenus X. simpl. fac. *de lacte:* χρώμεθα αὐτῷ πρὸς πάνθ' ἁπλῶς τὰ παρηγορίας δεόμενα διὰ φλεγμονὴν, ἢ δῆξιν, ἢ κακοήθειαν. *Utimur eo ad omnia quæ leniri postulant, sive ob inflammationem, sive ob morsum, sive ob malignitatem.* Quæ omnia copiosius persequitur J. C. Baricellus opusc. I. de lact. c. IX. Et hæc quidem externa medicamenta sunt. Sequitur internum, *Si verò non doleat, & tamen cum vesica prehendat, tum eandem interdum prohibet aut abigit, laboremq; adlevat, si aloë tribus diebus sese consequentibus, quotidiè drachmæ unius pondere devoretur, aut tribus diebus primo illius semidrachma, altero drachma integra, tertio sesquidrachma sumatur, & ipsi quoque Aloë, aut Orificio ipsius viscosus aloës humor illinatur, quemadmodum & in principio cùm egredi-*

egreditur. Gerardi versio antiqua Venetiis edita pro vesicatione, reddiderat: *Si autem non separetur, sed incipiat cadere*. Interpres Vulgatus errore nequaquam tolerando quotidiè duas, adeòque triduo illo sex drachmas bibi voluit: Nos uti supra monuimus, devorari jubemus, sed unà vice unam tantum drachmam. Hoc enim textus Arabicus expresse dicit, & ex sequentibus colligitur. Aut enim triduo tres drachmæ æquis dosibus sumendæ sunt, aut quasi per gradus adscendendo primo die ʒß. altero ʒj. tertio ʒiß. propinandæ, quæ in summam computatæ itidem tres, non plures, drachmas faciunt. Franc. Pedemontanus tertiâ die ʒij. accipiendas scribit: Verùm nisi hæc fortè typothetæ culpa fuerit, nos hominis barbari auctoritate nihil commovemur, sed Ebnsinam sequimur. Alzaravius, & Abujerichus apud Rasæum quotidiè ʒß. bis deglutiri jubet, quod ab illius sententia non multum abludit, si de triduo, cujus tamen nullam mentionem facit, intelligatur: qua methodo in se ipso EbnMasviam usum convaluisse ex sexto Georgii Medici Indi, & Saporis Regis Persarum sanatione celeberrimi narrabat Rasæus XXVI. Contin. tr. II. c. II. Quod si in pilulas aloë redigeretur, forsan non præter mentem auctoris nostri fuerit: quibus si quis præterea Extr. ⊖. & ♈. Lignorum ac Radicum miscere voluerit, egregium haut dubiè remedium confecturus esset, quando & decoctū sarsæparillæ Guineensibus hoc adfectu familiare prodidit Levinus Hulsius VII. Navig. Batav. c. XLI. à Lusitanis tamen, ut putamus primò acceptum. Potionis tamen etiam formâ nonnulli exhiberi testantur. Franc. Sanchez l. de purg. c. XIV. multis eam in Hispania usitatam commemorat, & Garcias lib. c. II. decoctum fol. aloës à Medico Sultani Badur in Cambaya, ipsamque aloën tusam lacte mixtam in Urbe Goa magno c. successu usurpari vidit, quem imitatus Jo. Bapt. Olivus de recond. Calceolar. p. 7. Verùm insignis illa amaritudo aloën vix bibi permittet: Utut enim alii à potione ejusd. non abhorreant, neque nos juxta cum Claudino II. § II. de ingressu c. IX. ignoremus, Hieram amarissimam in potione vett. fuisse exhibitam, quod de confectione Dialoës ventriculo

culo etiam roborando Galenus adfirmabat VI. San. tuend. VII. hoc enim nomine à Themisone Methodico acceperat, quem cæteroquin toties & tam acerbè insectabatur, notante Vict. Trincavellio in Galen. comp. med S. I. ap. nos Mſ. nostræ tamen ætatis hominibus eam nec ipse Æsculapius persuaserit. Horum utique imitatione infusum quoque hieræ & aloës æquis portionibus in decocto epithymi præscripserunt Augustani nostri pharm. Clas. IIX. p. 118. Sed nemine ægrotantium consentiente, nec reliquis probantibus jam olim in desuetudinem devenit. In adectibus tamen Soporosis & paroxysmis epilepticis pro Vomitorio exhibuit Gasp. Bauhinus de comp. med. c. XXIII. cum ap. tepida, non citra magnam rationem, nec sine successu feliciori, quemadmodum & Guil. Ballon. lib. I. Consil. LXXIII. Decoctum tamen aloës hepaticæ in aq. Chamæmeli, quod Henricus Minsingerus Medicus Eistadiensis experientissimus Nobili Virgini Ludovicæ Enzhoferiæ in Gynæcéo Neoburgico Palatino, Cacochymicæ summaque inappetentiâ laboranti præscripsit, notante in obs. suis & experimentis Mſs. Georgio Livelatico nimis ingratum, neque teneriori ætati & sexui conveniens facilè intelligitur. Nullum quidem dubium purgandi gratia Ebnsinam hunc aloës usum commendâsse, poterant tamen & alii ejusd. scopi fuisse, quos reliquæ facultates docuerint. Nam & dracunculum interimere potest, quem vermem aliquem supra jam probavimus: aut ichores serosos, vesicam & phlyctænam cum tumore procreantes, exsiccare, atque absumere. Quod Galeno IV. simpl. c. propr. ξηραίνειν ἀδήκτως, sine morsu, & quò maximè pertinet externa unctio succi viscosi, quem ex recentis plantæ foliis viridibus (Hispanis suis: *Hojas de Savela.*) dictis, in pila plumbea c. ol. ros. & lithargyrio miscebat Gasp. Caldera lib. de facilè parabilibus p. 325. Unctionem quoque aloëticam, elephantico morbo, sive tumore crurum Varicoso & ulcerato detentis componebat ex aloê, myrrha, acacia, Croco, & vino potenti parumper adstringente Alzaravius tr. XXIIX. Pr. c. XI. Neque omninò contemnendum est Bertapaleæ monitum, qui in aloës locum pilulas supponit, quas officinæ comunes & pestilentiales appellant, ab Ebnsina

sina nostro IV. sect. I. Serm. IV. c. V. descriptas, ex aloë, croco, & myrrha componendas. Magnam enim vim obtinent non tantum necandis vermibus, sed etiam resolvendis, siccandis, & à putredine vindicandis humoribus vitiosis. Quod cùm vidisset Paracelsus, mox eas in gloriam suam, ut plurima alia à vett. accepta levi quodam additamento convertit. Nam liquorem tantum sulfuris, quem quidam spiritum vocant, materiæ adfudit, pro quo deinde etiam alia metallicorum corporum aceta nonnulli subrogârunt. Unde accedente digestione Eliksir (sive ut Vulgus Sono, non literis intentum scribere solet) Elixir nobis destillabatur, etiam, ne quid deesset, proprietatis nominandum, tanquam id ob singulare quandã proprietatem in omnibus adfectibus tam calidis, quã frigidis tutò exhiberetur. Adeò ut Elikfir hoc, quantũcunq; extollatur, non aliud tamen esse censendum sit, quam extractum pil. communium paullò liquidius, & à quo menstruum, ut Chemici nostri vocant, nondum sit separatum. Ipsum certè nomen ab Arabico كسر i. e. *frangere* deductum, quemvis pulverem philosophicum, aut quamvis rei substantiam meliorem, tanquam comminutione elicitam denotat, ut ideò nimis absona censenda sint, quæ nonnulli ex Hermete Ægyptio suppositicio de Xir, tanquam materia, in Ixir, præparatione redacta adferunt, quæ denique fermentatione elixir fiat. Nec enim alium auctorem habent, quam ineptissimum novissimumque tenebrionem illum, qui nullo nomine se veterem philosophum in theatr. Chem. volum. V. à Jo. Jac. Heilmanno edit. venditans tres libros de consilio conjugii sive Massa Solis & Lunæ inscriptos ex Lingua Arabica in Latinam translatos ajebat, cùm tamen p. 482. Gratiano cuidam hoc ipsum acceptum referat, & multos recentissimos alios Germanos, Italos ac Gallos dictorum testes adducat. Eccrisin Rufi vocabat in Catholico suo Secreto Bernardus Paludanus cujus descriptionem alio loco inter Chiliades nostras curationum Med. proferemus. Hoc primus omnium observavit Andreas Tenzelius in exegesi Chemiatrica p. 501. qui pil. Rufi, elixir

elixir impræparatum, & elixir pilulas Rufi essensificatas appellabat. Quas tamen voces cùm nuper Grammatici quidam tantum auribus excepissent, mirum dictu est, quantam oborta nauseâ bilem exscreârint. Jam olim verò multa similia remedia antiqui usurpârunt. Vinis peccaturis aloën, myrrham, & Crocomagma confectioni ex absinthio, gummi pineo, & fœno Græco addebat Palladius inter veterinarios Jo. Ruellii curâ editos lib. XI. c. XIV. Hierocles autem omissâ aloë, casiam & Cinamomum substituebat, lib. I. c. V. Eumelus præterea juncum odoratum adjiciebat, eryngium, & piper album: Mago Carthaginensis spicam nardi cum hydromelite, c. XXVII. & propotismati, quo salivatur equus, ex Croco, myrrha, aloë, iride Sampsucho, & hyssopo, Pelagonius admiscebat Irin & tus, in potione scilicet mordentium sævitiem refrænante lib II. c. CXXII. At is, qui Hildegardis personâ fallendis credulis & incautis latere voluit lib. III. c. IX. tuendæ sanitati etiam collyras farinaceas parabat, aloë, myrrha, & Caphura inditis cum succo lactucæ agrestis, quam Oribasius I. simpl. XVI. hieracium appellabat. Vegetii quoque potio Cathartica diapente, ex myrrh. gentian. aristoloch. long. baccis lauri, & eboris scobe. I. Mulomed. cap. X. & LXIV. additâ etiam Savina auctior c. XVII. minimè contemnenda; altera tamen c. XIV. ex aloë, centaurio, & opopanace, in decocto radic. ebuli c. vino propinata hominibus ut illa jumentis, aptior videtur. Nec omittenda potio Scribonii Largi ad renum, jecinoris, & lienis tumores ac dolores, & iis, qui mali coloris propter hæc vitia exsistunt, summè utilis, ex Croco, Nardo Indica, Casia, Costo, Cumamo, (i. e. Carpesio, pro quo tamen Rhodius, Cinnamo, substituebat) myrrha, & melle, ex vino mulso exhibenda. Sola enim aloë, haut dubiè propter amaritudinem, prætereita, reliqua cum dictis satis pulcrè conveniunt. At Alzahravius Pr. tr. XXIIX. c. II. ad Elephantiam pedum laudabat aloën, myrrham, crocum, & acaciam, c. vino solutam, in potionem redigit, Elikſiro proprietatis simillimam: à quo nec multum abest Diaphoreticum Paracelsi ad anthracem lib. III. Chirurg. min. c. II. descri-

descriptum ex vino, theriaca, myrrha, croco, Zinzibere, & pipere commixtum, quod præsenti negotio aptissimum videtur. Quemadmodum & potio Cosmiana Marcello Burdegalensi Empirico dicta c. XX. ex Dauci & alterci semine, ture, myrrha, & croco. Nam & hyoscyami sem. vermes necari satis constat, ejusque suffitu sæpè ex dentibus cum saltu expulsos vidimus. Hac operosior est antidotus Cosmi, cùm multis aliis adfectibus conveniens, tùm etiam lumbricis ejiciendis utilis, quæ ibidem habetur, atque heic etiam adhiberi posset. Nec minor posteriorum circa id ipsum cura atque molitio, unde tot aliæ correctiones atque interpolationes ortæ. Inprimis circa liquorem magna dissensio subnata est: Unde illa Helmontii verba, tr. de arb. vitæ p. 635. *Juxta præscriptum Paracelsi non succedere, quod tria simplicia, crocus, myrrha, & aloë vitro conclusa paucas saltem liquoris lactei guttulas, paucasque olei subpallidi intra biduum, totidemque post bimestre præbeant, non sine manifesto empyrevmate, aut vasis ruptura, si fortiori igni urgere quis conetur. Adfusum autem liquorem quemcunque rem nihili habendam, quia Paracelsus liquoris, ut vocant, Alkahest additamentum subticuerit.* Et p. 626. de arcanis Paracelsi, non vanam quidem ejusd. spem aut fiduciam adserebat, nisi errâsset, & medicamentum potius per arborem vitæ confecisset. p. 458. inter Schediasmata imperfecta, *commiseratione se mediam viam expositurum* ajebat, *species vitro Hermeticè conclusio absq; ulla additione, circulando, ut vocant, in oleum clarum convertere atq; postremum adfusa aq. Cinnamomi destillare* docebat. Nimirum Paracelsus ipse in fine IIX. Archidoxorum, *oleum in vase Circulatorio elicitum* (quod vulgo Pelecanum à qualicunq; similitudine appellant.) *cum Circulato suo per mensem philosophicam digerebat*. Quod cùm plerisq; obscurũ, ut multa alia, non satis intelligeretur, dictu profectò mirum est, quanta cogitationum atque inventionum varietate plerique sibi certandum existimârint. Fuerunt enim, qui vini laticem subtiliss. accipiendum putarent. Alii præterea acidos quosdam minerales, inprimis sulfuris adfuderunt. Quem sanè jam olim Billichius

lichius eundem cum Chalcanthino ostendit, & haut ita pridem Michaël Crugnerus Ver. Chem. c. III. Spir. ⊕-li. ♁eum, ⊕-♂, & ⊕-♀, nullo discrimine insigni differre verè pronunciavit, cum omnes de ♁ei natura participent. Horum ergò quemcunque cum vini latice permixtum & artificioso calore digestum acetum deinde principale circulatum vocabat, extractionibus seu eliksiriis aptissimum, quæ cuivis adfectui convenientibus plantis elicita cum altero illo proprietatis Paracelsico communi sociabat. Tenzelius Sect. II, Exeges. Chemiatr. p. 690. Spiritum Terebinthinæ & ol. Caryophyllorum aut Nucis aromaticæ sumebat. Alii menstrua universalia & summa mysteria crepabant, inter quæ non ignobile Theophili Montani, quo nomine Gasp. Scioppium Thom. Bartholinus Cent. I. epist. LXVII. designabat. At cùm ejusmodi spiritus plerosque acriores, minus idoneos alii arbitrati essent, succos plantarum nonnulli non absque successu substituerunt, iis præcipuè adfectibus, quibus calidiora nocere comperta: Tale Eliksir cum succis Sennertus gangræna scorbutica laboranti V. Pr. part. II. c. XIX. præscripserat, cujus formulam, quia nec ipse, nec quisquam alius, quod sciamus, publicè proposuit, subjicere operæ pretium judicavimus: Accipit autem Succorum recentium Intubi, Cichorii, borrag. singulorum sesquilibram, aloës optimæ quatuor uncias, Eliksiris vulgaris sesquilibram, atque commixta omnia simul deinde digeruntur. Dresdenses in officina Electorali non vini laticem, sed vinum ipsum Malvaticum, pulveribus rhabarbari accessione auctis adfundunt, factaque cum spir. ♁is digestione menstrua per chartam denique emporeticam trajiciunt. Neque absimile eodem vino Arvisio paratum & spiritu ex ♁. atque ærugine destillato acidulatum proponit Guernerus Rolfincius differt. Chem. II. c. XV. & nostrates quondam c. Spir. ⊕-j paratum à ℥ij. ad ʒvj. exhibebant. PP. Vuranovienses Gabriel Lieffrous, & Franciscus Talbertus cum aq. Nitri destillata conficiebant, indicio Volfg. Hœferi IIX. Hercul. med. c. IV. quemadmodum & alii nonnulli ipsum liquorem Alkahesticum ex ⦶ eodem parare conantur. Neque spernenda

aut reticenda heic Tinctura proprietatis Hadr. Minsichti Sect. II. thes. & arm. sui Chem. proposita pro qua tamen omisso vini latice anisato, Elicsir ipsum frequentius adhibemus adfusa ex tempore aquâ Cinnamomi, & succo Cermesino, loco confectionis addito, medicamentum paramus efficacius pariter, & tutius, & jucundius. Nam, ut ingenuè dicamus, circulatio illa ejusdem sine ullo liquore vanissima videtur, neque oleum dat, inprimis ex croco, cui deinde aqua Cinnamomi addi possit, ut sanè rectius facturus fuerit Josephus Donzellus Baro Doliolanus & Archiatrus Neapolitanus, si in theatro suo pharmaceutico Dogm. Spagir. p. 453. nostro aut simili quodam modo Tincturam seu Eliksirum proprietatis præparandum statuisset, quando certissimum putamus calore exiguo nihil omninò ex tribus illis simplicibus elici, vehementiore autem omnia aduri, atque ἐμπύρευμα ingratissimum contrahi. (De quo sententiam nostram suo quondam tempore nullius odio aut obtrectatione, nec etiam amore aut imitatione, liberius proferemus.) Helmontianum album descripsit Illustris Rolfincius Chim. in art. form. redact. IV. sect. II. c. VI. correctum Michaëlis Schonii Archiatri Coburgici c. IIX. cum Ess. absinthii mixtum c. IX. anthypochondriacum & Scorbuticum c. X. purgans etiam c. XI. Cui non valdè dispar aliud nobis commendatum cum Spir. ⊖ ♂. addito Infuso Cathartico radic. polypod. Cortic. tamarisci, radic. Cappar. H. Chamædr. Cochlear. fol. Senæ, rhabarb. opt. radic. helleb. nigr. Cortic. Citr. Zedoar. Galang. fl. borrag. bugloss. in vino Monembasiaco. Nec aliud dubio procul, quam acidus aliquis spiritus metallicus, fuit, quo C. D. Maets Medicum Ultrajectinum, Eliksir suum proprietatis, tanquam singulari menstruo, parare solitum nuperrimè commemoravit Arnoldus Doudius, dùm ipsi Chemiam Feburei Gallicè recusam dedicaret, ut certè id nôsse nostra parum referat. Postquam quæcunque in talibus arte confieri possunt, & quidquid Natura aut ferre, aut suppeditare potest, ni fallimur, jam dudum non ignoramus. Sunt etiam ex recentioribus nonnulli qui spir. sive liquorem à terra ♀j. foliata adsumunt,

ſumunt, unde nos Elixir propr. Geophyllicum ſolemus appellare. Quæ ſanè omnia huic adfectui egregiè convenire poterunt, inprimis autem viperinum Jo. Bapt. Spuntoni Echidnelog. c. VII. ſi modò ritè præparatio inſtituatur, quæ vel ſale ejusdem addito vel ſpir. commodiſſima videtur: quâ ſanè intentione ſal quoque theriacale, quamvis non valdè magnificâ arte confectum, quibusdam olim ſummoperè commendatum erat ex viperis aqua marina enectis, & deinde cum ſale marino condîtis additisque foliis aloës, raphani, & hellebori nigri, in olla exuſtis. Rudiori utique præparatione, qua tamen fortaſſe vix meliorem nonnulli adhibent, qui tantis clamoribus & jurgiis ſe efferunt, τοῖς ἐξ ἁμάξης λοιδαρησάμενοι ut loquitur Syneſius epiſt. LXXIX. Nec multum ab iſto differunt, pilulæ ex pulvere viperino & Opobalſamo Orientali, quas Franciſci Barberini Cardinalis quotidianis experimentis arcaniſſimas, olim nobis Romæ mirificè commendabat Illuſtriſſimus Ep. Caſſianus à Puteo, nunc etiam in vulgus notiſſimas, ſi modo aloe adjiciatur. D. Cynthii inventione primum compoſitæ, Urſinæ etiam dictæ, quod Cardinali Urſino familiares fuerint, à quo deinde Barberinus accepit. Convenientiſſimum quoque ac utiliſſimum fuerit Elikſir peſtilentiale dictum Tychonis Brahæi, ex Eſſ. Theriacali, Tinct. 🜍is, Extr. Angelicæ, 🜔 abſinth. & Eſſ. ſuccini ipſiusmet epiſtolis deſcriptum ad Rudolphum II. Imperat. & Henric. Ranzovium in Ciſta med. Th. Bartholini loculo X. & Claſs. XX. nec non Joëlis Langelotii Archiatri Holſatici, deſcribente ap. eund. Cent. II. epiſt. XLII. Henrico à Moinichen. Deſtillatum quidem empyrevmate redolente ingratum verè pronunciabat Chriſtianus Langius diſp. de eod. in curioſ. Med. §. XXII. ſed dum per fermentationem ſolam absque ullo additamento parandum reſolutisque omnibus demum circulatum addendum ad mentem Paracelſi adfirmabat, non ſecus, ac reliqui omnes, obſcurius rem egit. §. XXXII. & XXXIV. nominibus tantum magnificis curioſos oblectans, propter quæ vadimonium deſeri queat, qualia ſunt, aqua Pontica, Azot, ſolvens univerſale, lympha benedicta philoſophorum, nympha ſapien-

tiæ, Essentia Mercurialis philosophorum, & succus Lunariæ §. XXXVI. quod album §. XLII. felicius, quod cum spir. Cephalico, & acido Mercurii confectum §. XLII. quemadmodum & anti-scorbuticum D. Jo. Michaëlis & alterum cum Tinct. Bezoartica paratum l. c. Quò sanè & Pseudo Hermetis illud secretum, referri queat, quod Halidus lib. de Alchemia tot encomiis effert ex sulfure & hydrargyro confectum parum discrepans à spir. ⊕-i philosophico vulgò dicto, qui ex residuo liquore in præpatione rosæ Mineralis sive mercurii vitæ per destillationem colligitur, quod l. c. tantis elogiis efferebat خل هرمس ، وخل جميع الحكما ، الما الحلال المسمـــى بما الحياه ، نار جامد ، ثلـج بارد ، كبريت محلول ، زيبق معقود كالدرة البيضا ، سر الحياه ، *Acetum Hermetis & Acetum omnium sapientum? Aqua solutionis, quæ dicitur aqua vitalis, ignis congelatus, Nix frigida, sulfur dissolutum, Hydrargyrum fixum ad instar unionis candidi, & arcanum vitæ.* At quæ nuperrimè Jo. Joachimus Becherus lib. I. Physic. subterr. sect. III. c. IV. de liquore hoc alcahestico dicto commentatus est, experientiæ judicio aliquando stabunt cadentve, ut quem à philosophico Mercurio diversum putabat: quemadmodum & illa omnia, de tribus terris principialibus in speciem novissimè excogitata, vetera tamen sunt, & principiorum hypostaticorum nominibus multò aptius jam olim ab aliis exposita. Quin etiam pil. ipsas seu Rufi seu Ebnsinæ, seu etiam Plateri pestilentialium nomine cognitissimas & Venæ Medinensi, & vermiculis capillaribus, atque lumbricorum quibusvis generibus depellendis efficacissimas, diversis variorum Medicorum additamentis, nec semper contemnendis ad auctas, nemo facilè refragari poterit. Tales autem Ponzetti Cardinalis, & Augustini Niphi nomine nobilitatæ, immixtis sem. Citriorum cum Cortic. myrobalanis Cabulen-

bulensibus, bolo Armena, succino, Xylaloë, Caryophyllis, quibus olim Achill. Gasserus Augustæ utebatur. Tales etiam Caroli V. Imperatoris famâ celeberrimæ additâ theriaca, rad. genistæ, Zedoaria, & Caphura, inter experimenta Isaaci Schalleri Medici sollertissimi Ms. & simpliciores vulgo ubique receptissimæ Immanuelis titulo, adjecto tantum Mithridatio, superbientes. Pil. item juventutis, rhab. mastich. Xylaloë & visco querno additis, Vurahoroskio: Pannonio Ferdinandi I. Rom. Regis & Imper. Medico familiares, quod juventæ gratiam servare crederentur. Eurycii Cordi Marpurgensibus usitatæ tr. de hydropyreto, admixtis Coriandro, tormentilla, Sem. Basilici, Sandalis, Coralliis, aliisque alexipharmacis, quorum non tantum in morbis pestiferis, sed etiam vermiculantibus quibusvis insignis usus innotuit. A quibus cùm parum differant Scordiatæ Gasp. Marcuccii Med. Lucensis tr. Ital. de viribus Scordii, adjecto ejusd. succo etiam præstantiores videntur, & Caphuræ momento auctiores frequenti quondam usu Gasp. Guetmanno Poliatro nostrati approbatæ sunt. Giessensibus quoque CIↃ IↃCXXVI. omninò similes expertæ, adjecto tamen etiam ammoniaca lacrumâ. Pestilentiales item Vladislai Ungariæ Regis, additis communibus Mastiche & bolo Armena præparat. in membranis Jamischii Rechembergii ap. nos Mss. Pil. puoque Nicol. Furnarii Genuatibus usitatæ additis myrobalan. & troch. agarici ap. Jo. Vigon. V. Chirurg. compend. Pr. qui de auxiliis. Et pil. Dialoës Rulandi tam diu quondam præter omne suum meritum celatæ, ex croco, myrrha, aloë & mell. ros. Dacrydio admixto, experientia Georgii Masbachii comprobatæ in adversariis ejusd. Mss. Flores quoque 🜍is compositi Chemicis nominati ex eadem materia, qua pil. Rufi, constant, adjecto tantum 🜍e ipso sublimato; Nam solam mixturam simplicem, ustoriæ destillationi Billichius, & Zach. Brendelius in Chim. art. form. redact. meritò prætulerunt. Ex Cedro, balsamo, myrrha, & aloë, quas Coccias suas vocabat Hieron. Fracastorius III. de contag. II. Croco autem substituebat Cinnamomum Julius Palmarius de febr. bestil. c. XII. Inter

antiquiores etiam Aſclepiades ap. Galen. V. comp. med. ſ. gen. c. XI trochiſcis ſuis ſive paſtillis, ulceribus etiam internis, phthiſicis & cœliacis utilibus præter myrrh. aloën & Crocum, cyſinos quoq; chalcanthum, & alumen ſciſſile indebat, cum Falerno conficiens: quāvis, ne hoc quoq; prætereamus, Aldina edit. Græca Ariſtarcho Tarſenſi adſcripſerit, locoq; aluminis ſciſſilis, *στυπτηρίας σχιστῆς*, repoſuerit, *χλωρᾶς* i. e. viridis, quo nomine niſi *ὑπόλευκον* Dioſc. V. 123. intelligere debeamus, *ἔχει δὲ ποσὸν ὠχρότητος ἅμα καὶ λιπαρίας ἔχουσαν.* i. e. *candido propius, palloris nonnihil cum pinguitudine præ ſe ferens:* at ſaltem ejusd. *πρόσφατος*, i. e. *recentiſſimum* ſubſtituemus, quando id quoque nominis de quibusvis recentibus Græcis ac Latinis ſcriptoribus uſitatum eſt. Hiera quoque Lamponis Peluſiotæ, quam apud Galenum IIX. de comp. med. ſ. l. c. II. inter Polychreſta commemorat, Andromachus, ex aloë, myrrha, croco, maſtiche, Cinnamomo, calam. arom. caſia nigra, Xylobalſamo & Schœnantho conſtabat: quam tamen alii verius Alephanginis dictis ſimiliorem arbitrantur ab Ebn Maſvia mutuò acceptam, ac pil. communibus, qualis quondam noſtratibus Cyriaci Vueberi nomine familiares ſine cura uſurpari ſolitæ multis fortaſſe aliis præferendæ, ſi ritè conficiantur. Neque ab re videtur, quod de Ægyptiorum Panacéa Kircherus adnotavit tom. II. Oedipi Ægypt. part. II. claſſ. IX. c. V. Ebn Rodohami auctoritate uſus, cujus librum de Med. Ægyptiorum Arabicum ſæpius adducit. Hos enim, ut in plurimis aliis, ita hac quoque in re plerique æmulati ſunt, ex iisdem ſcil. quibus cadavera condiebant, ut à putredine immunia eſſent, conficientes, balſamo nimirum, myrrha, aſphalto, & mumiis ipſis, additis pro diverſo ſcopo Cardiacis, hepaticis, Cephalicis, atque inprimis auro Chemicè reſoluto. Cæterum quod Ebnſina noſter etiam tumori ejusve orificio humorem aloës viſcidum illinere præceperit, ſupra jam tetigimus, atque in plagis orientalibus, ubi copioſè provenit, ex recenti facilè fieri poteſt. Quamvis enim Dioſc. III. 25. aloën in Arabia & Aſia *οὐκ εὔχρηστον εἰς ὀπισμὸν* naſci tradat: ad *χυλισμὸν* tamen recens planta ſemper eſt idonea. Et Garcias quoque in India

dia folia ejusdem maturandis inflammationibus usitata refert. Quanquam heic etiam singulari facultate, & amaritie vermibus contraria prodesse possit. Sic enim Actuarius VI. meth. med. IIX. *Vermes qui in ulceribus generantur, & qui vocantur dracunculi, quæ amara, acriaq; sunt, perimunt.* Aëtius tamen acria excipit: *Locus aqua mulsâ & oleo, in quo absinthium aut abrotonum coctum est, aut alio quodam ex his, quæ ad alvi lumbricos descripsimus, irrigandus est: omnia tamen acria vitanda.* Rectissimè: Nam & Ebnsina noster, ne ulcus depascens fiat, acribus abstinendum opportunè infra nos monebit. Unde nec aloën cremare opus, nec veratrum melli tosto admiscere commodum, quod Hollerius II. de mater. med Instit. Chir. II. proponebat. Ubi & alia videre est, quæ decocta fotuque adhibita admitti poterunt, ut polium, absinth. nuclei persic. Centaur. min. persicaria, calamintha, marrubium: ap. Gerardum autem Bututum gloss. in Constant. Afric. VII. Viatic. XV. folia ebuli, sambuci, lapathi, ligustici, & fœniculi, quibus & maturationem adjecto butyro, melle, & Dialth. promovebat.

Cataplasma quoque Matthiæ Naldii l. sæpius jam c. ex farin. lupin. orobi, lentium, myrrh. aloë, Croco, & ol. absinthii, nec non oleum ex fol. absinth. abroton. matricar. sem. acetosæ, Santonici, & ol. Laurin. compositum, satis commodum, contemni non debet, etsi ipsum adfectum nunquam vidisse aut curasse ex scriptis illius satis appareat.

Nimirum quæcunque vermibus inimica sunt, etiam dracunculis adversantur. His autem externa accensenda, quæ olim Pamphilus Alexandrinus apud Galenum ἐφιόνικα appellabat proœm. lib. VI de simpl. med. fac. ut huic auctori fictum Concheis nomen restituit Illustris Lambecius Comm. lib. II. de August. Bibl. Cæs. c. VII. dummodo septica non fuerint, ut dicebamus. His tandem omnibus addamus, quod Petrus Borellus I. observ. XXIIX. protulit vermes nempe Indorum, Afrorumque, lactibus ex ventre draconis piscis sive Scorpii marini percurari. Nihil enim ad rem fecerit, quia nec draco marinus cum scorpio confundi debuit,

buit, nec ipse modus utendi satis expositus aut experimentis cognitus est, nisi quod cinerem capitis venenis omnibus resistere Guil. Rondeletius notârit. At Venæ Medinensi rarius malignitas conjungitur.

CAPUT XII.

POstquam ergò curationem per medicamenta tam interna, quam externa instituendam exposuimus, nunc etiam de Chirurgia aliquid dicamus. Hanc verò auctoris nostri indicio triplicem facimus, extractione scil. suppuratione, & incisione peragendam: quas ordine videbimus. Sic enim Ebnsina: *Sin autem isthæc eludat, jamque prodierit, tunc convenit ei præparare aliquid, cui adligetur, & supra quod blandè & paullatim convolvat, ita ut usque ad finem sui absq; disruptione exeat.* Quæ omnia facilè intelliguntur. De instrumento tamen tractorio res minus aperta est. Pergit enim: *Optimum est plumbi frustum supra quod convolvitur, idq; justi ad trahendum ponderis fiat: Tùm extrahatur leniter, ne abrumpatur.* Idem & Aali seu potius interpres ejus Stephanus his verbis docet: *Et si ea quæ exivit quantitas cum blumbi frusto ligari potest, ut illud suscipiat, utile, ne retrahi possit.* Paulus etiam Ægineta loco sæpius laudato inquit: διό τινες μὲν φασὶ χρῆναι μολύβδιον. ἐξαρτᾶν μὲν τοῦ δρακοντίου. ἵνα μὴ ἀθρόως ἀλλὰ κατὰ μέρος τῷ βάρει τοῦ μολυβδίου ἡ ἀπόπτωσις αὐτοῦ γένηται. Janus Cornarius vertit: *Quapropter alii plumbeam molam ex dracunculo suspendendam esse dicunt, ut ne acervatim sed particulatim ex plumbi mole delapsio ipsis fiat.* Quæ omnia generalius præscripta sunt. Nos pondus & figuram μολυβδίου hujus, de quo Ebnsina nihil definiit, ex aliis eruamus. Alzaravii sententia barbaro interpretis sermone sic habet: *Sed si de eo jam aliquid exierit, non valet ingeniatio, nisi ut attrahatur, si est parva, quousque egredia-*

tur

tur tota, et si est longa ligetur in extremitate ipsius arundo plumbea, cùm pondere ℥j. & deducatur in ipsum quidquid exierit de eo, & caveat ne vena detruncetur. Leonardus Bertapalea plumbum longum unius vel ad summum duarum drachmarum pondere, styli formâ, describit. Et ante illum Gentilis idem pondus proponens, formam tamen non tetigit. Uterque ex Abulcasimi mente l. jam sæpius c. cujus hæc verba interpres impolitior adfert: *pondus sit ex* ʒj. *Keil usq; ad* ʒij. Quid sibi hoc Keil velit, minus clarum apparet. كيل enim de mensuris tantum aridorum accipi solet, non de ponderibus: quamvis hæ quoque ad illa reduci queant: ut sensus sit *à* ʒj. *mensurali usq; ad* ℥ij. progrediendum. Nec enim *Keilati* quod quidam sic vocant huc pertinet, cùm vox Græca ab interpretibus corrupta sit: قوطولي *Cotyla*, quæ apud Ebnsinam سبع اواقي septem Unciarum est: quo tamen nomine Hieron. Mercurialis II. de compos. medic. c. II. τέταρτον ἢ ἡμικοτύλιον Græcorum insigniebat, & Cotylam integram Ebnsinæ, *Korbonich* dictum adfirmabat: quod longius à vero abesse satis manifestum. Hinc enim Cotyla media Mystrum majus vocatur trium unciarum مسطرون الكبير ثلث اواقي Mystrum autem minus est Concha Græcorum sex drachmas continens مسطرون الصغير ست درخميات quæ tamen alio loco commodius explicari poterunt, quia nemini hactenus animadversa ex omnibus quicunque de mensuris & pond. scripsêre. Armenicâ linguâ Cylindrum hunc plumbeum داويان ارغياي dicere possemus Hebræis; מעגילה sive ex ligno, sive metallo, aut alia materia confectus

ctus fuerit. Franciſcus Pedemontanus arundinem ſeu cannam parvam plumbeam, quæ ℥j. pendeat, requirit: qua ratione non tantum gravitate dracunculum citius proditurum, ſed partem etiam egreſſam eidem circumvolvi & adligari poſſe putat. Figuram ergò teretem, iſti omnes commendant, & res ipſa commodiſſimam perſuadet. Non tamen iccircò arundinem, medio excavatam, faciendam arbitramur. Quin potius hoc inſtrumentum cylindrum plumbeum aut μολύβδιον κυλινδροειδὲς appellabimus. Quod ſi quis tamen ex Mſ. Alzaravii Codice (qualem figuris appictis τὸν πάνυ Golium CPi. vidiſſe refert Jo. Henric. Hottingerus Analect. diſſert. VI. in Bibliotheca fortaſſis aliqua latitante nos meliora docere poterit, ejus judicio promptiſſimè adquieſcemus: & ne id facere gravetur, vehementer rogatum cupimus. Tabellam quidem plumbeam apud EbnJezlam direct. morb. tabul. particul. VII. §. I. interpres reddidit, qui idem cum Gerardo videtur: quam λαμνεῖαν μολύβδιναν vocat auctor Gynæceorum, quisquis fuerit, qui Moſchionis nomine circumfertur, c. CXXXIIX. quæ eadem eſt cum lamina plumbea Latinorum, ſed renum tantum regioni refrigerationis gratia applicanda, nam & Geſnerus jam olim librum illum à Græculo aliquo ex Latina Lingua converſum ſuſpicabatur, hac ipſa vocula cum aliis pluribus permotus, quomodo & Hebræorum *faſcia Saturnea* פתילה, שלאבר : in Sanhedrin fol. LII. accipienda. Parum certè intereſt, ſi ponderis tantum ratio habeatur, non item ſi circumvolutionis, cui tetragona & tetraëdra corpora minus ſunt idonea, quam teretia, & plana rotunda iterum minus quam ſolida oblonga. Commodior utique tabella aliqua compreſſioni, quam EbnZohar II. c. XX. propoſuerat. Validiori nempe conſtrictione, quemadmodum & ganglia curantur. Aut etiam refrigerandi, ſiccandi, & acrimoniam retundendi gratia, quo ſcopo commendari Jo. Colle arbitrabatur. Comm. in l. c. Pondus etiam ad diverſam Venæ Medinenſis craſſitiem aut robur, Medici ſollertiâ & ingenio variandum cenſemus, ideoque nihil ab Ebnſina determinatum ſuſpicamur; Qua ideò in re exercitationem atque experi-

experientiam plurimum posse credimus, quamvis eadem utpote in rarissimo morbo apud nos, tantùm non omnes hodiè destituantur. Cui addamus, si modò à vero non abhorreat, quod Cartesius part. II. epist. CXV. sibi expertum narrat: *Cylindros, qui longiores fuerint, eò celerius descensuros*: Figuram quoque istam, præter convenientem gravitatem in tractoriis observari posse. Nos quædam heic depingi curavimus, non quod vel necessaria crediderimus, ut cuique obtrudere satagamus, sed ut his ipsis, (ceu lusu quodam ingenii) aliis ulteriorem cogitandi ansam daremus. Inter quæ hemicylindria non tantum simplicia, & annulata, pro lubitu conjungenda, & constringenda ut iis dracunculus extrema sui parte captus, obvolvi queat: sed etiam ad Collabi effigiem concinnata, & vertibula trochlearia, Ligna item turbinata, quorum iccircò tractio βεμβικισμὸς dici queat. βέμβηξ ἢ βέμβιξ Hesychio ῥόμβος, στρέβλα, δίνη, ἡ συστροφὴ ἀνέμου. *Rhombus, lignum nauticum, vertigo, turbo ventus* στρέβλαι ναυτικαὶ. τὰ ξύλα τῶν νεῶν, ἐν οἷς διασφηνοῦνται γομφώματα. *Ligna nautica qua infixa illis incuneantur.* βέμβιξ, ὁ ξύλινος στρόμβος Scholiastæ Aristophanis in σφήκας. βεμβηκίζωσις, διακίνησις. βέμβηξ ἐργαλεῖον, ὃν μάστιγι στρέφουσιν οἱ παῖδες, ἢ παίγνιον τῶν παίδων ὡς τροχὸς, ὃς μαστιγούμενος στρέφεται. *Instrumentum, quod scuticâ circumagunt pueri, sive ludicrum puerorum, sicut trochus, qui scuticâ circumagitur.* Non trochus ipse, sed trocho similis, *torto volitans sub verbere turbo* in VII. Æneid. ap. Virgilium, illum enim ex vetustissimo monumento, quod hodieque ad viam novam mediam dictam ante ingressum pontis conspicitur, circulum ex metallo, addito annulo tinnulum, in monumentis patriis Augustæ Vindelicæ perquam egregiè delineavit & exposuit Illustris Marcus Velserus noster Inscript. XXII. quo illud Martialis ad oculum subjicitur lib. XIV. epigr. CLXIX.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Cui nos istud quoque ex conjectura nostra addimus, cùm trochus in marmore jam dicto minor appareat, quem puellus elatâ manu

aut versare, aut jacere videtur: fuisse haut dubiè etiam majores, gravioresque, quos pueri adultiores circumagerent, nec enim aliud sibi vult alterum ejusd. epigr. CLXIIX. l. c.

Inducenda rota est, das nobis utile munus,
Iste trochus pueris, at mihi Canthus erit.

Nec enim Josepho Scaligero, summo cæteroquin viro adsentiri possumus qui epist. CXLIV. non trochum, sed nescio quid aliud putabat, quod ipse edicere verebatur, ingentem circulum appellans, quem radio in triviis agitarent, ut Batavorum in urbibus fieri soleat, quamquam mox etiam adultioribus in palæstra id exercitii adsignet. Nulla sanè antiquitatis fide, quâ nemo pueriles ejusmodi lusus in balneis & gymnasiis veterum ostendere potest, quemadmodum & alterum de radio, quo trochym actum suspicabatur, nobis nequidquam verosimilè videtur, quia haut dubiè manu tantum impellebatur. Sunt etiam qui ligneum cylindrum plumbeo præferant, quod ex historia apud Amatum Lus. Cent. VII. cur. LXIV. conspicuum est, cujus jam aliquoties meminimus, sed quia de hoc adfectu in universa Medicina unica literarum monumentis consignata legitur, integram huc transferemus: *Æthiops, maris præfecti servus, juvenis XIIX. annorum, cùm primùm ex Memphi Ægypti celebri civitate Thessalonicen advectus esset, illicò de cruris dolore conquestus est, in quo juxta talum primò ulcus excitatum est, in quo venæ modo caput conspiciebatur, quod advertentes Turcæ morbum cognoverunt, periculosum esse in Ægypto & India, ac reliquis regionibus, quibus innascitur, significarunt, quæ Arabes præcipuè Avicenna, Venam Medenam, fen. 3. libri 4. appellari tradit, veluti Avenzoar, & cæteri hujus doctrinæ homines, quibus morbus hic satis cognitus & familiaris erat: pro cujus curatione accersitus Medicus Parahyas linguæ Arabicæ doctus, ita orsus est. Primò debitâ victus ratione proposita partem extremam venæ aut verius nervosæ cujusdam substantiæ* subtili ligno *alligavit, quam paullatim ligno* trahebat, rotabatve, *adeò ut ad ejus ultimam partem, h. e. ad trium cubitorum longitudinem post multos dies pervenerit.*

Unde

Indi Dracunculos ligneolis ex tibijs educentes: et per æstatem in Lintribus aquiminarijs dormientes. Pag. 309.



Persarum Chirurgia, dracunculos extrahendi.


Unde Æthiops à doloribus & angustiis, morbove ipso liberatus est, nullo supra posito Cataplasmate concoquendi vim habente, aut calida superfusione aliqua, quæ ex Sorano & Leonide ultimis verbis libri IV. suæ Medicinæ huic morbo auxiliari tradit. Modum ipsum ligneolo convolvendi satis pulcrè expresserunt Jo. Theodorus & Jo. Israël de Bry fratres Germani part. II. Indiæ Or. à Teucride Ænæo Privato Lonicero ex aliis per compendium descriptæ figur. VI. inter illas quæ Francofurti CIↃ IↃXCIX. adnexæ prodierunt, qua simul Indorum ædificia inspicere licet, extra salis exstructa, suprema contignatione plana, foramine uno satis amplo, aëri lucique hauriendæ pervia, atque ut per calores regioni proprios, & maximè æstivos noctu in lintribus dormiant: quam inde desumptam heic addiximus. Addidimus præterea ex Itinerario Episcopi Berytiensis alteram, à D. de Bourges descriptam, sed quâ Chalcographus insignem errorem commisit, quod Chirurgos Sinensium habitu & barbâ depinxerit, cùm tamen de Persis sermo sit, quibus non est, cur medicinam Sinenses longius acciti faciant. Nam ipsi hac scientiâ plerisque nationibus orientalibus antecellunt: Ligneolum diffissum, quo dracunculus capi queat adducit D. de Bourges, Persis usitatum, & Nigris Meinensibus Blommertius obiter innuit. Huic sanè curationi persimilis videtur nequitia opilionis illius Austriaci, quam Jo. Colerus XII. Oeconom. XIII. recenset, qui adipem ex ovibus ligneolo tereti, duorum digitorum longitudine, eodem planè modo circumvolvendo per vulnusculum lateri inflictum, ablata pelle molliculâ, pededentim extrahebat, unde deinde biennio integro non probè convalescerent: quod dubio procul de omento intelligendum: nec enim quomodo pinguedo undique cuti substrata per unicum vulnusculum educi potuerit, satis percipimus, illud verò in homine etiam vulnerato sæpius abscissum & ablatum historiis constat. Neque huc facit morbus ille, quem Arabes

مغل *nimiam pinguedinem, sive herniam pinguem* appellant, circa scrotum & perinæum caprorum, boum, arietum, & ovium


apud Jauharium in Lex. Ar. eruditissimo, cujus curationem Camusi auctor عقيل nominat, nusquam tamen apertè describit, nostrâ opinione non aliter, quam sectione, & adipis extractione, peragendam, quia ipsissima epiplocele videtur. Cæterum non tantum plumbo aut ligneolo, sed pennulis quoque, straminibus, & omninò quocunque alio corpusculo tereti, quod rotari, & quo dracunculus circumvolvi queat, operatio hæc perfici potest, quibus chordarum in testudine Musica simillimum, in famulo Jo. Fonsecæ Archiepiscopi Ormutiani, IV. ejusmodi vermes, in aliis V. eductos vidit Jo. Hugo Linscot. Itin. c. VI. Lino, i.e. linteolo, ut videtur, cylindri, [seu potius *conaria*, aut *Sphenisci* (ut Nicomachus Gerasenus vocat) sive cuneoli, ut doctissimus Tennulius interpretatur, aut etiam στηλίδες ἢ δοκίδες quæ ap. Jamblichum p. 132. eidem *trabeculæ* dicuntur. Verius utique quam asseres aut asserculi apud Juvenalem in Glossario veteri Gr. L. de quo Justus Lipsius IV. epist. quæst. XXV. ubi tamen δοκίδες, asseres Domitio Calderino ligna eminentia, quibus lectica sustinetur, notare advertit. Pro quibus si quis *Sphecisços* maluerit, ut Aristophanes in Pluto act. II. scen. IV. vocat, non refragabimur palos, non simplici nomenclaturâ ita dictos, ut interpres habet, sed in medio tenuiores, ut Scholiastes Græcus monet, σφηκώδεις γὰρ φασὶν μὴ προκοιλίους, λεπτοὺς κατὰ τὸ μέσον, ὡς σφῆκες. *Vespaceos vocant, qui ventriosi non sunt, sed medio tenues sicut vespæ.* καὶ μικρὰ τῶν ξυλῶν καὶ εἰς ὀξὺ ξυνηγμένα σφηκίσκους καλοῦσιν, ἐπεὶ καὶ οἱ σφῆκες τὴν κοιλίαν ἐπεστενωμένην ἔχουσιν ἰσχνοὶ ὄντες ἢ ὄπισθεν. *Lignorum partes exiliores, & in acutum coacta, Sphecisci dicuntur, quod vespæ etiam ventrem habeant, posteriori parte tenues seu exiles.* Paxilli non tam extremo sui acuti, quam medio quasi concavi, ut circumvolvi commodius dracunculi queant, quorum iccircò figuram reliquis, ex ingenio adjecimus.] effigie convoluto, paullatim educi ab Indis & Congensibus in Persia memorat Phil. à S. Trinit. Carmelitanus VII. Itin. Or. c. IV. & X. c. IV. eo scil. pacto, quem in

Instrumenta Chirurgica ad extractionem dracunculorum.

I. Hemicylindria aperta, cum annulis suis.




II. Hemicylindria annulis suis conjuncta et clausa cum dracunculo circumvoluto.



III. Cylindrus alius medio fissus, qui annulo digitis protruso arctatur.



IV. Collabus tractorius simplex.







VII
Sphecifcus Aristophanis Scholiastæ.

IIX
Sphenifcus Jamblichi Jonicus.

V. Vertibulum trochleare.








VI. Cylindrus alius, forcipis linteariŷ figurã.



Melchior Haffner sc.


Venæ Medinensis in coxis, cruribus, brachijs, pectore humanis, varia convolutione latentis effigies Guenocij observationibus accommodata
Schönfeldt Delineavit
Melchior Haffner Sc.
Pag. 311.

in cauteribus Cairinis à se delatis sed conicis, nobis olim monstrabat Illustris Veslingius. Rem quamvis gravem tam diu adligandam monebat EbnRoschdus Comm. in Cantic. Ebnsin. part. II. tr. III. donec omninò pullulatio cessarit, & Vena Medinensis tota exciderit: sic enim Armegandum Blasium Monspeliensem interpretem scribere voluisse suspicamur, *donec cesset pullulatio, & consummetur:* non: *consumatur:* quæ superflua & inepta Alpagi castigatio, aut saltem primi editoris Gregorii Veneti aberratio erat. Filo præterea ligatam venam Medinensem paullatim extrahendam non malè quidem monebat Jo. Colle Comm. in l. c. sed eò halucinatus, quod veram venam existimaret, non corpus aliquod p. n. à venæ quacunque similitudine ita dictum. Sed & præter extractiones istas omnes ab aliis alia excogitata est, quæ absque ullo instrumento sive plumbeo, sive ligneo celebratur, ut ex sequenti observatione patebit, quam (licet Taliacotius l. de curt. Chir. XX dracunculum in nostro, ut l[illegible]tur, orbe, nunquam visum fuisse putet) ea fide heic enarrabimus, quâ eam Jo. Georgius Virsungius Medicus Chirurgiæ peritiâ atque dexteritate, novisque Anatomes inventis celeberrimus à viro Cl. Paulo Marquardo Slegelio, quondam Poliatro Hamburgensi inter alia acceperat, cui cum auctore ejusdem multa olim familiaritas intercessit. Is verò Anton. Guenocius est, exercitatissimus Parisiensium Medicus & Chirurgus. Ipsa ex Schediis Virsungianis verba, quæ ab illius cruento obitu amicorum benevolentiâ in nostras manus pervenêre, ex adversariis nostris apponemus, quòd multa iisdem, de quibus supra dictum, lucem fœneratura speremus. *Hollandus quidam è penuria Rupellam delatus, de dolore, inflammatione, & tumore in utroq; malleolo conquerebatur, rem Chirurgo defert, monetq; ut de vermibus cogitaret. Id factum. Inflammationi succurrebat Cerato Galeni XIV. Meth. med. III. descripto, cui parum Basilici miscebatur. En duos quasi vermes aut nervos, ex utroq; malleolo unum, prorumpentes. Hos Chirurgus sensim protraxit, usque dum æger de dolore conquereretur, tum in nodum, quod extractum erat, replicando concinnavit, de die*

in diem opus idem repetendo, usque dum planè exciderit. Istud quidquid fuerit nervi aut ligamenti, aut vermis, nunquam vita alicujus specimen exhibuit. Longum erat pedes V. convaluit. Meminit quidem innodationis etiam Abulcasimus II. Chirurg. XCIII. sed juxta adhibito cylindro plumbeo. Idem verò Guenotius *alium Montalbani vidit, eodem morbo ex eadem penuria adlato laborantem, sed dissimili eventu: Dum enim rei istius p. n. extractioni nimiâ violentiâ operam dedit Chirurgus, eam disrupit, unde inflammatio, dolor, convulsio, & XXIV. horarum spatio ipsa mors sequuta. Aperto cadavere periosteum inflammatum deprehensum est, cui planè adhærebat istud, quidquid fuerit, funiculi instar juxta malleolum in gyros quinque vel sex contorquebatur, inde rectà ad genu porrigebatur, quo in loco iterum in circulos reflexum, tandem ad os Coccygis ferè, aut saltem Ischii protendebatur.* Nos in transcursu monemus, cùm in annonæ magna caritate & fame publica sæpè multa ab hominibus avidissimè devorentur, à quibus cæteroquin natura quam maximè abhorret, fieri fortè potuisse, ut etiam in ista penuria aliqua re aliena vescerentur, in qua seminium dracunculi latitârit: Cui & vitiosorum humorum copia, ut quæ in simili casu nunquam non colligitur, accessit. ἅπαντα γὰρ τὰ βρωτὰ τοῖς πολιορκουμένοις: *omnia sunt esculenta in obsidione*, vertente doctissimo Andr. Schotto in proverb. Græc Suidæ Cent III. 8. ἐπὶ τῶν ἀναγκαίων ὁ λόγος. οἱ γὰρ πολιορκούμενοι πολλάκις καὶ ὧν οὐ δεῖ ἅπτονται: *de necessitatibus dicitur, qui enim obsidentur, sæpè quibus non oportet, vescuntur:* quod ἐπὶ βρώσεις ἀναγκαίας τρέπεσθαι, ex vett. fusius exponit Lud. Cœlius Rhodiginus XVI. antiq. lect. XIV. Hanc Rupella calamitatem sæpius experta inprimis CIↃ IↃLXXII. & LXXIII. quibus obsidione cincta à Copiis Caroli IX. miserè adflicta est, plus quam 25000. hominum fame morbisque exstinctis, eopse scil. anno, quo novum Sidus in siliquastro Cassiopeæ apparuit, utut contrarium ostendere conatus sit Annibal Raimondus Veronensis, quem Mich. Mœstlinus, Thadd. Hagecius, & Cyriandri Uranophili sub Scuto latens doctissimus optimusque princeps Guil. Hassiacus ube-

uberius refutarunt. Kircherus autem, ut Cometas ex ebullitione quadam quasi Critica in chronico sive climacterico sideris solaris morbo ortam existimabat Itin. Ecstat. cœlest. dialog. I. c. IX. Et tùm quidem Rupella unà cum vicina, Montalbano, ab Henrico Vallesio Andegavensium duce, intercedentibus Legatis Polonis, liberata est, ut Thuanus histor. LVI. memorat, sed sæpius deinde Regum imperia detrectans pacem exorare utraque coacta est, ut CIƆ IƆCXXI. cujus meminit Hugo Grotius epist. ad Illustrissimum Peirescium XXXV. & XLI. ad Benedictum Aubertum Maurerium qui Regi à Consiliis erat, rem inter felices hinc atque inde pertinaces gestam narrabat. Quod eodem eventu CIƆ IƆCXXV. & XXVI. factum. Inprimis autem CIƆ IƆCXXIIX. quo Imperator exercitus dictus Cardin. Richelius disjectis navibus Anglorum ad extremam famis vim urbem adegit, prodente Nic. Vassenario histor. part. XV. & Grotius. epist. XLIV. & XLV. tam furiosa quotidie nunciari ajebat, ut horror subierit, cum cogitârit,, quo tandem eruptura sit juxta sui atque alieni negligens contumacia. ep. quoque LXXXIII. *Legatum Batavum aliquantum pecuniæ impetrâsse* referebat, *non tam potente Suadâ, quam ne à Rupellensium obsidione naves abducerentur, illæq; quæ jam abierant redirent.* Ita enim arctati undique omnique commeatu intercluso, ad tantam, quam diximus, penuriam redacti sunt. Hoc tamen non minus verosimile videtur, hunc ipsum adfectum à Batavorum quopiam ex India aliisve plagis orientalibus aut etiam Ægypto & Africa reduce secum deportari potuisse, seminio à victu regionis diutius in corpore latente, & serius deinde sese exserente. Quod sæpius fieri Samuel Blommertius in observationibus suis Mss. ap. Isaacum Vossium apertissimè testatur: *Quosdam* nimirum *non in Guinea, sed demùm in reditu, nonnullos etiam post iter. IV. V. VI. imò etiam XII. mensibus hoc adfectu corripi solere.* Quanquam verò nullum vitæ indicium dracunculi illi ostendisse perhibeantur, non tamen inde concludi potest, venam Medinensem vermem aliquem non esse. Jam enim supra ex Ebnsina adnotavimus, interdum solùm motum il-

lius vermicularem adeoque evidentem, interdum autem valdè obscurum esse. Quod etiam lumbrico lato accidit, ad cujus similitudinem descriptionem dracunculi exegimus, utpote quem alii mobilem, alii ignavum planè ac immobilem vidisse se testantur: Unde & eodem fato aliquando premebatur. Ut enim quisque experientiæ suæ pervicacius inhærebat, ita aut negabat illi animam, aut adserebat. His verò omnibus omnino operepretium fuerit addidisse, quæ pauculis abhinc annis vir nobilissimus Jo. Abrahamus Heinzelius Patricius Augustanus, qui ultra decennium in Guineæ regno, rerum suarum satagens, vitam duxit, de morbo hoc endemio sæpius nobis denarrabat, experientia in se ipso edoctus. *Ad litus enim, cui nomen, Capocors, sive promontorium Corsicum, correptus tanquam febri, primò horrore concussus est, calore succedente, totoq; corpore pustulis erumpentibus, valdè exiguis, quæ tamen omnes probè operto mox iterum discussæ evanuêre. Delatus igitur in proximum pagum, cui nomen, Agrara, haut procul à Castello S. Georgii, seu arce Nigritis Mina dicta, circa malleolum in tibia dextra duas pustulas erupisse advertit, quæ vesiculam contrahentes mox rumperentur, & vermis sive dracunculus ibidem latitans caput suum exsereret, non majus quam aciculæ est, quod ideò à Chirurgo Batavo captum, pennaq; medio parumper fissæ insertum, deinceps quotidiè circumvolvendo eò usque extrahebatur, donec dolorem aliquem percepisset. Ita unus bidui spatio integer paullatim eductus prodiit, alter verò abruptus tumorem cruris doloresq; maximos excitavit. Qui integer prodierat, longitudinem ulnæ nostratis superabat, tenuis erat ad instar chordæ testudinariæ, coloris dum recens erat, albi, exsiccatus autem nonnihil flavescentis, qui tensus etiam ad instar fidium sonabat. Chirurgus morbi istius nondum satis peritus erat, ideoq; Unguentum Basilicon, & Emplastrum palmeum applicuit, quibus tamen solis curationem feliciter absolvit. Nigri illius regni incolæ aliàs ligno utuntur exiguo ad extrahendum, & reliquum curant solo oleo palmarum sive Coccorum, quod habent copiosissimum. Triennium integrum illic transe-*

transfegit, antequam morbum hunc contraxisset, qui toti regioni familiarissimus ex aquis præcipuè in cibos potumque adsumptis oriri creditur. Huic addamus novissimam relationem Michaëlis Hemmersamii Norici Itiner. Guineens. c. XIII. ut nos illam ex vernacula Latinam fecimus: *Qui in Guineam navigant, & in Castello S. Georgii de Mina habitant, cujus districtus ad aliquot milliaria extenditur, toto corpore vermibus adfligi solent, magis tamen Æthiopes incolæ, quam Germani advenæ. Notatu autem dignum est, si quis tantummodo præternaviget, pruritum in cute sentire, maximè in brachiis & cruribus, frequentissimè verò in femore. Tunc oritur vesicula unius, in quibusdam tamen trium pisorum magnitudine. Hæc autem nisi à verme ipsa pertundatur, ubi Chirurgi satis maturam judicarint, (sunt autem ejus rei peritissimi) aperiri debet. Mox prodeunt pili gemini, albi, & capite adnati, qui ideò barba vermis dicuntur. Vesica ipsa aquâ distenta est: tùm vermis quotidiè mane & vesperi extrahitur: In partibus corporis musculosis, si articuli ferè longitudine promineat; sæpè accidit, ut unico tractu educatur. Longitudine ulnam, aut etiam sesqui cubitum exæquant, nivei coloris & frigidissimi, quamvis ex carne calida exeant: Tenues ad instar fili, alii tamen ut funiculi. Crassiores venenosissimi & pessimi exsistunt, valdèque difficulter extrahuntur. Inferiori crurum parte sæpius nervis & venis circumvolvuntur: atque tum quidem educi nequeunt, sed abrumpuntur. Abruptis autem tumor ingens in pedibus, suppuratus, & copiosam materiam concludens, donec tandem fonticulus excitetur, aut scalpello foramen fiat, quo plures quandoq; ἀκίνητοι redduntur, magnisq; doloribus adficiuntur. Ipse ego, cum illic degerem, tribus ejusmodi laboravi, duobus scil. in dextro & uno in sinistro crure. Primus dextri pedis in ipsa planta enatus erat, quo XIV. dies decubui, neq; ambulare potui, donec tandem disruptus exaresceret. Alter infra malleolum ad digitos usq; protensus, ideoq; magnis cruciatibus & ulcerationibus curatus est. Tertius itidem sub talo sinistro, cùm ad dimidii cubiti longitudinem prodiisset, disruptus retrocessit, in tibiam, quæ*

ideò insigniter intumuerat, ut IV. menses integros ægrotarem. Nec enim nisi sectione curari potuit, quo tempore nec stare, nec ambulare poteram, sed necesse habebam ab Æthiope perpetuò gestari. Stolarchæ nostri coquus XXX. ejusmodi vermibus diutius excruciatus est, per semestre integrum decumbens, ut plerique de vita ejus desperarent, tribus enim aut quatuor curatis, mox alii exoriebantur. Quamquam verò pauci reperiantur, qui absque hoc morbo ex illis locis redeant, vicissim tamen pauci occurrent, qui tam multis, ac coquus iste, adfligantur. Sanatus tamen & ipse est, ut me discedente, etiam ulterius restiterit. Æthiopes se ipsos sic curant: Ubi vermem digiti longitudine extraxerint, abscindunt, & oleo palmæ illinunt, foliumque recens ejusd. arboris emplastri loco superimponunt: tumorem quoque postquam apertione factâ, materiam purulentam & ichorodem effluere permiserint, ita persanare solent: Postquam aquâ ex pipere aliisque herbis satis acri reddita eluerint, imponunt deinde ol. palm. eum cum folio, ad mitigatioenm. Atq; hoc remedio ad omnia ulcera utuntur. Hucusque Hemmersamius: cui jungamus alteram non minus sinceram narrationem D. de Bourges quæ in descriptione itineris ab Episcopo Berytiensi in Sinas suscepti p. 101. habetur, ut ex Germanica Gallicæ versione nos traduximus: *Lara*, enim inquit, *Urbs magna est benè structa, murisque fortissimis cincta, summo montis apice sita. In illa mercatus est, quo varia mercium genera venum comportantur.* Pauloque pòst: *Magna illic fructuum copia reperitur. Sed aqua prava, insalubris, putredinum; & morborum graviorum ac letalium causa exsistit. Ex hac aquâ, ad Gomeron usq; se extendente, ut scribunt, vermes quidam longissimi generantur, qui in cruribus humerisq; excrescunt, rotundi, congyrati, & in carne occulti. Quamprimum animadverti concipiunt, aperitur locus, ut caput vermis capi possit. Tùm ligneolo diffisso captus circumplicatur sive convolvitur, sex sæpè pedes longitudine excedens: Parum tamen quotidiè sic extrahitur, donec totus sensim prodierit. Cautè tractandus est, si enim abrumperetur, portio in carne residua, ulcus periculosum effice-*

efficeret. Medicina contra hanc aquam vitiosam est vini providentia, vel saltem abstinentia à potu aquæ illius, antequam cum cura per pannum transcolata fuerit. Consentiunt hæc omnibus omninò, quæ Jenkinsonio prodita ex Lætii descriptione Persiæ jam supra attulimus. At omnium elegantissima hujus adfectus historia habetur in Africæ descriptione, quam nuper Serenissimo Daniæ Regi, Christiano V. inscriptam verè Regiam in lucem edidit O. Dapperus JCtus, V. C. Isaaci Vossii Mſ. usus, quod Belgica quondam lingua Samuel Blommertius, tanquam diarium suarum observationum, conscripserat, eo candore, quem magni æstimare dignissimum judicamus. Cujus, quia subinde jam sæpius mentionem fecimus, integrum textum ex Germanico Latinum redditum subjungamus. De litore aurifero multa egregia loquutus: *Inprimis*, ait, *peregrini, qui Guineam appellunt, corripiuntur vermibus in corpore genitis, imò & Æthiopes, non tantum albi, sed etiam nigri, propè Meinam, locisque vicinis, cum tamen ii, qui XXV. milliaribus orientem versus habitant, huic malo non sint obnoxii. Vermes isti, quos lingua vernacula Ickon vocant, non omnibus, qui eò tendunt, sed quibusdam tantùm, manifestantur. Sunt enim, qui iis laborant, dum in litore aurifero degunt, alii in reditu demum, & iterum alii post iter peractum, etiam IV. V. VI. imò & XII. mensibus, infestantur. Sunt vicissim, qui ter litus illud adierunt, & tamen nunquam de his vermibus quidquam audiverunt. Nonnulli congressui causam adsignant, alii singularis cujusdam piscis esui, vermibus scatentis. Alii natationibus & balneationibus in aqua frigida adscribunt. Quidam à nimio vini palmei potu, vel esu panis miliacei, Cankarum, originem trahere dicunt. Sed omnes istæ rationes parum vero consonæ videntur: quia, qui nec cum mulieribus rem habuerunt, nec pisces panesve illorum degustarunt, nec vinum palmeum biberunt, nec frigidam marinam ingressi sunt, vermium tamen hoc morbo adflicti fuerunt, cùm è contrario plures perpetuo in terra illa, etiam cum meretricibus, viventes, vinoque palmeo sæpè inebriati, nihil hujus mali pertulerint. Verosimilius*

lius iccirco fuerit, ex singulari quadam aëris malignitate, aut aquæ potu, nasci, quam Nigri illic ex fonte quodam petunt, Albisq; vendunt. Verum quidem est, peregrinos multos in litore aurifero aquæ plus nimis bibisse, qui nunquam morbo correpti: sed hi navibus suis infra Mouream appulerunt, non Acaræ, aut aliis locis. Qui enim Moureæ appellunt, vel aquam multam bibunt, citius vermibus laborant, quam qui Acaræ: aut superioribus locis. Variis modis invadit hic adfectus: Alios scil. cum febri, vel horrore febrili, alios cum imbecillitate, lipothymia, aut anxietate magna, quosdam etiam cum delirio. Primò se manifestat vesicula exigua, sive pustula, morsui pulicis similis, vel tumor, in quo vermis inter cutem & carnem sæpè etiam videri potest, vel efflorescentia quædam sanguinea cum symptomatibus similibus: In carnosa maximè parte crurum, brachiorum, genuum, & natium, imò præcipuè in omnibus partibus carnosis, quandoq; etiam in scroto, quo maximos dolores creat, quanquam interdum etiam heic loci non doleat. Sunt qui trimestri integro iis molestentur, alii è contrario vix tribus septimanis. Alii etiam aliis plures: quidam unum tantùm, nonnulli una vice etiam X. habent. Variæ sunt longitudinis & magnitudinis. Alii duas ulnas exæquant, alii unam tantùm, alii denique unâ etiam breviores sunt. Quidam crassi ad instar fidium crassiorum, alii tenues, ut filum sericum. Multi non credunt vivere, sed pro nervis corruptis habent, nec vermes esse putant. Sed motu, quem exitu ostendunt, diversum comperitur. Curatio rarò instituitur, antequam vermis ipse exitum paret, aut caput exserat. Tunc enim capitur & tenetur, ne retrò cedat. Sensim postea extrahitur tam diu, donec ulterius prodire cesset. Ita parumper quiescere sinunt, donec denuò prodire incipiat. Quidquid extractum est, ligno cuidam exiguo circumvolvitur, ne in corpus retro meet. Sic verò trahendo ex intervallis pergitur, donec totus omnino egressus fuerit. Si justo fortius trahatur, haut rarò abrumpi solet, & tùm plerumq; vulneris inflammatio subsequitur. Exeundo etiam plerumq; multum saniei secûm defert. Nigri manum

non admovent, sed cicurari sinunt, vulnusq; aquâ salsâ eluunt. Optima curatio est, corpus à putrida sanie mundare, & vulnus butyro recenti insulso inungere. Locus, quo vermis se manifestat, ante omnia, semper caleat, necesse est, custodiendo illum diligentissimè ab omni frigoris sensu. Nisi enim id probè observetur, intumescit plaga, & inflammatur. Hæc sanè cuncta cùm αὐτοψίας atque experientiæ fide certissima sint, ut nullo alio præterea testimonio indigeant, mirè tamen conveniunt, cum illis, quæ Hulsius VII. navig. Batav. XLIIX. adnotavit. Nam & ille Castellum ad litus auriferum, Minæ nomine, his vermibus præcipuè infestum memorabat, quamvis olim iter illac facientibus mercaturæ gratia nihil de iisdem compertum fateatur. Nimirum tùm breviores Cataphi excursiones erant, neque Batavorum quisquam illic plures annos commorabatur, sed tanquam in transcursu deproperata mercium permutatione, à brevissimis exscensionibus ad suos revertebantur. At quod Sinensibus quoque & Indis in S. Thomæ regione, totius orbis insaluberrima, omninò ignotus sit adfectus, à verò longius abesse satis ex superioribus apparet: quemadmodum quod uno verme extracto, mox alterum subsequi, atque per idem foramen exire observârit, rarius, cæterisque omnibus indictum notari meretur. Fidibus quoque in testudine tenuiores rectè comparabat, sed aliquando crassiores quoque, & rursum aliquando serici in modum subtilissimos testabatur. Nigris verò nullam præterquam manuariam operationem in curatione usitatam, aquæ marinæ lotione, quæ salis adfrictioni apud Ebnsinam nostrum respondet. Pruritui, psoræ, impetigini, lendibus, abscessibus atque tumoribus experta, prodente etiam Dioscor. V. 19. ψώραις τε καὶ κνησμῶν, καὶ λειχήνων, καὶ κονίδων, καὶ μαστῶν σπαργώντων κατάντλημα, τὸ θαλάττιον ὕδωρ. Marinæ vaporationes Cælio Aureliano III. tard. IIX. Verùm quod de victu plerique suspicantur, inane prorsus Hulsio videbatur l. c. postquam enim causas omnes ex aliorum mente enumerâsset, subdebat: *Certa experientiâ constare, multos hoc morbo correptos fuisse qui tamen nunquam cum feminis*

feminis Nigrorum consueverint (hoc enim quoque nonnulli adduxerant) *neq; pisces ederint, neq; in aquis illius regionis natârint, neq; easdem biberint, quin etiam terram extra navigia nunquam tetigerint, vinumq; illorũ aut panem non gustârint.* Est autem hic miliaceus ut plurimum, illud verò ex palmis cocciferis paratur, subcinericii coloris & lactis serum referens apud Jodoc. Hondium Atlant. maj. Ger. Mercatoris. p. 354. cui adstipulatur Stephanus van der Hagen Stolarcha Batavus ap. Clus. in cur. poster. ubi excerpta ex navigationibus ejusd. habentur, p. 123. rari usûs tam ap. Indos, quam Lusitanos, qui vitiosum inde sanguinem gigni opinantur. l. c. Ab hoc tamen multum diversum est vinum ex nuce Indica Damasci, & Barbaris in usu, cum melle & aqua paratum ap. EbnSerafionem de simpl. c. LXXIX. Plinio quoque cognitum XIV. 16. quo Parthi, & Indi, utuntur, & oriens totus, maturarum scil. quas Chydæas vocant, modio in aquæ congiis tribus macerato: utut XIII 4. de Caryotis id prodiderit: *Caryotæ*, inquiens, *maximè celebrantur, & cibo quidem, sed & succo uberrimæ, ex quibus præcipua vina orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen.* Chydææ autem Diosc. V. 40. φόινικες χυδαῖοι, (ex quibus οἶνος φοινικίτης, κεφαλαλγής.) Arabum خيري ، tot aliis vocibus notissimæ, de quibus in variis nostris plura. Hoc igitur vinum è palmæ dactyliferæ fructu, ut alterum ex Cocciferæ nucibus paratur, quæ plura alia vitæ humanæ commoda præstans oleum, quoque illud largitur, quod ad contracta, & relaxandis nervorum distensionibus, ac lassitudini tollendæ insigne acopum Tobiæ Rœlsii Poliatri Mediobur-gensis experimento laudavit Clusius in exoticis V. c. XLIIX. & nos quoque à Nobilissimo Heinzelio habemus. Oleum ex fructu *Hibon*, Americanis quoque usitatam ex Theveto nominabat Franc. Ranchinus tr. de morb puer. sect. II. c. VI. sed mirâ confusione plurimorum adfectuum, quos distinguendos c. II. superius ostendimus. Thevetum quoque fabularum fœcundissimum patrem lectorum ignorantia & curiositate abusum jam olim Scali-

ger,

ger, Casaubonus, & Renatus Lusingius tr. de mod. hist. legendi pronunciârunt. Cæterum ut extractio dracunculi commodius perficiatur, Ebnsina noster præcepta quædam alia adjungit: *Summa cura sit in exitu ejus facili reddendo, quod sit fulciendo membri imbecillitatem, & rarefaciendo illud irrigationibus ex aqua calida, & mucilaginibus refrigerantibus, oleisq; emollientibus, frigiditate, aut subtili calore præditis, & quæcunque ad egressum illis simili ratione facilem reddendum idonea sunt.* Vulgatus interpres pessimè: *Et sit studium tuum in alleviatione egressionis ejus, ut incipias, & extenues membrum.* Videtur enim pro يدعم quod *fulcire* denotat, يبدا quod *incipere* est, legisse. Tùm extenuatio membri planè exsibilanda est, quam neque Ebnsina imperavit, neque adfectus ipse admittit. Quid enim opus est, partem corporis malè habentem præterea extenuare? adeoque dracunculo alimentum subripiente jam satis extenuatam, longè debiliorem reddere? Apage nugas istas, quæ non multum à carnificina absunt. Nos pro *extenuatione*, imbecillitatem reddidimus. Hoc enim voluit Ebnsina: Ut facilius Vena Medinensis exire queat, membro adfecto, & propterea imbecillo prospiciendum esse. Quod etiam in aliarum ulcerationum curatione observandum prudenter monet Jo. Bidgoodus in historiis Med. rar. ab Edmundo Meara editis p. 131. Cùm enim cariem tibiæ, sub cute integra i. e. ventum seu flatum spineum Ebnsinæ descripsisset, neglectu fomenti anadromen sive metathesin ad pulmones periculosam facientem, addebat tanquam epiphonema: *Advertant ulcerum curatores, quanti intersit robur ac tonum partium adfectarum conservare, quod à plerisque negligi video.* Nostro tamen tempore in Nosocomiis Italicis nihil usitatius erat, superimpositis post malagmata petiis, aut vino rubro, aut decocto aliquo herbarum convenientium imbutis, Hippocratis imitatione qui πισσηρὴν ipsi ulceri, & circum circa splenia vino madida imponebat lib. de fractur. §. XXXI. οἰνηρὴν ἰητρείην appellans §. XXXVII. *vinosam curationem*: ut Janus Cor-

narius interpretatus est. Consentit nostræ opinioni recentissimus & diligentissimus peregrinatorum, Samuel Blommertius in schedis Mss. apud Isaacum Vossium, peropportunè admonens: *Locum adfectum semper calere debere: atq; id adeo necesse esse, ut ab omni frigore diligentissimè custodiatur, ne intumescat plaga, atq; periculosè inflammetur.* De *rarefactione* autem Paulus Ægineta: καὶ τῷ Σωρανῷ καὶ τῷ λεωνίδῃ καὶ ἑτέροις ἔδοξε προσαντλήσει θερμῇ καὶ καταπλάσμασι πεπτικοῖς ἐπὶ τούτων κεχρῆσθαι. Cornarii versione: *Et Sorano & Leonidæ & aliis visum est, adfusione calida & Cataplasmatis concoctoriis in his utendum esse.* Galenus VII. meth. med. VI. *aquam temperatè calidam corpora mollire & meatus dilatare*, ait, *quamvis & suo modo refrigerare possit, eodem explicante* in Comm. III. Hippocr. de offic. Med. t. XV. Hippocratis quoque ipsius effatum est. V. aphor. XXII. τὸ θερμὸν ἐκπυητικὸν οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην, δέρμα μαλάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων, σπασμῶν, τετάνων παρηγορικόν. Guil. Plantius reddidit: *Calidum suppurationem movens, non in omni ulcere maximum securitatis judicium exhibet, cutem emollit, extenuat, dolorem tollit, rigores, convulsiones, nervorum distentiones mitigat.* Nec aliter Foësius, & cæteri omnes, cum tamen: *Calida:* non calidum dicendum esset, ut ap. Hippocr. aliosque scriptores Græcos, sexcentis locis τὸ θερμὸν accipitur, & Latini quoque sine aquæ adjectione, *Calidam* nominare solent. Id quod ex ejusd. Hippocr. libro de humidorum usu manifestissimè colligitur, cùm totidem verbis, præmissaque voce, ὕδωρ, sententia hæc ibidem repetatur, quemadmodum & præcedentes & sequentes plures aliæ, quas quoniam Galenus ipse Comm. in V. aph. XVI. inde depromptas olim jam monuerat, mirum est neminem interpretum in memoriam sibi revocâsse, solo fortasse Alex. Aphrodiséo excepto, qui sic problem. LI. interpretatus erat. Foësius etiam heic rectè: *Calida cutem emollit, attenuat* (quod melius, quam *extenuat*) *dolorem tollit, rigores, convulsiones, distentiones mitigat.* Ita sanè & Scholiastes in Pauli Silentiarii Hemijambia de thermis Pythiis vers. XXXV.

sive

ſive is Immanuel Chryſoloras, ut conjiciebat Bonaventura Vulcanius, ſive Cyrus Florus, ſive quicunque alius fuerit: τὸ θερμὸν Hippocratis, ἄψυχον exponebat, *de aqua quæ frigida non eſſet.* Jo Heurnius etiam Comm. in V. aphor. XVI. θερμὸν idem quod θέρμασμα putabat, *fomentum calidum, in cujus generibus* aq. calida præcipuum locum teneat, quemadmodum & V. aphor. XXII. θερμὸν θέλγειν ὀδυνάων, ἢ λιαρὸν apud Athenæum II. 4. ex Homero, qui Euripylum ſaucium tepida fotum finxerat, cùm tamen frigida ſiſtendo ſanguini aptior videatur. Omnem ſanè vulnera curandi rationem à Machaone Neſtori adhibitam plurimum imperitiæ habuiſſe pronunciabat Hieron. Garimbertus III. problem. Natur. LXVII. fomentum tamen calidæ, dolori leniendo non penitus rejiciendum. Julius Jaſolinus, ut obiter hoc adferamus, in Ind. ſive tab. tr. de remed. Nat. Inſulæ Ænariæ quæ hodiè Iſchia vocatur, ad morbum pedicularem, dracunculum, & ſimiles adfectus thermas quaſdam commendat, quæ Italis ſuis dicantur: *Il bagno del Gradone:* ſed lib. II. c. XL. quo reſpiciendum monet, nihil de dracunculis comparet. Crurum tamen tumoribus, ulceribusque pervetuſtis, varicibus teſticulorum, & reduviis balneum hoc Gradonis commendat J. C. Capacius tr. de baln. hiſtoriæ Puteolanæ adnexo. Nitri nimirum qualitatem habent aquæ ſalſæ apud Ænariam Inſulam potandæ pariter & lavacro adhibendæ, ut habet Cælius Aurelianus V. tard. IV. Sic enim rectè Dalechampii emendatione legendum: non: *Tenariam.* Cui addamus quod de Aquarianis Regienſium in agro Mutinenſi, caphuræ odore celebratis in dubium vocabat Jo. Michaël Savonarola II. de baln. rubric. XXII. quod arboris hæc lacruma ſit, non foſſilium ſpecies. Verè quidem: Caphuræ tamen, quam Ebnſina ſupra laudaverat, aliquid ſimile ſubeſſe poteſt, cujus gratia & dracunculis, omnique vermium generi, & ulceribus quoque verminantibus egregiè prodeſſe poterunt. Nec enim ambigendum, quin odor ille à petrelæi mixtura ſit, quod Moncibii copioſè proveniens, deſcriptum eſt à Franciſco Arioſto Peregrino tr. ſingulari, quem Borſio Ferrarienſium Duci oblatum

latum inter rariora sua servabat eruditissimus Rhodius, & publicæ luci destinârat, nisi fata, ut plurima alia, impediissent. His autem plures in Germania nostra similes, inprimis bituminosæ occurrunt, quales præ reliquis Volkenstenienses laudatæ à Jo. Gœbelio Diagraph. aq. thermal. ap. Hermunduros lib. II. quas tamen Augustus Hauptmannus tr. singulari c. VII. non tam alumine, & bitum. terreo cum ⊕-o & pyrite, quam Cerussa aut plumbo resoluto à sale Centrali & Spiritu Universi cum minera quadam ferri & sale nitroso constare decernebat. Et hanc quidem curationem per balnea, litusque membri, levis intentionis vocabat Ebn Jezla direct. morb. tab. particul. VII. §. I. à regia sive præcipua, cujus vis maxima in victus accuratione, carnibus inprimis arietinis in esum adlectis, distinguens. Mucilagines enim refrigerantes, etsi multis allis nominibus prodesse possint, præcipuè tamen ad temperiem & robur partium præscriptæ videntur, quo fine etiam à Jo. Matth. Ferrario Gradiensi Cons. CV. laudantur, quem non immeritò sua omnia ex Ebnsina sumpsisse judicat. Ant. Sanctacrucius III. imped. magn. auxil. c. XXX. Vox autem ipsa neminem in versione nostra offendet, ut speramus, cùm in Medicorum omnium ore frequentissima versetur, eaque & Plinius ille, qui Valerianus cognominatur, aliquoties utatur. Nec enim ignoramus quosdam mucilagines prætulisse: Fernelium autem mucores appellare V. meth. med. XIV. Guintherium Andernacensem ap. Vueccerum Cremores lib. I. antid. special. §. XIV. pinguedinem ex radic. hibisci Cæl. Aurelianum III. Celer. XVII. lentimina hordei, & granorum Christoph. de Regio Med. Patavinum in Mss. nostris. Juvabit tamen doctissimum Reinesium II. Var. lect. IIX. audire, ut etiam materiam illarum eadem opera innotescat: *Mucilago & muccago ista significatione spissioris nimirum succi & lentescentis, medicis & seplasiariis est notissima: talis est, quæ è sem. cydon. & psyllii, è G. Arab. lacruma tragacanthæ & similibus, confuso cujuscunque liquoris modico momento solet exire, humectandi & leniendi facultate pollens,* ἀπὸ μύξας, *à mucco.* Plinius XXV. II. *crassitudi-*
nem

nem vocat, eam quæ è psyllio. Fernelius V. meth. med. XXVII.
Cotonei mali & althææ semina, ait, *mucilagines reddunt non mi-*
nus efficaces, si præsertim ex aq. Solani aut plantaginis elicitæ fu-
rint. Quibus addenda etiam albugo sive spuma aëris vere adulto
& auctumno in terram emissa, quam sic vocabat, quisquis Hil-
degardis nomine abusus est, lib. I. Physic. c. I. mucum nempe
pratensem intelligens, aliis stellarum purgamentum, Paracel-
so autem Cœli florem & folium, aut Cœli donum dictum, in-
flammationibus commodum, ut in Sylloge nostra ad Hier. Reus-
neri observ. CXIII. notavimus. Sperma item ranarum, & oleum
ac emplastrum ex illo confectum, cujus singulares optimasque
descriptiones alias proferemus, superiori bello plurimorum sa-
lute in exercitu felicissimè expertas: adjecto etiam oleo plumbi
sive Saturni vulgò dicto, inflammationibus omnibus utilissimo
remedio. Olea denique emollientia propriè sic dicta, quæ Ebn-
sina frigiditate & subtili calore prædita eligebat, hæc ferè usurpa-
ri possunt: Oleum commune maturum, lil. alborum, amygdal.
dulc. lini lumbric. terrestr. & sesaminum, cujus in regionibus O-
rientalibus etiam in cibis ferè quotidianus usus est, unde & زيت
طيب *Oleum bonum sive aromaticum*, tanquam olivo præ-
stantius, quod زيت simpliciter ibidem appellatur. Beata
palea & ol. Viol. & id quod è medio Sambuci cortice fit, nomina-
vit. Quibus similia alia jungantur, ut auctor noster appellat:
Vnguentum ex althæa, adipes omnis generis, & medullæ, omen-
ta & seba animalium quorundam, œsypus, & butyrum recenti-
us, quamquam de hoc inferius dicendum erit. Ex quibus omni-
bus linimenta & unguenta varia ad cujusvis arbitrium componi
possunt. Est tamen, cùm his nihil aut parum efficitur. Ideoque
Ebnsina: *Interdum*, ait, *hisce non promovetur, sed opus est v.*
g. linimentis ex oleo Cheirino seu Violæ luteæ, oleo Jasmini, aut o-
leo Balanine, & superimposito emplastro de pice. Nimirum quod
hæc omnia fortius resolvant viasque potentius aperiant. Cheiri

(quod aliis non benè aſperiori ſono Keiri) Græcorum Leucojum dicitur: Unde nos ol. ex illo Cheirinum appellavimus, quia hac voce Medicis officinisque omnibus innotuit, addidimus tamen explicationis gratia Violæ luteæ, uti à Fuchſio, Cæſalpino, & Dodonæo nominatur. Quamvis enim à Dioſc, III. 138. quatuor Levcoii differentiæ enumerentur: ἢ γὰρ λευκὸν ἔστιν, ἢ μήλινον, ἢ κυανοῦν, ἢ πορφυροῦν εὑρίσκεται: *Aut album, aut luteum, aut cæruleum, aut etiam purpureum reperitur.* Statim tamen ſubjungit: ἐστὶ δὲ αὐτῶν εὔχρηστον πρὸς τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν τὸ μήλινον. *Est autem luteum inter cætera præcipui in Medicina uſus.* Et EbnMaſvia antid. diſt. XII, *Oleum Cheirium, quod è flore luteo fit, melius ſubtiliusq;* adſerit. Vimque habere reſolvendi & dolores præcipuè nervorum, juncturarum, aliarumque partium ſedandi. Hoc alterum ſequitur, quod ſemibarbari & vulgatus interpres, Sambacinum appellant, nos ol. Jaſmini vertimus. Sim. Genuenſis in Clavi ſua: *Sambacus eſt nomen corruptum ab Arabico Sambac, Inde oleum Sambacinum h.e. Jaſmini.* Non eſt tamen nomen corruptum, ſed verè Arabicum adjecta terminatione Latinâ. Matthæus Silvaticus in Pandect. Med. c. CCCLXXVI. *Ambach corruptiſſimè vocat, & cum Levcojo confundit.* Bauhinus Cluſium ſequutus Syringam quam Jaſminum nominare maluit, quarto loco deſcriptum, cui odoris vehementia nihil inferius eſt Catalonicum ſive Hiſpanicum, III. ejusd. fl. magno candido, & Indicum luteum itidem odoratiſſimum Jo. Bapt. Ferrarii in Floræ deliciis deſcriptum, orientalibus frequentiſſimum. Ex hoc autem duplex oleum confici ſolet: Unum præſtantius, cujus tota Italia inter odoramenta potius, quam medicamenta uſus eſt. Unde & in tonſtrinis, cum barbas calamiſtris diſponunt, uſurpari ſolet, & unguentarii Romani eodem aut ſimili chirothecas inficiunt, quorum in parando artificium prodidit Tobias Aldinus aut verius Petrus Caſtellus deſcript. plant. rar. horti Farneſiani p. 79. & 80. à quo perparum differt amygdalinum odoratum Libavii II Alchem. tr. II. c. XIX. Ejus tamen alium modum recenſet Timotheus Roſſelius part. II. Secret. lib. V. c. V. & Proſper.
Alpinus

Alpinus de plant. Ægypt. c. XIX. ol. ex Sambaco ſive Jaſmino Arabico Scirrhoſis tumoribus commendat, addens. *Parant hoc noſtri Unguentarii ex dulcibus amygdalis, atq; vel Seſami ſeminibus, ex quibus odore fl. Jaſmini imbutis oleum exprimunt valdè odoratum.* Alterum verò communius, quod Ebnſina innuit è floribus tantum oleo maceratis, minori ſumptu & labore conficitur, vim calefaciendi, reſolvendi, durosque tumores emolliendi vim obtinet. Porrò oleum Balaninum vetus interpres oleum de Ben, & vulgò omnes ol. Been vocant. Arabes verò glandem unguentariam بان Bân, & nec Ben nec Been nominant. Hæc enim pronunciatio ob vocalis productionem per Elif in medio dictionis adeò certà eſt, ut ne unam quidem exceptionem patiatur. Vox autem ipſa latius patet & plura ſignificat, ſi credimus Anonymo Cluſii ad c. V. Garciæ: *omnis lacruma odorifera ſive liquor vel ὀπὸς εὐώδης, uno nomine* بان *Arabibus dicitur. Itaque* بان يووي *Ben Javi eſt lacryma Javenſis.* Non tamen Ben, ſed Bân Javenſe benè appellaveris, quod alii corruptè Benzoinum aut Benjoinum efferunt. At nobis, ut fateamur ſignificationem illam generalem nec apud Lexicographos nec alios auctores huc usque reperire licuit. Carmini tamen, quo me olim honoris ergò compellavit Petrus EbnDiabi Halebenſis, vir juvenis modeſtus atque eruditus, cujus opera καλλιγραφίας & genuinæ enunciationis cauſa aliquando uſus ſum, بان والماسّ الشباب inſeruit. Cumque بان illud mihi explicari peterem, non aliud ab ipſo extorquere potui, quam Arabum Poëtas eodem amœnitates ſuas, non ſecus, ac Latinos, roſis, caſiis, liliisque adornare conſueviſſe: Hoc autem ſenſu ἐπάνθημα Græcorum referret, ap. Jamblichum perdoctè expoſitum à Tennulio. Quod tamen doctiorum judicio meritò ſubmittendum. Certè Jo. Hugo Linſcot, haut malè pro بان *Leban Javenſe*

Javense لبن يووي tus scil. seu λίβανον Javense rescribebat. c. LXXI. Frequens tamen glandis unguentariæ usus, ut vocula illa de quovis unguento aut odoramento acciperetur, causa fortassis esse potuit. Est & arbusculæ semen seu fructus in Arabia felici, quod Alpinus de plant. Ægypt. c. XVI. *Bon vel Ban* dici refert, de quo nonnulla non adeò vulgaria commemorabimus, quamvis hodiè plerisque cognitum sciamus. Figuram arboris Evonymo similem Alpinus in viridario Aalibæi Turcæ visam depinxit, addens: ex fructu Ægyptios & Arabas decoctum vulgatissimum parare, quod vini loco potent, & publicè vendatur Caovæ nomine insignitum. Illustris Veslingius, qui post Alpinum quinquennio integro regiones illas perlustravit in not. ad h. l. arborem quidem non conspexisse fatetur, fructu tamen nihil vulgatius esse ait, eumque Bunchon Ebnsinæ nostri putari, in urbe Memphi aliquot mille tabernis decoctum vendi, calidumque bibi, & Saccharo propter amaritiem edulcari, nec in Ægypto tantum sed finitimis quoque vasti imperii provinciis frequentissimum exsistere, quæ res & pretii magnitudinem inducat, & inter Europæos utilissimi medicamenti raritatem efficiat. Verissimè, si paucissima excipias. Nam quæ Alpinus sub persona Guilandini confabulantis contra Ebnsinam nostrum disputavit, nullius momenti sunt, ac si videl. scripsisset Sem. hoc calidum in tertio & siccum in secundo gradu constitutum, quod tamen non sit verosimile, quia sapore dulci c. pauco amarore nullam acrimoniam præ se ferat. Conferre etiam illud viscerum obstructionibus frigidisque tumoribus hepatis & lienis, stomacho tamen inimicum nauseam ciere & pituitam expurgare. Quæ tamen omnia Ebnsina noster non huic semini, sed Bân sive glandi Unguentariæ tribuit, ut videre est II. tr. II. c. LXXIX. in Alpagi editione. Nimirum vocis similitudine deceptus Alpinus بن *Bon* cum Bân, بان confudit, Arabicæ scil. linguæ minus peritus, quod plura libelli illius nomina testantur. Veslingius tamen noster

ſter intimius callebat. Cui tamen non magis quam Rauvolfio & cæteris adſentiri poſſumus, quicunque Buncon Ebnſinæ faciunt: Etſi enim multa huic conveniant, quæ Alpinus in præcedentibus adſcripſerat, ſunt tamen & alia non pauciora, quæ plurimum differre arguunt. Et ne ullus dubitationi locus ſuperſit, verba ipſa Ebnſinæ de Bunco adducamus quæ lib. II. c. propr. leguntur. بنك هو شي يحمل من الهند ومن اليمن

Eſt res quadam, quae ex India & Arabia felici defertur. Item

حار يابس في الاول يقوي الاعضا وجيد للمعدة

Calida & ſicca eſt in primo gradu. Confortat membra & prodeſt ventriculo. Hæc cùm decoctũ egregiè præſtare ſoleat, unde hodieq; Saccharo edulcatum magnatibus Italiæ pleriſq; eſt in uſu, evenit, ut Bon cum Bunco confunderetur, ſoni præcipuè ſimilitudine perſuaſis. Verùm quæcunque ex Ebnſina attulimus, ita comparata ſunt, ut aliis quoque rebus facillimè applicari poſſint: unde præſtaret ipſos hujus controverſiæ Arabes judices admittere. Apertè enim EbnBeitharus de ſimpl. Buncon Naſcaphthum Dioſc. exponit, cujus deſcriptio quæ l. 22. habetur, cum Ebnſinæ noſtri relatione maximè conſentit, quemadmodum & EbnMaarufi interpretatio in Lex. Perſ. Arab. Buncon radicem odoratam facit. Diſertè enim Ebnſina aliorum fide aliquid ex radicibus ام غيلان adfirmat, quod ſanè baccis aut ſeminibus illis nullo modo convenit. φλοιώδες enim dicitur, corticoſum, mori libro ſimile, συκαμίνε λυπίσματι ἐοικός. Pro Caova autem Alpini, Cahve reſcribendum ſic enim Turcæ Arabesque vocant, قهوه Ebnſina II. ſimpl. lit. خ

الخمر هو القهوه وقد ذكرنا في فصل الشين

Vinum eſt ElCahve, de quo jam mentionem fecimus in capite litera

tera شر Nempe ut supra monebamus, quod Muhammedanis genuinum seu propriè dictum vinum bibere non liceat. In voce autem شراب quæ non solùm vinum, sed quemvis potum significat, sic scripserat: أعني به القهوة *Per hoc intelligitur Elcahve.* Quæ tamen omnia, & plurima alia, ne quis miretur, in versionibus vulgatis planè sunt omissa. Matthæus Silvaticus in Pandectis Med. c. CLVI. nonnihil licentius, quam debebat: *Cahova, vinum album, debile*; Atque hinc Caphe illud corrigendum, cujus Sennertus mentionem facit I. Pr. part. II. in fine quæst. sexto capiti adnexæ. Bucretius enim, qui ad illum Venetiis perscripserat, dubio procul Turcas Cahve nominantes non benè intellexit, adeoque cùm Linguæ Arabicæ imperitus fuerit, in Caphe transformavit: quod aliorum relatione & conjecturâ parum fida fecit etiam Franc. Baconus Baro Verulamius, qui potum præterea non è semine arboris, sed siccata quadam herba concinnari putabat, manifesta confusione ejusd. cum illo altero Sinensium ex Cha parato, quem fruticem nobis Chamæleagnum Tataricam & Sinensem persuadere conatus est Sim. Paulinus, quamvis hanc Rhoi Obsonario Alex. Rhodius in descript. Itin. Gall. & Martinius Atlant. Sin. p. 107. similiorem, Cynorchodi autem speciem opinatus sit Jo. Neuhofius in Itin. Sin. plurimum quoque halucinatus sit Clusius, qui XII. sect. III. hist. rar. stirp. p. 474. Chalasam sive salicem Orientalium, aut Chamæleagnum fol. oleagineo argenteo fecerat. At multùm diversa, magisque vero consona Verulamius idem Centur. IIX. silv. experim. IↃCCXXXIIX. proferebat, de Coffa, potu Turcarum, utut hæc quoque vocula non minus vitiosa sit, quam Coffi anonymi illius viri docti, qui nuper adeò singularem dissertationem de illo edidit: optima tamen & fide dignissima, quæ Arabs ille protulit Pocokii curâ in lucem missus, quo fortè ipso copiosiora aliquando videre licuisset, si Amplis. Oratoris Batavici ad Turc. Imper. Levini Varneri scripta, hac de materia in publico comparuissent,

ruissent, quippe Linguarum rerumque Orientalium peritissimi, pollicitante Jo. Udalrico Vuallichio tr. de relig. Turc. p. 64. quem olim plurima in literarum augmenta meditatum, nunc verò in tumulo compositum, Parcarum inclementia ab instituto suo procul avertit. Hoc ipso autem eadem opera patere potuisset, quod de Cahve Turcarum quondam Petrus à Valle ad Josephum Donzellum Baron. & Med. Neapolitan. perscripserat, ustione nempe in farinam aut panem redigi, quod nobis inutile videtur, ipse tamen refert theatro Pharmac. pag. 231. Et similem ustilaginem cum recentibus granis Amstelodamo nuperrimè accepimus. Ustio sanè ingrata, vires quoque deperdit, ut levem aliquondam tostionem dicere voluisse existimemus: nec aliam sanè Orientis incolæ adhibere debebant. Lutetiæ Parisiorum ad signum Turcæ nunc publicè divendi, & Amstelodami apud Jo. Ainsvortum notavit F. P. in dissert. sua §. XI. & XIII. in usum quoque medicum à Viro excellentissimo Jo. Dan. Horstio adductum in curatione catarrhi proficuum §. IX. & XIV. Suecis, Danis, Britannis & Batavis contra scorbutum usitatissimum testatur Val. Andr. Mollenbrœccius tr. de Varis c. XIII. §. XXIV. Nemo tamen præter Neuhofium Itin. Sin. p. 57. cum lacte, quod sciamus coquere solitus, jusculi fabacei nomine commendavit. Nam quod de potu Sinensium, sampsou, dicto, sive vino Oryzeo, idem l. c. & p. 198. recenset, cùm lacte destillatum vini laticem vehementiâ ferè æquare, non aliter accipiendum putamus, quam sicut nos supra advertimus serum lactis inebrians oryzæ additum, à Tataris primum in Sinas invectum, verosimile videri. Quod enim ejusdem usu crebriori membra exteriora contrahantur, experientiæ non respondet, quamvis hanc Christoph. Keylingius Poliatrus Islebiensis, incertâ Armenii cujusdam relatione inductus jactârit, quod tamen decocto H. Sinensis innominatæ non injuria præferebat Leonardus Ursinus, rei plantariæ scientissimus: nullâ sanè malignitate metuendum, neque corrigentibus ullis indigens fatebatur illustris Veslingius epist. ad Athan. Kircherum LV. à Thom. Bartholino edit. suâ utique experientiâ,

ideoque maximi facienda. Hoc ipsum autem Alphonsus Pancius, doctissimus & politissimus Medicinæ professor Ferrariæ, & fructum quoque Clusio transmissum Elkave vocabat: quod tamen Elkave hist. plant. Rovilliana XIIX. c. XXXIII. in *Elicano* turpiter corrupit. Utrumque certè à vulgò *Cahve* nominari, tanquam συνεκδοχῇ quadam plurium Turcarum, Arabum, Persarumque relatione nobis constat, apud quos hac de re non uno tempore inquisivimus. Quod verò hoc amplius Clusius cæteroquin peritissimus not. in Garc. II. c. XXI. Alexandriæ potionem quandam ex eo fieri narrarit, vim non mediocrem refrigerandi obtinentem, benignius accipiendum sed ne mediocrem quidem meretur fidem. Calefacit enim, non refrigerat, cùm quia fructum calidum esse sapore amariusculo, & Medicorum Arabum experimentis evincitur, tùm etiam quod calidissima bibatur: *Chaube*, Rauvolfio part. I. hodœporici c. IIX. inconcinnius dicta, qui tamen ipse non semel Linguarum orientalium se minus gnarum ingenuè fassus est, atque ex vocabulis ubique libro insertis vel ipso tacente facilè deprehendi poterat. *Chaona* quoque Bern. Paludani not. in Linscot. & *Choana* Bauhini in Pin. theatri Botan. gravioribus typothetarum mendis haut dubiè accensenda. Alia quoque à Sinensi & Turcica ista potione, *Caouin* calida Tououpinambaultiorum in Brasilia apud Jo. Lerium hist. navig. in Brasil. c. IX. *Caavus* Jo. Stadio dicta, qui Hassiâ oriundus variamque fortunam illis locis expertus p. III. Americ. c. XVII. non ex Sem. arboris, sed frumento Indico confici testatar, quod vulgò, *Mays*, Indis autem *Avati* dicitur. Alia item *Caoi*, & *Acavi* Tapugarum: ex fructu arboris Acaybæ expressione parata ap. Georg. Marcgravium IIX. hist. Natur. Brasil. IIX. Alia quoque, quam Guil. Schutenius Hornâ Batavus in Insulis Coccorum & proditorum nominatis utrinque ad æquatorem sitis, atque à se, cùm totum orbem terrarum circumnavigaret, primùm detectis, è foliis quibusdam commansis & aquâ dilutis optimatibus usitatam refert, *Kavæ* nomine celeberrimam: præter cujus similitudinem cum Cahve Orientalium nullam aliam habet, nec calefa-

cta etiam adſumitur. Tabernas præterea illas in quibus deco-ctum vendi, & propemodum fervens bibi Alpinus & Veslingius teſtantur, quidſi thermopolia Arabum & Ægyptiorum diceremus? Nam & ap. Græcos & Romanos calidæ potum quondam uſitatum, cauponasque in quibus bibebatur, ſic appellatas, jam dudum viri docti obſervârunt. Utut enim aliis hac de re aliter viſum fuerit ap. Plautum tamen Rudent. act. II. ſcen. VI. Labrax naufragus apertè adludit:

Ædepol Neptune es balneator frigidus,
Cum veſtimentis poſteaquam abs te abii, algeo.
Ne thermopolium quidem ullum ille inſtruit,
Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.

Sed plura Lipſius I. Elect. IV. contra Hadrianum Turnebum diſſeruit: & ſingulari diſſertatione ad ampliſſimum virum Jo. Kueferum Archiatrum, Jo. Freinshemius: Ut planè nihil egiſſe arbitremur Petrum Paulum Fuſconem, tr. Ital. de pot. cal. & frig. c. VI. vett. hæc omnia ignota & inuſitata adfirmare auſus eſt, contra Anton. Perſium, qui eodem Idiomate aliquot annis antea de potu calidæ antiquis familiari eruditum libellum emiſerat, nec Lipſio Cent. V. miſcell. ſelect. epiſt. XXXVI. acerrimo cæteroquin talium arbitro & vindici, improbatum eò majori præterea errore, quod c. XII. ullam gentem hodieque calido potu uti negaverit, & Perſium immeritò reprehenderit, qui ex hiſtoria Indica elegantiſſimi ſcriptoris Jo. Petri Maffeji Japonios calidam potare narraverat pulvere H. Chiæ permixtam. Sunt enim Maffeji verba adeò clara, ut, qui aliter, ac cecidêre explicare conaretur, vix impudentiæ notam effugere poſſet. Cùm enim lib. VI. Sinenſes ex uvis noſtro more merum exprimere negaſſet, ſtatim addebat: *Cæterùm ex H. quadam expreſſus liquor admodum ſalutaris nomine Chia calidus hauritur, ut ap. Japonios.* Quod tamen Semedus part. I. relat. ſuæ c. I. de potu ex oryza c. melle excocto accipiebat. Unde Maffejus lib. XII. rectius de Japoniis: *Ipſi quoque ante omnia delectantur hauſtibus aquæ penè ferventis, inſperſo quem ſupra diximus pulvere Chia. Circa eam potionē diligentiſſimi ſunt,*

ac principes interdum viri suis ipsi manibus eidem temperandæ ac miscendæ amicorum honoris causa dant operam, certasque habent ædium partes huic ministerio dicatas: In iis foculus adsiduè stat, cortina è ferro liquato superimposita, inde venientibus & abeuntibus amicis pocula porrigunt: hospitibus verò in digressu contemplandam etiam offerunt gazam, quæ apud eos maximi fit: Ea fermè sunt illius, quæ dixi potionis instrumenta, focus & olla cum tripode, infundibulum, figlini Calices, Cochlearia & vascula, tùm herbæ ipsi, tùm pulveri, qui ex ea conficitur, adservando. Sed istis omissis ad Bân redeamus. Vulgatus enim interpres radices quasdam exoticas Been appellat, quæ genuinæ cùm paucissimis sint cognitæ, pro iis quidam eryngium, & galangam, nonnulli pastinacam, alii alia substituunt, ut apud M. A. Alaymum lib. de succedan. videre est, qui Margaritam Ægyptiam judicio Dalechampii ab Aristotele vocatam, sive Anthalium Plinii, Malinathallam Theophrasti & Italorum Tragi subrogandam censet, quamque Jo. Pona in Baldi montis descriptione Cyperi esculenti, & Petrus Laurembergius apparat. plant. I. lib. II. c. XIII. graminis amygdalosi novis nominibus insignivêre. Quidquid tamen sit, radices Been corruptissimè vocantur. Ebnsinæ enim بهمن *Behmen* dicuntur: ut ipsis adeò cum Bân nostro nihil sit negotii. Bân ergo herbam tormentillæ similem malè Bertapalea existimavit, qui ideò discriminis causa versum dirhythmicum & semiclaudum adduxit:

Termentilla pilos, Ben verò non habet illos.

Nos verius glandem Unguentariam sic vocamus, quemadmodum ex auctoris nostri descriptione patet, quæ cum Doctrina Diosc. περὶ βαλάνυ μυρεψικῆς omninò convenit, si quis conferre velit. Neque credendum Petro Kirstenio, cui in Indice simplicium Ebnsinæ *Bân* exponitur nux Vomica. Sunt enim fructus diversissimi quod optimè nôrunt, qui aliquando materiæ Medicæ inspectioni oculos commodârunt; Et Ebnsina noster II. simpl. c. de nuc.

de nuc. nutella, Vomicam dictam non Bân, sed جوز القي، *nucem vomitoriam* appellat. Ebnserafion quoque de simpl. ex plant. utramque capitibus disjungit, de Bân quidem agens. cap. CCLXXIIX. de nuce autem Vomitoria c. CLXIII. olim quidem ex unctuosa ejusd. medulla expressum oleum tantum advehebatur, nunc verò & fructus ad nos deferuntur, ita ut ex illa recentius ipsi conficere possimus: quamvis Jo. Manardus Hermolai Barbari sententiam sequutus è corticè expressum not. suis in EbnMasviam præferat: Quod tamen nec probari debet, sic enim Diosc. IV. 160. στυπτικώτερα δ' ἐστὶν ὁ φλοιὸς αὐτῆς. *At Cortex ejus magis adstringit.* Neque ex solo putamine tam arido exprimi potest, si experientiæ fidem habemus, quamvis diligentissimè etiam arctissimoque prælo constringeretur. De facultatibus ejusd. Ebnsina noster: ينفع الاورام الصلبة كلها اذا وقع في المراهم والثا ليل، *Confert tumoribus duris omnibus, si emplastris indatur, ut & verrucis.* Et paullò pòst: يسخن العصب ويلين التشنج والصلابات العصب وخصوصا دهنه، *Calefacit nervos & mitigat convulsionem, nervorumque duritiem, inprimis oleum illius.* Unde vis resolvendi ac emolliendi satis elucescit. Postremo igitur emplastrum de pice superest, quod Ebnsina super imponi jubet. Bertapalea id è cap. de Scrophulis petendum esse ait. Et auctor noster II. simpl. cap. de pice, يلين الاورام الصلبة وخصوصا الرطبة ويستعمل بدقيق الشعير علي الخنازير، *Lenit tumores duros, inprimis humidos, & cum farina hordei strumis adhibetur.* Lib. autem IV. sect. III. tr. II. c. X. de strumis curandis hæc habet:

ومن

ومن الادوية التي يوضع عليها زفت معجونا به دقيق
او مع عنصل او معجونا به اصل الكرنب مع
المقل والترمس بالخل والعسل وبالسكنجبين بالخل
وجميع هذه مع شحم الخنزير او مع الزيت

E medicamentis, quæ strumis superponuntur est pix, quæ miscetur cum farina aut scilla, aut etiam cum radice brassicæ, bdellio, & lupinis, cum aceto & melle, aut oxymelite, vel etiam stercus bubulum miscetur seu decoquitur cum aceto. Hæc autem omnia cum pinguedine suilla & oleo. Paullòque pòst: وكذلك دقيق الكرسنة معها ووحده بالخل والعسل او بالزفت والشمع والزيت *Eodem modo & farina ervi cum illis, aut etiam sola cum aceto & melle, aut pice, cera, & oleo.* πισσηρὴ θερμὴ, *Ceratum picatum* calidum Hippocrati in Mochlico, ex Foësii versione p. 868. & lib. de articulis, quà de narium fractura: ἀλλ' ἐπὶ μὲν τὰ ἕλκεα ἐπιθεῖναι πισσηρὴν: Foësius: *Ulceri ceratum, quod picem habeat, imponendum*, p. 803. In Glossario Mſ. Græco: πισσηρὴ κηρωτὴ, ἡ τετραφάρμακος καλεμένη. Galeni ſc. vulgare, cui & efficacius illud Sebizii noſtri ſubrogari poteſt, in quo ol. hyperici & nicotianæ, aut etiam Balſamines ſ. momordicæ: Quin plura ejusmodi è pice liquida ad impetiginem exulceratam deſcripta habentur apud Aëtium tetrab. II. ſerm. IV. c. XVI. quæ omnia heic locum habere poſſunt, inprimis autem illud Theodori ap. eund. tetr. IV. ſerm. II. c. XLIIX. ex Ceruſſa, polio, aut abſinthio, & pice liquida paratum, ἐυπόριστον utique, reliquis præferendum. Emplaſtrum è pice & ſulfure, doloribus & tumoribus externis felici ſucceſſu admovere ſolebat Guil. Rondeletius II. meth. cur. morb. XV. Cui quandoque Diachylon etiam adjecto

adjecto 🜍e substituebat. At Ebn Jezla peculiare emplastrum in direct. morb. tabul. partic. VII. §. I. descripsit ex Ceræ & ol. Sesamini singulorum libra dimidia, lithargyri, & cinerum Cannamini singulorum drachmis tribus, calcis drachma una conficiendum. Libram enim dimidiam reposuimus pro eo quod interpres rotuli quartarios duos vocabat. Talis siquidem proportio satis esse potest, quamvis cæteroquin non ignoremus, rotulorum diversa pondera in oriente haberi, de quibus in variis nostris ex occasione nonnulla disseruimus. Quibus nunc addamus è Mss. Schediasmatis ineditis Anonymi Græci recentioris in Bibliotheca Reipubl nostræ, ψωρικὸν ἐπίχρισμα πάνυ θαυμαστὸν, Linimentum Psoricum omninò mirabile, dracunculis quoque & omnibus ulceribus verminantibus perquam salutare: πικροδάφνης νεαρῆς ἁπαλὰ φύλλα οὐγγ. β΄. βράσον μετ᾽ ἐλαίου εἰς ἀποτρίτωσιν. καὶ τὰ μὲν, ἃ δεῖ, ῥίψον. εἰς δὲ τὸ ἔλαιον πρόσθες κηροῦ οὐγγ. γ΄. καὶ βράσον ἕως διαλυθῇ, ἐπίπασσε λελειωμένον θεῖον ἄπυρον οὐγγ. α΄. καὶ κατάχριε ἐν ἡλίῳ. τινὲς δὲ ἀντὶ τῆς πικροδάφνης σκίλλαν ἑψοῦντες ἐμβάλλουσι. Nostrâ versione: *Ex Picrodaphne novella foliorum teneriorum Uncias duas cum oleo coques, usq; dum contundi queant, & qua opus habebunt, teres. Oleo autem indes Cera uncias tres, iterumque coques dum dissolvatur. Tum insperges* 🜍is *vivi & lævigati unciam unam, atq; ad solem illines. Quidam tamen picrodaphnes loco* (quæ eadem cum Rhododaphne sive Nerio videtur.) *scillam coquentes adjiciunt.* Jo. Colerus XIIX. Oecon. CXLVI. etiam emplastrum Gratia Dei ad Crinones sive vermes ulcerantes commendabat, quod adduximus notis nostris in Marcelli Cumani obs. V. Nam & c. CLXXIV. ubi iterum H. Gratia Dei cum hyoscyamo laudata, dracunculos vett. vermiculos capillares infantium & ulcera verminosa omnia confusa reperias. Cui tandem addendum emplastrum ad morbum vermicularem dictum quod Placidus Trullius in Antid. Nosocomii Messanensis. p. 312. describit, licet adfectum ipsum non satis planum proponat ex lithargyro aureo, oleo, Cera, lap. Calaminari, opopanace, galbano, bdellio, ammoniaco, myrrha, mastiche, ture, aloë, ol. hyperici,

hyperici, & Te ebinth. venena parandum. Paulus denique & Aëtius alia commendant, de quibus cap. proximo agemus. Nam ex his quoque modò enumeratis nonnulla ad suppurationem referri possunt. Quæ cùm ad egressum faciliorem sive extractionem Venæ Medinensis faciant, Ebnsina præterea apertionem proponit: *Si videatur*, ajens, *apertione opus esse*, *ut integra prodeat*, *nihilq; sit*, *quod prohibeat*, *aperiatur*, *& extrahatur*. Quibus foraminis seu ulceris tantùm dilatationem dubio procul innuere voluit. Nam de incisione, quam tertiam operationis manualis speciem constituimus, demùm in sequentibus tractat, quò nos etiam differemus.

CAPUT XIII.

HÆc de extractione. Secundam autem Chirurgiæ speciem, suppurationem scil. Ebnsina his verbis docet: *Sin verò exitus ejus commemorata extractione non reddatur facilis, & apertio non sit possibilis, butyro eam putrefacies. Tota enim putrefiet atq; egredietur.* Vocabulum hoc putrefactionis in simili materia pro suppuratione auctori nostro non infrequens est, quod semel monuisse satis sit. Neque enim septica medicamenta admittit, sed expressissimis verbis excludit, ut paulò post videbimus. Suppurationem autem putrefactionem quandam esse eleganter notat Rod. à Fonseca Comm. in VII. aphor. XX. & σήψεως vocabulum antiquioribus etiam ab Empedoclis philosophi ætate latius acceptum perdoctè monuit Nobilissimus Sebizius IV. de alim. fac. II. non secus ac ἔριδος καὶ φιλίας principia omnis generationis atque corruptionis, imò & alterationis ac cujuscunque mutationis causas idem constituebat, notante Scipione Aquiliano de vett. Philos. placit. ante Aristot. c. XXIV. De butyro verò res vulgo etiam notissima, quod suppurationi promovendæ ab omnibus adhibetur.

Non

Non immeritò tamen oleum Nucis Indicæ eidem præfertur ab
Ebnserafione de simpl. c. CCXXIIX. دهن النرجل ex Coc-
cis scil. cui non tantum vis anodyna, sed etiam emolliendi, indi-
cio Cataplarchæ, Steph. Van der Hagen in Clusii curis poster. p.
124. quod hodieque Æthiopibus [כבא קוקו ;] majori copia
advectum inter dissipantia adhibetur, Valæo attestante meth.
med. p. 136. unde plerique Batavorum pharmacopœjis suis inse-
ruêre expressione paratum, Amstelodamenses sect. X. Hagien-
ses sect. X. & Ultrajectini sect. X. ex Indiis & Guinea quale etiam
nos habemus præter illud quod ex Coccis ipsi parare solemus.
Et nostrates in Classe XVI. pharm. Aug. nervorum doloribus
commendant: cui hoc etiam addendum, quod nucleum vetustæ
esitatum lumbricos necare & ejicere prodiderit Ebnsina noster
II. tr. II. c. III. Blommertius in Ms. Vossiano optimam vocat cu-a-
tionem, Nigris usitatam, cum butyro, sed quia à sanie corpus
primò emundandum ait, halucinatus videtur, butyri enim sup-
purationem rectius sequeretur mundificatio communi Chi ur-
giæ præcepto, quod nunquam violare licet. Paulus tamen p æ-
terea alia quædam addit. Nam Sorani, Leonidæ, & reliquorum
sententiam sequutus suppurationi promovendæ, etiam κατα-
πλάσματα πεπτικὰ præscribit, τὰ διὰ μελικράτου καὶ ἀλεύρου πυρίνου
ἢ κριθίνου, *ex aqua mulsa & farina triticea aut hordeacea para*
tis. Tùm subjungit: καὶ ἐμπλάστρου δὲ χρῆσιν ἔσθ' ὅτε δοκιμάζουσι τῆς
ὁμοίου δυνάμεως. ἁρμόσει δ' ἂν καὶ ἡ διὰ δαφνίδων, καὶ ἡ διὰ μέλι-
τος. *Sed & emplastri ejusd. facultatis usum quandoque probant.*
Commodum autem fuerit & id quod ex baccis lauri & quod ex
melle constat. Aëtius quoque Cornario interprete ait: *Cataplas-*
mata quoq; laxatoria ac suppuratoria è farinis c. aq. mulsa & oleo
præparata adhibeantur. Quod si dracunculus sponte progrediens
facilè extrahi poterit, nihil amplius faciendum est. Sin ad sup-
purationem vertetur, à Cataplasmatis & aquæ mulsæ ac olei ir-
rigatione non est discedendum. Nos verò & emplastrum è baccis
lauri post Cataplasmatum ablationem imponere solemus. Factâ

verò suppuratione, cutis per longitudinem dissecetur, & dracunculus denudatus auferatur, & cutis linamentis inditis dispare-tur, & reliqua curatio suppuratoria adhibeatur, ita ut animali suppurato & extracto ulcus incarnetur, & ad cicatricem perducatur. Cui in omnibus consentit Paulus Ægineta l. c. ut in excusis legitur: νεκρούμενα γὰρ ἐκ τῆς τούτων χρήσεως τὰ δρακόντια. ἤγουν τὸ περιεχόμενον σωμάτιον ἐκπίπτει. διαπυήσεως δὲ γενομένης εἰ μὴ ἐκπέσοι διαιρείσθω τὸ δέρμα, καὶ γυμνωθὲν ἀφαιρείσθω τὸ περιεχόμενον, καὶ διατεμνέσθω τὸ δέρμα. καὶ ἡ ἀκόλουθος πυοποιὸς ἐπιμέλεια δοκιμαζέσθω. Cornarii interpretatione: *Nam ex horum usu dracunculus sive corpusculum illud contentum mortificatur & excidit. Suppuratione verò contingente, si non exciderit, dissecetur cutis, & denudatum id quod continetur, auferatur, & linamenta indantur, & deinceps suppuratoria curatio adhibeatur.* Emplastrum verò ex melle nominatum, *Cera, adipe anserino, oleo veteri, lithargyro, terebinthina, & melle componendum* describunt Oribasius IV. loc. adfect. cur. CXXV. & Nicol. Myrepsus sect. X. c. CIX. haut dubiè ex Galen. VI. meth. med. III. Quin ipsum mel, nullis aliis additis satis commodum docente Plinio Valeriano: *Vomica suppuratur melle, in quo sunt apes demortua.* Sic enim legendum, non: *Situ privatur:* corrigente Gasp. Barthio III. 4. & 23. At alterum è baccis lauri EbnMasviæ antid. dist. XI. propositum, è *ture, mastiche, myrrha, baccis lauri, Cypero, Costo, & melle* concinnatur, quod Valerius Cordus, & pleræque pharmacopœiæ receperunt, hodie in usu plurimo habetur. Silvius tamen in notis ad l. c. malagma διὰ δαφνίδων, è *baccis lauri, nitro rubro, ammoniaco, Cera, resina picea, & pice Bruttia fiatam ab emplastro diversum esse monet.* Galenus verò id VII. comp. med. s. gen. VII. è *Cera, pice Bruttia, baccis lauri, nitro, resina fricta* (vertente sic Guintherio) *galbano, pipere albo & Cyprino* componit. C. Celsus V. de re med. XIX. duplex emplastrum διὰ δαφνίδων habet, quorum prius extractioni tantum, posterius autem & suppurationi convenire testatur, è *sebi vitulini, ammoniaci thymiamatis, picis, ceræ, nitri, baccis lauri,*

resina

resinæ aridæ, aristolochiæ & pyrethri paribus portionibus conficiendum. Plura quoque malagmata papulantia, μετασυγκριτικὰ, & extrahentia ex flore salis & nitro proponit Cælius Aurelianus II. tard. I. quæ sanè heic interdum admitti possent, sed evitatis acrioribus, tumori aperiendo, dracunculisque evocandis: Ut illud quod Nileos, dia daphnidon, Apollophanis, & Ctesiphontis vocatur, ap. Galenum requirenda, unde Aëtius etiam transscripsit tetr. II. serm. IV. c. LVII. ubi tamen pro illo ex bacc. lauri Cissophontis, fortasse Ctesiphontis rescribendum; aliud item ex sem. rorismarini, emplastrum ex herbis, Icesium dictum, & Thraseæ; nec non Cyzicenum Irino remixtum, quod humiditate absumpta habitum corporis firmare idoneum, ut supra Ebnsinam: *fulcire membri imbecillitatem*: dixisse advertimus. Cui præterea etiam optimè conduxerint Acopa omnia cap. CIV. inprimis autem illud Liviæ Augustæ, & Antoniæ matris claudii Cæs. ap. Scribonium Largum comp. CCLXXI. Nec reticendum hoc loco, quod suâ experientiâ opportunè monuit Cornelius Herls Chirurgus Medioburgensis Exam. Chir. part. II. p. 255. Belgicâ L. edit. In regionibus scil. meridionalibus, ut Barbaria, & in litore Guineæ, totoque etiam Indiæ tractu ulcerationes majori, quam nostris in terris, abstersione indigere, & medicamenta siccantiora requirere, quia aër ibidem facilè putrefactionem inducat. Quippe calore interdum & interdum humiditate pluviosa excedens, sed hanc ipsam tamen ob causam nec nimis siccantia aut septica accipienda, de quibus in sequentibus plura differemus. Quod præsenti negotio aptissimum videtur, Nam id quod Ebnsina III. Can. sect. XVI. tr. IV. c. XV. ad Coli dolores frigidos describit, Catharticum potius est linimentum sive epomphalium purgatorium, hac descriptione:

يوجد شمع تماني كرمات علك البطم ست كرمات
تربد ثلاث كرمات ميويزج كرمه ونصف عاقر قرحا
مرزنجوش

مرزنجوش حب غار بزر انجره ترمس يابس شحم
حنطل من كل واحد كرمه ونصف سقمونيا اوقيه
وثلث كرمات مرارة ثور مقدار الكفايه يتخذ منه
طلا ثخين .

Nostra versione: *Accipiantur Ceræ digrammata octo, resinæ Terebinthinæ sex, turbedi tres, staphidis agriæ, una cum dimidia, pyrethri, Samphuchi, bacc. lauri, sem. urticæ, lupin. siccor. pulpa Colocynthid. singulorum una & dimidia, scammonii uncia cum digrammatibus tribus, fellis taurini quantum satis fuerit, ut fiat linimentum spissius.* Addit quidem Alpagus in edit. sua: *olei laurini* itidem quantum satis sit, verùm in textu Arabico Medicéi Codicis non habetur, cui tamen, si alii consenserint, hoc quoque adjicere nil prohibebit, quamvis ejusmodi epomphalia sine oleo & Cera haut absque ratione parari soleant.

كرمات . Gerardus Carmonensis, *Carmet*, nequidquam interpretatus, quia ex nostris ponderibus nullum vocabulum ejusdem valoris occurrebat. Nos: *digrammata:* reddidimus i. e. scriptula sive grammata duo: non nostra, XX. granorum singula, sed antiquorum, quæ XXIV. Græca enim vox كرمه . γράμμα, quam Arabes non satis intellectam duplicâsse videntur. κεράτια ἕξ, *sex siliquæ.* κεράτιον, *siliqua, quatuor granorum.* كرمه . autem Arabum consuetudine اثني عشر قراريط . *Siliquæ sive Ceratia (vulgô Carati)* XII. id est, duo scriptula, quæ si nos novâ nomenclaturâ, *digrammata*, at saltem analogiæ Grammatices minimè contrariâ appellavimus: nunc enim notari tantum volumus, atque commodiori loco singulari dissertatione plenius exponemus. Locus præterea Æginetæ supra cit. emendandus ex Mſ. Bibl. nostræ publicæ, quod sæpius jam laudavimus,

vimus, & ſanè à vulgatis omnibus haut parum diſcrepans Senſus ubiq; multò meliores ſuppeditat. Nam ante illa: διαιρεῖσθαι τὸ δέρμα: Sic habet: νεκρούμενα γὰρ ἐκ τῆς τούτων χρήσεως τὰ δρακόντια ἐκπίπτει. διαπυήσεως δὲ γενομένης εἰ μὴ ἐκπέσοι, διαιρεῖσθαι τὸ δέρμα, καὶ γυμνωθὲν ἀφαιρεῖσθαι τὸ περιεχόμενον, καὶ μοτοῦσθαι. Quod enim in Aldina: διαπομούσθω τὸ δέρμα: Cornarius in verſione: *linamenta indantur:* reddidit, tanquam: μοτούσθω legiſſet: Nos ſic integra reſtituimus: *Horum uſu mortificati dracunculi prolabuntur. Suppuratione a. factâ nisi ſponte exciderit, ſecanda cutis, & denudatum id quod continetur, auferendũ eſt, ac linamenta indenda.* Ebnſina noſter tantum apertionem commemorat: البط عنه nullâ illorum mentione factâ, quorum utique nomine turundæ potius dilatatoriæ, quam aliæ, depoſci videntur, ut ad Marcelli Cumani obſerv. LXVII. obiter adnotavimus. *Abſcindatur caro Venæ Medeni:* ut idem Ebnſina noſter part. IV. Cantic. loquitur. i. e. *tumor incidatur ſive aperiatur.* Sic enim ſemibarbari carnem additam, quamvis inflammationem ſive intumeſcentiam in muſculoſis maximè partibus vocabant, ut not. ad Marcell. Cumani obſ. IX. monuimus: Quod Arabum phraſin non ſatis percepiſſent. Anton. Deuſingius in verſione ſua Groningæ quondam edita §. 234. non malè: *Inciditur caro ob Venã Medinenſem.* Ipſam capitis inſcriptionem reddens: *Commemoratio operationis per inciſionem carnis:* ذكر الافعل في البط من اللحم Eleganti & peculiari loquendi formulâ: Cùm enim بط Jauhario ſit: *findere aut pertundere ulcus:* & regulariter cum ſecundo obliquorum apud Arabas conſtruatur: Ebnſina tamen ſemper cum præpoſitione uſus eſt, etiam aliis locis: البط عنه i. e. non: *amputationem aut abſciſſionem:* intelligendam innuens, quam alias per انقطع expreſſit, ſed artificioſam ſectionem, ſive apertionem car-

carnosarum partium sectione peractam, sive priori superiorique, sive posteriori inferiorique, sive denique medio ipso adfecto loco instituendam: Hæc enim omnia præpositio illa, contingentium necessitate variâ, significare potest. Quod dum notatu dignum judicamus, hoc quoque simul liberius profitemur: Deusingium, qui juvenili illa ætate interpretis partes non indecorè sumpserat, Rempubl. Medicam arctius multo sibi devincire & demereri potuisse, si Latinis suis Arabica ex Golii Mss. adjungere voluisset, quia libellus rarior est, nec in plerisque vastioribus Ebnsinæ operibus habetur, quem etiam Romani ex Cod. Mediceo pretiosissimo propterea excudere non potuerunt. Exstant quidem Hebraicæ illius paraphrases in Bibliothecis Europæis quibusdam, sed autographum Arabicum præter Cl. Golium fortasse nemo possidet, paucissimi sanè inspexerunt. Cæterùm, ne quis audita putrefactione, eandem per medicamenta septica, aliave acriora institueret, egregiam cautionem Ebnsina adjungit: *Sed Canesis ab usu acrium medicamentorum, sic enim aliquando transit in phagedænam* Vetustus Interpres male: *Et cave ne administres calida ex medicinis.* Haut dubiè الحارة pro الحادة legens. Vocabulum etiam الآكلة *Esthiomenum* exposuit, pro quo nos *phagedænam* sive ulcus depascens reposuimus. اكل enim depasci significat, quod non minus τῷ φάγειν quam τῷ ἐσθίειν convenit. Gerardus etiam ipse IV. sect. III. tr. I. cap. XV. الآكلة وفساد العضو *Corrosionem & corruptionem membri* reddidit, qua non solùm gangrænosam, sed etiam ulcerosam quamcunque serpiginem, & pravam aut venenosæ Naturæ intelligebat:

القروح الردية الساعية السمية الجوهر

Galenus quoque II. de art. cur. ad Glauc. c. I. de bile flava verba faciens: εἰ μὲν δὴ παχεῖα τὴν σύστασιν εἴη, πᾶν ἕλκει μέχρι τῆς ὑποκειμένης σαρκὸς τὸ δέρμα, καὶ καλεῖ τούτους Ἱπποκράτης ἕρπητας ἐσθιομένους.

Si qui-

Si quidem crassa sit secundum substantiam, totam exulcerat cutem usq; ad carnem subjectam, atq; hunc adfectum Hippocrates nominat Herpetem exedentem. Et clarius Comm. in VI. aphor. XLV. τὰ μὲν οὖν ἄλλα τῶν ἑλκῶν ἀεὶ μείζω καὶ χείρω γίνεται καὶ σύμπαντα ταῦτα φαγεδαίνας ἐκάλουν οἱ παλαιοί. *Alia itaq; ulcera semper majora & deteriora fiunt, atq; hae omnia phagedænas antiqui nominabant.* Julius Pollux IV. 25. quamquam non Medicus, ex Medico tamen aliquo antiquiorî, ut videtur, perquam apposite: φαγέδαινα, ἕλκωσις, ἄχρι τῶν ὀστῶν διαδιδοῦσα, ταχεῖα νομὴ μετὰ φλεγμονῆς, ἰχῶρας δυσώδεις ἀφιεῖσα. *Phagedæna exulceratio usq; ad ossa progrediens, subitò depascens cum inflammatione & ichores fœtentes emittens.* Hæc sanè iis apprimè conveniunt, quæ de periosteis & lymphæ ductibus supra dicebamus. At Galenus postquam diversas ulcerum distinctiones recensuisset, addebat: ἀλλ' ἡμῖν ἀρκέσει τῶν μὲν ἐπιλαμβανομένων τι καὶ πέριξ χωρίου τὰ μὲν ἕρπητας ὀνομάζειν ὅσων ἐπιπολῆς ᾖ, καὶ κατ' αὐτὸ τὸ δέρμα. τὰ δὲ φαγεδαίνας, ὅσα καὶ τὴν ὑποκειμένην διαφθείρει σάρκα. *Nobis verò sufficiet, ex iis, quæ aliquid loci circumstantis occupant, alia herpetes nominare, quæ summam cutem tantum infestant: alia phagedænas, quæ carnem subjectam corrumpunt.* Cùm igitur dracunculi non summa cute, sed sub illa in partibus musculosis habitent, apparet, ulcus incuria Chirurgi & acriorum usu deterius & depascens redditum, rectius à nobis phagedænam dictum, quam Gerardo & Alpago *Esthiomenum:* Ut nunc silentio transmittamus, jamdudum plurimorum damno compertum esse, quam sordida, quam profunda, & exedentia ulcera, medicamenta septica aliaque acriora sæpissimè excitârint. Fallopius autem l. de tum. p. n. c. XXVI. veniam meretur, *Esthiomenum* ab Arabibus Gangrænam rodentem & ambientem nominari putans, ut cui non soli hunc errorem vulgata versio persuasit. His denique omnibus Ebnsina aliam observationem adnectit, qua ratione venæ Medinensis integræ egressus absque disruptione promoveatur: Nempe: *Quod si etiam extrema illius paullatim sale, sed*

adsiduè confricentur, aut etiam à parte posteriori lenis frictio instituatur, locusq́ unde progreditur, blandè & commodè inungatur, tota omninò egredietur. Antiquior editio Veneta nihil de frictione habet, sed verba hæc: الدلك على اواخره reddidit: *Ligatura super extremitates:* quod sali nullo omnino modo convenit, tanquam الشك pro الدلك legisset, id enim fascia aut vinculo latiori stringere significat, Gerardus Carmonensis: *super postericum:* quod Ranchinus l. supra c. emendabat: *posteriorum partium.* Alpagus: *fricatio cum sale; & illud sit retrò* دلك من خلف Rectius ad mentem Ebnsinæ, qui nullam ligaturæ mentionem facit, nisi quæ instrumento tractorio fit ipsius dracunculi, non partium adfectarum, quamvis hanc quoque apud Aëtium Leonides validiorem filo institui jubeat, ne animal recurrat. De unctionibus autem supra jam plura diximus. Atfrictio cum sale instituta, quid præcipuè præstare valeat, non satis liquet. Forsan experientia auctoris nostri cuivis satisfecerit. Ut tamen rationem quoque aliquam addamus, est in sale vis digerendi simul & aliena è corpore extrahendi: quod ex emplastris illis abunde constare potest, quæ Galenus ex Andromacho VI. de comp. med. s. gen. XIV. adducit, & ἁλικὰ sive salsa appellat. A quibus etiam non multum diversa sunt τὰ ἐξ ἁλῶν à Græcis nominata, quorum album unum, alterum nigrum describit Scribonius Largus Comp. CCXVII. & CCXIX. & Nonus c. CCXL. etiam ad inflammationes Oribasius III. Synops. ad strumas & abscessus commendat. Quo Scopo Indi & Sal Ormutianum cum fol. tamarindi arboris, phlegmoni imponunt prodente Acosta c. XXI. Cui si addas Salem vermibus inimicum esse, adeò, ut non tantum apud Plin. XXXI. 11. cum vino potus etiam tæniarum genera pellat, sed apud illum alterum, qui Valerianus cognominatur

tur III. 22. cum nepeta tritus & appositus, vermes neglectis in vulneribus enatos ejiciat, fortasse res omnis expedita fuerit. De ejusdem quoque generibus latissimè acceptis Diosc. V. 126. δύναμιν ἔχουσι πολύχρηστον στυπτικήν τε καὶ σμηκτικὴν καὶ ἀποκαθαρτικὴν καὶ διαχυτικήν. i.e. *Noster Sal ad multa perquam utilis est, adstringens, abstergens, repurgans, dissolvens, dissipansve.* Horum sanè consideratione Medici Marpurgenses omnes aquas salsidulas ad scabiem, impetiginem, vermes capillares, & ulcera serpentia, ex hydrothesauro Jac. Theodori laudâsse videntur in responso II. de acid. Sualbacensibus ad Helvicum Dietericum perscripto. Guineenses utique marinâ lotione utuntur, quod Hulsio memoratum contestatur Sam. Blommertius sæpè jam cit. ap. quem tamen non satis intelligimus cicurationem vermis sive dracunculi, quam adfert ex illo O. Dapperus. p. 463. **Die Schwartze schlagen keine Hand an die Würmer / sondern lassen sie bezähmen / und waschen die Wunden nur mit Saltzwasser ab.** Nullum sane commodum sensum, vel plebejis medicationibus aptum hæc verba præbent. Nullus heic cicurationi locus, aut certè quid **bezähmen** sit, non capimus. Superest tertia operationis manuariæ species, sectio sive incisio, de qua paucissima adjiciemus. Duplicem enim constituit Ebnsina, unam dracunculo integro extrahendo, alteram verò quæ abrupto tantum conveniat. De illa sic scribit: *Maximè verò si secetur locus longinquior ab illa, ibique immisso subtus specillo depellatur, & frictio dum egreditur, cum sale paullatim & blandè continuetur. Ubi enim cum ipsa ita actum fuerit, tota egredietur.* Sic verò nobis vertere placuit, quia ed. Veneta antiqua habebat: *& inungatur locus, ex quo egreditur:* Gerardus Carmonensis: *egressione ejus:* Alpagus in margine ex variis lectionibus Cod. Ms. *Cum & extrahatur ex loco egressionis cum subtilitate seu ingenio & facilitate.* Hæc enim omnia obscura minusque expedita nostris præferre non merentur, quibus sensum planiorem reddidimus, & unde fides conjecturæ nostræ, quam de dracunculo partibus quibusdam adnato

 sive

five adhærente, ad lumbrici lati similitudinem supra proposuimus, luculentissimè firmant. Nimirum & Ebnsina loco ab orificio sive ulcere, per quod egreditur, remotiore, cutem secari jubet, ut specillo immisso à partibus, quibus adnatus aut defixus adhæret, liberari & depelli, adeoque absque impedimento promptius extrahi possit. Gerardus Carmonensis in antiquissima versione sua pro loco longinquiori: *penetrationem:* reposuit, sensumque propterea valdè obtenebravit. Posteriorem autem Ebnsina his verbis exponit: *Quod si rumpatur, sese occultet, nullum dubium esto, quin aperiri debeat, ita ut denuò capiatur, deinde leniter extrahatur, & locus ut vulnera solent percuretur.* Antiqua ed. Veneta CIↃ IↃXXVII. quod Alpagus in margine reddiderat: *Capiatur vice alia, deinde extrahatur:* Gerardus obscurius in textu reponebat: *Nisi inveniatur modus alius, deinde egrediatur.* Quæ omnia. cùm suâ luce radient, nil opus est pluribus exponere. Franc. tamen Pedemontanus foramini radium imponi voluit, si dracunculus recurrat, & cutem secundum longitudinem discindi. Rasæus in Marestana, sive Nosocomio publico abscissam venam Medinensem, incisione & vulneris dilatatione digito aut etiam turundis & linamentis factâ, demùm peractis omnibus cicatricem Unguento Cerussæ inductam vidit XXVI. Contin. tr. II. c. II. Nec aliam ob causam hanc quoque incisionem secundum longitudinem, & supra immissum radium peragere præcipiebat Abulcasimus l. c. Conchulas marinas in pulv. redactas cum oleo consolidandis fissuris atque cicatrici inducendæ laudat Bututus gloss. in Constant. Afric. VII. Viatic. XXXII. quo scopo etiam Ung. citrin. sive Basilicon Nic. adhiberi poterit, cui Corallia, & umbilici ac tubuli marini unà cum conchulis minimis dentalium nomine insignitis permiscentur. Parum enim refert, quascunque quis acceperit, cùm omnes omninò siccandi vi polleant, utut Bututus pectines elegerit, sive ut Tornamira in IX. Ras. LXXXIII. vocabat, conchylia Romipetarum, & S. Jacobi, Compostellana. Hoc enim præterea adjiciendum

endum ipsam rupturam aut abscissionem dracunculi ex se non adeò periculosam videri, nisi aut nimis violenta fuerit, aut pars illius residua occultetur, ut denuò capi non possit, quemadmodum ex Abulcasimo l. c. apparet. Incidere enim consulit, si valdè sit prolixus, dummodò incisus non retrocedere atque illatebrari possit, quo casu plerumque abscessus & mala ulcera deinde excitantur. Coronidis tandem loco etiam de cauteriis quidpiam dicamus, quæ Leonardus Bertapalea commendat. Hujus tamen verbis, ut valdè inamœna sunt, ita quam quisque volet, fidem habebit, cùm neque Ebnsina, neque Arabum alii cauteriorum ullam mentionem faciant. Sic ergò ille: *Incipe ab uno capite, & perfora cum Gameut, cujus descriptio est in margine, vel cum rasorio, vel cum lanceta, super stilum usq; ad orificium, & deinde sanguinem emanare permittes, & postea caustica cum ferro ignito: sic faciunt Marescalchi in vermibus equorum, quando supervenit eis passio bovina vel equina, quæ passio dicitur à vulgaribus: lo male de lo vermo.* Verum in editione antiqua, quam Venetiis Gregorius de Gregoriis CIↃ IↃXCIII. curavit, & qua nos usi sumus, nullum instrumentum in margine depictum aut descriptum cernitur. Marianus Sanctus Barolitanus in examin. Med. Chir. *Gamaut* instrumentum esse ait, acuta cuspide, in speciem falcis deductum, ex sui concavo acutissimam aciem servans, obtusum verò à parte convexa, quæ tergum dicitur. Unde non aliud quam cultellum falcatum aut potius Syringotomum intelligi planum est. Ebnsina noster IV. sect. III. tr. II. c. V. de curatione nodorum sive abscessuum ex Antyllo, pro quo in margine Benedictus Rinius Rasæum substituit: فاسلخه بالقمادين حتي يخرج الكيس ، Gerardo interprete: *Excoria ipsam cum Ganndiæ donec egrediatur cystis.* Kamad in, vox Persica, σκολοπομαχαίριον Pauli Æginetæ VI. 74. Jani Cornarii versione, *cultellus aculeatus*, Foësio in Oeconom. Hippocr. rectius,

us, *acutus ad paxilli formam accedens.* Syringotomus Hieron. Fabricio Aquapendentio de operat. Chir. p. 141. *Spatumen curvum* Jo. Andr. à Cruce Chir. sect. I. lib. I. c. IIX. Ubi tamen figura à Syringotomo multum diversa habetur. Sed & Marianus eodem loco Lanceolam longè rectius nominat, quam Bertapalea *Lancetam* minus Latinè appellabat, Henricus Smetius X. miscell. Med. Scalpellum Gallicum vocat, dubio procul, quod apud Gallos ad venarum sectiones quotidiano in usu esse animadverteret. De equorũ autem curatione supra aliquid ex Veterinaria Ruellii Medicina attulimus, ubi disertè ustio laudatur. Hanc Bertapalea equariis adscribit, quos voce Italica Marescalcos nominat; vett. enim Hippiatri dicebantur. Videtur tamen boum vermes cum frequentissimo equorum adfectu, quem vulgus vermem vocat, potius tamen ulceris genus est, incuriosius confudisse, nisi ille forsan censendus sit, quem superiori c. V. secundo loco descripsimus. Vegetius I. Mulomed. c. VII. morbum farciminosum vocat, *cùm in lateribus, in coxis, & in verendis quoq; partibus, & præcipuè juncturis membrorum vel in toto corpore collectiones inflantur, rursusq; his velut sedatis, aliæ renascuntur.* Tumores & abscessus collectiones appellans ut Græcorum συλληθροισμοὺς exprimeret, eosque postea c. XIV. *rectis cauteriis inuri & cuprinis* jubet, (si modò hæc vera est lectio, quam in plerisque aliis post Sambuci recensionem, Manuscriptorum opere atque ingenio, quo valebat maximè, Cl. Rhodius quondam noster emendaturus erat, si fata non invidissent) reliquam verò curationem pice liquida, melle, & oleo commixtâ peragendam docet. Cui hoc denique addendum: fonticulos, tumore suppurato, à dracunculo abrupto inprimis, proponi etiam ab Hemmersamio Itin. Guin. c. XIII. tanquam vulgo ibidem usitatos: Sed ustione potius, dubio procul, quam medicamentis erodentibus excitandos: quamquam & hoc quoque non adeò multum referat. Tantum verò est, quod de dracunculis seu vena Medinensi proferre lubuit, quæ si non omnia aliorum exspecta-


ſpectationi reſponderint, veniam ſaltem humaniores non denegabant, hac ſcilicet in re, quæ hodie ferè ignota, tantum non omnium noſtrorum Medicorum experientiam refugit. Neque à quoquam unquam accuratius expenſa, aut dignè pertractata fuit. Cæteris autem illud Arabum apophthegma de communi omnium ſorte in memoriam revocabimus;

كيل ابن الانسان ،


هو ابن النقصان ،

والحمد لله ،





GEORGII HIERONYMI VELSCHII
EXERCITATIO ALTERA
DE
VERMICULIS CAPILLARIBUS INFANTIUM.



§. I.



Um secundo prioris exercitationis capite dracunculum seu Venam Medinensem ab aliis morbis discerneremus, ut eò magis elucesceret, quantum ab illo infantium adfectu differat, quem vulgò pilarem vocant, & invicem confundunt, polliciti sumus, singulari exercitatione, priori subjungenda, de illo nos dicturos esse. Hoc igitur nunc agamus. A nomine incipimus, nam, teste Aristotele, δεῖ πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν πρῶτον ἐξετάζειν ὀνόματα. Ex Medicis antiquioribus nemo, & è recentioribus paucissimi adfectus hujus meminêre. Vulgus Germaniæ appellat: **Mitesser / oder Mitfraß:** Norici, scribente sic Viero in tr. German. de Varis vocant: **die dürre Maden:** Unde fortasse corrupta vox illa Mich. Papæ Rochlicienssis tr. Germ. de pellend. verm. & an. venenatis. p. 191. **Darm Maden:** Gall. *Tarmes:* mallemus enim: **Darre Maden:** Nam **Darre:** idem quod macies aut tabes corporis. Aliis: **die zehrende Würme:** dicuntur. Latinus Vieri paraphrastes apud Henric. Smetium III. miscell. Med. Germanicum nomen versioni ineptè intrudens: *Mitessere-nos:* reposuit, non levi sanè crimine, & quod Orbilius aliquis vel in puero objurgaret. Comedones aut vermes comedentes quorundam sententia rectius dicerentur. Nec desunt etiam qui vermiculos consumptores appellent. Cujus nomenclaturæ rationem optimè edidit Jo. Schenkius V. observ. CLXXXIIX. quod alimentum infantium, quos infestant, abripiant sive absumant, adeoque maciem inducant. Quæ cùm ad extremum jam deducta est, etiam aliud nomen adfectui parere solet, de quo Theod. Corbejus aut verius Jo. Magirus II. pathol. sect. VII. c. V. his verbis: Iis adfecti tandem citra anorexiam vermiculis humorem ali-

alimentarium depopulantibus in eam atrophiam & maciem incidunt, ut cuncta deperdita carne vix ossibus hæreant, cum tanta artuum titubatione, ut ne quidem pedibus inniti possint, & tunc: den alten Vatter nominant. Henricus Varenius disp. XXI. Nosolog. Herm. & Gal. §. XIV. Crinones vocat, eosque duplices facit: priores locis maximè articulis vicinioribus generari, ac tumorem cum dolore mordicante & lituras subnigras, scorbuticis non dissimiles, excitare ait, quæ interdum in ulcera Chironia terminentur, atque tùm demum à suis vocari, der Haarwurm: posteriores verò absque ullo tumore cum dolore tamen, lassitudine, imbecillitate virium, & insigni atrophia infestos esse, quo mox §. XV. etiam refert, infantilem illam (sic enim vocat) cum psora conjunctam atrophiam, doloribus lancinantibus, vespertinis & nocturnis potissimum horis tenellis corpusculis mirum in modum molestam, atque à suis die Bernegrundt / nominatam. Ambrosius Paræus VII. Chir. XXI. *abscessus*, inquit, *rarum genus in memoriam revoco, id Cridones*, (credo *à crinibus*) *nostrates Galli nominant: pueros præsertim divexat ac quasi spinularum aculeis compungeretur dorsum, huc illuc se jactant, quietis impatientes: ab exiguis quidem, qui vix aciculæ longitudinem æquent, sed crassis & spissis pilis oritur id malum.* Nos tamen Paræum putamus Crinones scripsisse, non *Cridones*, quam voculam fortè typographus depravavit. Crinones etiam & dracunculos à qualicunque similitudine vocabat Balthas. Timæus V. obs. cas. XXIII. Galli enim *Crinons* appellant, à crinibus haut dubiè, qui iisdem *Les Crins* dicuntur, & cum vermiculis illis magnam habent similitudinem. Imò si verum fateri oporteat, & ipsi vermes capillares sunt ulceribus pedum fœtentibus innati; אבזק Hebræorum, *vitium pedum quod à vermibus fit:* & אבזקה vermis pedum, in Lex. Rabbin. Talmud. Buxtorfii. Quales à Joachimo Jauraviensi Lixivio fraxineo, immaceratis spicis secalinis, & decocto Corticum quercûs novellæ, ac denique inspersione pulveris ex tormentilla aristoloch. rot. bolo Armen. & myrrha curatas recensuimus inter observationes Hieron. Reusneri CXLV.

CXLV. ad quos & diapasmate non valdè absimili feliciter utebatur Volfg. Theodericus Cneringius vir nobilis reique Medicæ peritissimus in Mss. nostris. Cum Crinonibus etiam Persicis apud Jo. Eusebium Nierembergium dracunculis, & varis confundit Val. Andr. Mollenbrœccius tr. de Varis sive arthrit. Vaga scorbut. c.I. Jo. Schenkius I. c. *pilos infantes infestantes*: Item: *Vermiculos intercutaneos* vocat, additque quibusdam morbum sive *adfectum pilarem* dici. Græci τριχίασιν ἢ τριχίαν nominassent dubio procul, si morbum cognovissent. Non unum enim adfectum ita appellârunt, ubi Latini interpretes semper morbum pilarem, seu malum pilare reddiderunt: Sic enim primò ciliorum & palpebrarum triplicem adfectum nuncupant, φαλάγγωσιν videl. πτίλωσιν ὑπόφυσιν. Tùm mictum pilorum, cujus nos supra mentionem fecimus. Fracturæ item cranii speciem quandam, quæ, cùm tenuissima sit, sensum omnem effugit, ideoque sæpè letalis deprehenditur. Denique & mammarum dolorem, à pilo, ut quidam suspicantur, ex Aristot. VII. histor. an. XI. in potu fortè hausto, excitatum, seu potius à Vermiculo pilum referente, quæ Guil. Rondeletii sententia erat. Rarus quoque adfectus, trichiasis aurium A. M. Venusto part. II. Consil. XXVI. memorata, in opere à Josepho Lautenbachio collecto, filamentis ex pituita, à longa surditate, sternutatione ejectis: Et Linguæ, pilis sat longis in eadem excrescentibus apud Amatum Lus. Centur. VI. cur. LXV. σκώληκες τριχοειδέες ἢ ὑποδερμιδες Francisco Joëli Pr. Med. X. sect. II. §. XI. quos vett. omnibus Gr. Arab. & Latin. incognitos putabat, non secus ac dracunculi vett. olim nostris omnibus ignoti & indicti erant, antequam navigationes in utramque orbis partem excolerentur. Vermes in dorso Gallicè *Masclous*, dicti Petro Borello Cent. I. obs. IIX. quos capillaribus in facie, totoque corpore pruriginosis haut ineptè comparabat, iisdem nempe cum setis Narbonensibus Meysonnerii, de quibus priori exercitatione. Dalechampio tamen in hist. plant. Rovilliana, Halimus verus, Gallicè, *Herbe du Masclou*, dicitur, cujus usus Tolosatibus frequentissimus ex vino albo ad tormina colique dolores,

res, adsentientibus Jo. Bauhino in hist. plant. & Dominico Chabréo ejusd. compendio class. IIX. Quamvis & Coli cruciatus haut rarò à vermibus oriri notissimum exsistat. At verò J. C. Claudinus V. empir. rational. sect. I. c. IV. & V. utrumque adfectum distinguebat, non planè quidem ab re, sed ipsa experientiâ edoctus, sæpius complicitum, & maximam adfinitatem vicissim habere fatebatur, nimirum ut priori exercitatione haut rarò dracunculos obscurissimi motûs ostendimus, unde quibusdam omninò nullo prædití videbantur, ita etiam vermiculi capillares interdum pilos tantum immobiles, non animalcula referre solent. Herculis Saxoniæ utique observatione & Gregorii Horstii part. I. epist. sect. V. quam Guil. Fabricius Hildanus Centur. V. obs. LI. repetit, puelli capite totoque corpore pilosi nati, sponte cadentibus pilis, nunquam deinde vermiculis laborant, quibus lanugine illa destituti plerumque sunt obnoxii. Georgius Cuffnerus in append. libri de morb. infant. à Leonello Victorio Faventino ed. c. XII. *Exsistunt*, ait, *in puerulis subcutanea quædam animantia viva, lumbricorum formam præ se ferentia. Dracontia vulgari appellatione nominata.* Magirus l. c. *dracunculos vocat.* Et Georgius Cunelius disputationem suam inauguralem Basileæ habitam, cujus ex Jo. Nic. Stupani Medicina Theorica supra meminimus, de dracunculis inscripsit: Verùm quantopere erraverit, dum venam Medinensem cum adfectu hoc infantium confudit, statim seq. §. II. demonstrabimus. Nam quod Gasp. Hofmannus III. Instit. CXXIV. §. XIV. alterum genus dracontii apud Paulum Æginetam existimârit: & doctissimus Jo. Ant. Van der Linden Meletem. Med. lib. II. patholog p. 215. minorem dracunculum subcutaneum, majori in venis similem, & acarum antiquorum subdubitarit, nullo sat gravi argumento probari potest. Clarissimi tamen Sennerti sententiâ II. Pr. part. II c. XXIV. hæc quoque appellatio tolerari queat. Sic enim censet: *Nonnulli Criniones nominant, alii dracunculos ob similitudinem cum dracunculis, qui Ægyptiis, & Indis sunt familiares.* Ipse tamen, ut prioribus monuimus, dubio procul ὁμωνυμίας obscuritatem & confusio-

fusionem fugiens, vermes dorsi appellare maluit, quod præcipuè in dorso infantium nascantur. Nec aliter Claudinus V. Empir. rational. sect. I.. c. IV. similitudinem aliquam admittebat, ipse tamen *intercutaneos puerorum lumbricos* vocabat: & Claudius Deodatus X. Panthéi Hygiastici c. XLI. *vermes sub cute.* Quod si omninò dicere liceat, quod res est, similitudo horum vermium cum dracunculis vett. aut planè nulla est, aut certè adeò exigua, ut meritò contemni queat. Cùm igitur morbus sit antiquioribus ignotus, nemo nos, speramus, reprehendet, quia vermiculos capillares infantium vocavimus. Hoc enim nomine nisi fallimur, naturam adfectus hujus sat benè exprimi existimamus, de qua mox plura differenda erunt.

§. II.

QUamquam verò cuivis ex antecedentibus intelligere pronum sit, vermiculos capillares infantium à vena Medinensi Ebnsinæ, sive dracontiis Græcorum plurimum discrepare, ut tamen nemo hac de re ultra dubitare possit, paucissimis ostendere non pigebit. Primò igitur dracunculos Orientalibus plagis peculiares esse diximus, hos autem vermiculos plerique Septentrionalibus magis familiares adscribunt. Deinde adfectiones venæ Medinensis suprà c. III. propositæ vermiculis istis nullo modo conveniunt. Illam enim corpus crassiusculum rubicundum aut album, figuræ teretis, insignis longitudinis, & varios in circulos sive anfractus circumflexum docuimus: hos autem pili spissioris & crassioris forma nigricãtibus capitulis, parvos omninò, breves, & vix aciculæ longitudinem æquantes, nec in ullos gyros circumvolutos omnes confitentur. Præterea symptomata dracunculorum à vermiculis his valdè aliena sunt: Non enim pustula, non dolor, non tumor, non exulceratio hîc locum habet, sed in balneo vermiculi medicamentis prolecti per poros cutis capita tantum exserunt, toti verò vix unquam prodiisse visi sunt: E contrario inquietudo, vigiliæ, compunctio, & tabes adsunt, quæ mala in vena Medinensi nemo observavit. Porrò dracunculi ritè curati

curati nunquam ſunt periculoſi, vermiculi autem iſti ob tabem, quam inducunt, ſæpius exitiales obſervati ſunt. Tandem & curatio utriusque morbi diverſiſſima eſt, de qua partim ſupra jam vidimus, partim poſtea diſpiciemus. At Petrus Monavius epiſt. CCXV. ad Hieron. Mercurialem apud Laur. Scholzium ægritudini bovinæ potius, quam Venæ Medinenſi ſimilem conjiciebat, quod tamen magis, ac illud admitti poſſe, inſpectâ priori Exerc. noſtra c. II. facilè colligitur. V. C. Hieron. Reuſnerus in diſput. quadam Medica CIↃ IↃLXXXII. Baſileæ habita, quam Schenccius adduxit, vermiculos hos capillares infantium cum Varis Veſtphalicis & Batavicis videtur confudiſſe: *Cùm infantes*, ajens, *citra anorexiam in tantam incidunt ἀτροφίαν ut omni deperdita carne vix oſſibus hæreant, obſtructionem vaſorum adeſſe certum. Veſtphalis & Dithmarſis Daniæ proximis videtur hic ἐνδήμιος, qui ipſum Varum nominant, noſtri* den Miteſſer / Ribkuchen / den lauffenden und zehrenden Wurm / *ab actione naturali læſa ducta ſymptomatis appellatione.* Henricus Varenius diſp. XXI. theſ. XXVII. huic non obſcurè conſentit, quando inter alia Crinonum ſuorum ſigna, etiam hoc empiricis probatum adfert: *Tura lumbricum dolenti loco impoſitum plantisve pedum ſuppoſitum mox emori, contabeſcere, vel corrugari animadvertunt.* Hoc enim inter certiſſima varorum ſigna plerique numerârunt, quamvis haut parum dubium nobis videatur. Ab illis autem jam olim Vierus vermiculos capillares infantium ſive Comedones ſuos diſtinctos pronunciavit, quod neque proprietate morbi, neque curandi ratione, uſpiam conveniant. Nos quoque de varis plura ſupra diximus cùm c. II. eosdem à dracunculis jure ſejungeremus. Præterea & aliud quoddam vermium genus eſt, quod vulgus Germaniæ, den Geitzwurm / vocat, (ac ſi avarum Latinè dixeris) infantes æquè ac capillares illi in perniciosſam tabem conjiciens, à quibus tamen omninò diſcerni debet. Ajunt autem cognoſci, ſi umbilico gobius fluviatilis imponatur, horisque XXIV. elapſis piſciculus adroſus aut ad ſpinas usque conſumptus inveniatur. Quo viſo deinde quidam pulverem Savinæ

vinæ & vitri Veneti melle mixtum juglandis putamini inditum umbilico adponunt, ut eo deguſtato vermis emoriatur. Hæc omnia tamen plerique olim ceu fabulas ridebant. At Jo. Georgius Brenggerus Medicus valdè induſtrius epiſt. ad Philippum Hechſtetterum perſcripta, quam hic in fine obſerv. ſuarum edidit, teſtatur vermem iſtum in nobili puella ſibi conſpectum, eumque in vena umbilicali latitare putat, ſemipedalem appellans, figuræ teretis latiuſculæ, pallidi coloris, & pellicula non tenui ac lævi, ſed duriuſcula ſeu ſubcruſtacea contectum. Viderunt etiam Platerus lib. III. Pr. c. XIII. Frid. Olevianus ap. Hieron. Reuſnerum obſ. XCVII. & Rupertus Sulzbergerus apud Sennertum III. Pr. part. X. c. IV. Matthæus Millerus Senior Profeſſ. in Academ. Tubing. diſp. ſingulari CIↃ IↃCXXV. habita, cujus etiam meminit Rudolphus Camerarius Centur. memorab. Med. XII. §. XCIV. A quò fortaſſe nonniſi magnitudine differt alius quidam & ipſe infantes periculosè tabefaciens, quem Zacutus I. Prax. admir. obſ. CXXIV. à Luſitanis ſuis, *O mao* nominari, atque à ſe Caſtorei ſcriptulo in lacte diſſoluto ter exhibito aliquoties per alvum proturbatum refert: vermis ſcil. ut ipſi nominare placuit, obeſus, illique ſimilis, qui in corrupto caſeo occultantur.

§. *III.*

Quid igitur, qualesve ſint vermiculi iſti capillares infantium pauci accuratè deſcribunt. Felix Platerus, Medicus cæteroquin experientiſſimus: *In brachiis*, inquit, *cruribus, ſuris, interdum & lateribus, vermes ſe in adfectu quodam exſerere, quos dracunculos vocant, German.* Mitfraß / *ſcribunt: quorum utique nobis incognitorum deſcriptionem aliis concedimus.* Paræus l. ſupra c. ad Gallorum ſuorum mentem eos pro pilis ſpiſſioribus habuiſſe videtur: Nam quando etiam abſceſſus rarum genus nominat, nequaquam audiendus eſt, aut potius de alio quodam adfectu intelligendus, cum quo fortaſſe vermiculos confudit, eumque ſequutus Samuel Hafenrefferus lib. I. de cut. adfect. c. XI. quamvis laxiſſimam abſceſſuum nomenclaturam, etiam apud

Hippocratem non ignoremus. Utrique verò quod judicium de pilis attinet, adſentiuntur Saxonia lib. de plic. Polon. c. XLI. & Greg. Horſtius part. I. epiſt. ſect. V. & apud Fabricium Hildan. Cent. V. obſ. LI. At Henricus Varenius ut §. I. dicebamus, infantilem atrophiam cum pſora conjunctam appellavit. Reliqui omnes veros vivosque vermes eſſe ſtatuunt, quorum ſententiæ accedimus. Non tamen inefficaci hoc argumento, ut quidam illorum, permoti, quod alimentum infantium abſumant, eosque in maciem deducant: Poſſent enim eodem & cæteri opinionem ſuam de pilis firmare, ac alimentum corpuſculo infantis debitum in horum generationem & nutritionem impendi nobis objicere: cùm præſertim non pauci hodiè reperiantur, qui pilos non è fuliginibus & excrementis generari, ſed vel ipſo ſanguine, aut aliis humoribus alimentariis nutriri contendant, quam etiam ſententiam ab aliis ſuppreſſo ſuo nomine evulgatam olim querebatur Greg. Nymmanus tr. de apoplex. c. X. noſtris tamen temporibus detectis lymphæ ductibus & circulatione laticis cum ſanguine adſertâ, multò facilius intelligitur. Ampliſſimus Rolfincius lib. XIII. meth. Conſult. conſ. III. excrementa tantum cutis viſcoſa, in poris condenſata exiſtimat. Nos, ut vermiculos veros vivosque credamus, motu illorum præcipuè adducimur, qui omnium conſenſu tunc inprimis manifeſtus eſt, & quaſi ſubitaneus cernitur, cùm in balneo infantes melle aliisque dulcibus, & vermibus gratiſſimis, oblinuntur: Ut & recurſu eorundem in corpus, & ſub cutem, niſi illico abradantur ſive eximantur, qui ſanè neque pilis, neque etiam excrementis denſatis, porosque obſtruentibus, convenire poteſt. Ideoque talem deſcriptionem edimus: *Vermiculi capillares infantium ſunt vermes tenues & exigui, pilis craſſioribus quodammodo ſimiles, ſub cute in artubus & præcipuè dorſo ex humoribus vitioſis, proprioq; ſeminio, caloris ſive naturalis, ſive etiam putredinem comitantis opere generati, infantes inprimis pruritu, vigiliis, inquietudine, & corporis extenuatione infeſtantes.*

§. IV.

CAusa, ut philosophi vocant, efficiens primaria, horum Vermiculorum est ipsa formâ sive anima in seminio suo latens, non calor, aut putredo, ut plerique opinantur. Hæc enim rectius in generatione illorum instrumenti tantum vicem gerere statuimus. De seminiis autem animalculorum, quæ sponte solent nasci, rem omnem accuratè confecit, & exposuit Cl. Sennertus Hypomnem. Physic. V. c. IIX. quem consulant, qui dubitare non verentur. Quidquid enim de vi illorum & formis latentibus, antequam exserantur, in contrarium alii excogitarint, egregio illo Theodoreti dicto epit. de divin. decret. lib. V. facillimè everti potest, si modò, quod ille de temperatura corporis, anima quibusdam Medica constituta, de istis spontaneorum formis accipiantur, naturali suâ cognitione, non minus, quam sensu & ratione animæ nobiliores, instructis: *Oportebat*, *enim* ajebat, *ipsos considerare*, *quod etiam qui lyra scit*, *si non rectè aptata & instructa lyra fuerit*, *suam non ostendit scientiam*. Sic formæ scil. animæque omnes nonnisi loco, tempore & instrumentis commodis præsentibus operantur. Parum sanè ab isthac sententia abludunt, quæ plerique de sanguine menstruo ad mentem Arabum, sive meconio Aristotelis memorârunt, inter quos non postremus Jo. Colle III. Cosmit. Med. p. 247. infanti recens nato, dum Umbilicus secatur, sanguinem copiosum effluere permittebat, quod isthac præservatione paucissimis rarissimisque deinde variolis, aut etiam nullis corripi observarit. Neque id abnuens, Jo. Zechius de puer. tuend valetud. §. IX. ad Aëtii mentem tetrab. I. serm. IV. c. III. per alvum potius expellendum docebat, melle cocto, vinoque modico diluto exhibito: (Id enim butyro præferendum arbitrabatur) quod etiam de Colostro suo ut minus propriè vocabat, Ezechielis nomine Petrus à Castro puncto III. p. 21. testabatur. Sic autem vocabat μηκώνιον Aristot. (*papaverculum* non adeò benè Theodorus Gaza reddiderat, quia id Diosc. IV. 65. trochiscos ex succo capitum foliorumque expresso, non ipsum papaver, significat.) VII. histor. anim. X. παιδίω-

μα ὃ χρῶμα αἱματῶδες καὶ σφόδρα μέλαν, καὶ πηλῶδες, μετὰ ἢ τοῦτο καὶ γαλακτῶδες. Excrementum colore ſanguineum, & valdè nigricans aut piceum, interdum & lacteum, quod Plinius XXIIX. 4. *Sordes infantium alvo editas.* Jac. Dalechampius propemodum ridiculè, Gallorum ſuorum conſuetudine, Syrupum infantium appellavit. *κόπρον τὴν πρώτην* Auctor IV. de morb. inter Hippocratis ſcripta, vocabat, primum puerorum ſtercus, cum quo permulti etiam rotundos latosque lumbricos excreverint, *καὶ στρογγύλας καὶ πλατείας ἕλμινθας ἀπεπάτησαν ἅμα τῇ κόπρῳ τῇ πρώτῃ.* At Petrus à Caſtro ſubtilius diſtinguens aliud lacteum, ut Ariſtot. à Chyli reliquiis, aliud feculentum à ſanguinis fecibus nominabat, quod Roderico à Caſtro part. II. lib. V. de morb. mul. cap. XXIIX. Hiſpanis à colore ferrugineo iccirco: *ferrado:* dictum monebat, ſæpius vermiculis & aſcaridibus refertum, quales in caſeo naſcuntur, in diſſectione abortuum viſum, quemadmodum & variolas à miaſmate vermiculante ſubortas microſcopicæ obſervationes docuerunt, quarum præſidio pathologiam ſuam animatam ſive vivam mortis imaginem & putredinem animatam inſtruere quondam cogitabant Auguſtus Hauptmannus & Chriſtianus Langius Medici Lipſienſes celeberrimi, ſi per fata licuiſſet, quamquam ex poſtumis alterutrius ſcriptis egregii quidpiam proditurum nec dum ſpes omnis decollarit. At *Coluſtra,* lac novum in mammis Lucilio & Laberio Mimographo apud Nonium Marcellum de propr. ſermon. c. II. §. CXVII. quod cùm feroſius exſiſtat, utrum infantibus præbendum ſit? pluribus diſquirebant Illuſtris Veslingius epiſt. ad Georg. de Medicis Brixienſem. obſ. XXIIX. lacte utique, quod chylum ipſum, non ſanguinem ex chylo genitum & denuo dealbatum, curioſis noſtræ ætatis experimentis conſtat, non ſecus ac in ſanguine ſeminia vermiculorum & vermiculi ipſi ſæpiſſimè conſpecti ſunt. Reliquiæ ſanguinis menſtrualis, qui erat in hora imprægnationis Ebnſinæ IV. ſect. I. tr. IV. c. VI. عقي in homine Jauhario, quod in bruto-

rum

rum generibus رحء primum recens natorum excrementum, antequam quidquam ederint, emissum: plurimum sanè à Colostro differens, quod لبأ lac primum à fœtu edito mulgeri solitum.

§. *V.*

Cum ergò forma quævis propriam habeat materiam, in qua & subsistit, & commoda occasione oblatâ corpus operationibus suis aptum ex eadem sibi ipsa exstruit: iccircò è proprio seminio etiam capillares infantium vermiculos produci in nostra descriptione diximus. Cùm verò illa valdè sæpè sit exigua, ipsius Aristotelis ingenuâ confessione, cujus V. histor. animal. XIX. hæc verba sunt: ἡ δ' ἀρχὴ τῶν σκωληκίων μικρά, (minus sanè admiratione digna quam illud Plinii XVII. 10. *Cupresso semina tam parva, ut vix conspici possint, non omittendo naturæ miraculo, è tam parvo gigni arbores.)* imò judicio Sennerti Hypomnem. l. c. & Liceti III. de spont. viv. ort. XLVI. animula illorum etiam in atomis latere possit, quas uterque ideò atomos seminales appellat, propterea & vitiosos humores tanquam materiam satis copiosam, generationi eorum idoneam, meritò addidimus. Pituitam inprimis sub cutê & inter poros contentam, ac transspiratione prohibita, putrescentem nominabat J. C. Claudinus Empir. rat. l. c. Neque dissentiebat vir subtilissimi ingenii Jo. Chrysostomus Magnenus in Democrito suo redivivo, sive disp. II. de atomis c. IV. propos. XXXV. vermium scil. & lumbricorum minima tertii ordinis (i. e. nec atomos simplices, nec secundarias) cum alimentis adsumpta vim concoctricem effugisse, atque quod debilior esset, non ita potuisse edomari, quin servarent seminales spiritus, formamque partialem. Quod supra nos etiam de seminiis dracunculorum c. VII. adseruimus. Nec aliter explicari debet Sennerti opinio IV. Pr. tr. de morb. infant. part. II. c. XXXII. de materia viscosa venis capillaribus conclusa, & propter transspirationem prohibitam in vermium genus mutata, quando

do quid de spontaneo animantium ortu in humano corpore severius censuerit, satis ex aliis ejusd. scriptis planum est. Nec enim aptitudo materiæ ad vermium generationem, quam requirebat, commodius, ac de seminiis propriis exponi potest: quod de ichoribus aliisque serosis humoribus è quibus cridones sive dracunculi, tineæ, Vari, vermiculi morbillorum, pustularum, & scabiei cyrones, acari, aliique oriantur, pariter adfirmabat Augustus Hauptmannus epist. præliminari ad Petr. Jo. Fabr. de viva mortis imag. c. IIX. quamvis seminia illa in elementis contenta, sola putrefactione, corruptione, & influxu cœlesti generari minus doctè minusque verè opinatus sit, primariam scil. efficiendi facultatem instrumentis præpostere committens. Multò sanè candidius veriusque vir nobilissimus Franciscus Redus neque ex animalium demortuorum carnibus vermes nasci curiosissimis experimentis circa generationem insectorum exploravit, nisi ab aliis animalibus vivis seminia fuerint apportata. p. 32. obs. de viper. Sed hæc quidem materia proxima dicetur. Remota enim dubio procul eadem est, quæ aliorum lumbricorum, quorum frequentissimus in pueris ac infantibus proventus observatur: de qua cùm aliis in locis, & ab aliis abunde actum fuerit, nil opus est multa heic adferre. Hoc verò in transitu monemus: ridiculum & valdè scabiosum nobis videri, quod Henric. Varenium §. XXI. de crinonibus suis scribere non puduit: *In hisce numerantur, si scabiosis pedibus tibialia lanea superinducantur, hujus fila ulcusculis hærentia postmodum animentur.* Quamvis non ignoremus Franc. Bonamicum etiam ex iisd. filis pediculos nasci aliquando credidisse. Ita haut rarò quidam nubem pro Junone lubenter amplexantur. Similitudo enim, quam vermiculi cum pilis laneis obtinent, memorata Joëli X. Pr. Med. sect. III. §. XI. causam tamen non arguit, nec generationis modum evincit. Quin etiam scabiei mentio, satis arguit, non alios hos vermiculos esse posse, quã quales in ulceribus sordidis generantur, & in scabie microscopiis observantur, etsi vel linea vel coriacea femoralia induantur. Nec filum illud sericum in supercilio mulieris Toninensis, à vul-

à vulneris sutura relictum, atque deinceps continua vegetatione, quamvis abscissum, sæpius excrescens, de quo libellum singularem à Petro Duncano Medico Montalbanensi pereruditо conscriptum, nec tamen editum, memorat Petrus Borellus I. obs. X. ad animalia sponte nascentia, nec etiam ad plantas ejusmodi pertinet, quas hominum corporibus insertas augeri & crescere posse, exemplo Rocci Martini in Hispania, cujus pectori spina pruni silvestris infixa radices egisse & germinasse ostendit Petrus Servius diss. de ung. arm. p. 52. & contra Liceti dubitationes tr. de Litheosphoro c. LI. satis tuetur Peirescii testimonium in V. de vit. ejusd. apud Gassendum, & qui cum ipso surculos communicavit, nobisque etiam Romæ sincerè adfirmâvit αὐτόπτης Illustriss. Eques Cassianus à Puteo, cujus virtutem & eruditionem omni majoris fortunæ apparatu adfluentem, avito stemmate splendidissimam, nemo satis pro dignitate laudare unquam valuit. Sed neque ipsa serici ulla vegetatio fingi debuit, ut quod artifici manu netum atque contortum filum formâ naturali propria vegetante omni omninò destitutum, à natura aliter produci & continuari non potuit, ac membranosi aut nervosi alicujus corporis accretione, quale interdum fidibus non absimile etiam sine ulla serici præsentia densatione atque coagulatione laticis nervosi nutricii quandoque progenerat, ut prioris Exerc. c. II. de setis Narbonensibus dicebamus.

§. *VI.*

CAusas Georgius Cunelius in disp. sua de dracunculis i. e. vermiculis infantium capillaribus, rectè quidem internas & externas constituit, sed quas rimari atque examinare operæ pretium existimamus. Externas n. §. X. quatuor proponit: *Conceptionem fœtus fluentibus menstruis; Obstetricum & nutricum in sordibus abluendis extergendisq; negligentiam: Linteorum, qui bus infans involvitur impuritatem aut etiam humiditatem, si scil. non satis siccata, aut etiam nocturno aëri & radiis Lunaribus exposita fuerint: & deniq; victum impurum.* Internas verò §. XII.

XII. quinque enumerat: *vitiosam corporis statim ab ipso ortu constitutionem: Humores vitiosos & corruptos ad partes alendas derivatos: imò & probos sed in tertia coctione depravatos: Ipsarum musculosarum partium substantiam corruptam: Et excrementa tertiæ coctionis benigniora, quæ aut expultricis imbecillitate è corpore non pellantur, aut ob pororum cutis constrictionem difflari & transpirare nequeant.* Nos quasdam ex his omninò reprobamus, reliquas autem quas admittimus, ad causas jam commemoratas reducemus. Quod ergò primùm conceptionem fluentium menstruorum tempore concernit, cùm id à nemine, quod quisquam sciat, observatum sit, nullaque ratione vel in speciem probabili nitatur, non injuria rejicimus. Nec enim credimus ab hominibus legitimè in matrimonio viventibus quidquam tale patrari. Certè adfectum infantibus satis frequentem tradunt. Et notatu digna est Arabum phrasis, de muliere, quæ menstruorum tempore concepit, apud auctorem Oceani Arabici ﴿المرأة حملت سهوا﴾ tanquam *per incuriam & halucinationem* id factum sit, aut *errore insigni ac vecordia*, quam ﴿سهو﴾ significat. Olim sanè Hebræi DEI mandato capitis pœnas dabant, quicunque scientes volentes cum menstruata concubuissent Levit. XX. 18. cæteri, qui inscii, aut per incuriam fecissent, septendio immundi, lotionibus & expiationibus opus habebant, Levit. XV. 23. Unde VII. *immunditiei patres*, (ut Talmudici vocant.) deducebat Majemonides præfat. in Seder. Tahoroth. ﴿سبعة ابوت الطومات﴾ quos gonorrhoicis, & leprosis ex Magistrorum suorum mente æquiparabat. Hæc talia verò quamvis ad legis Cerimonias pertinuerint, ex intimis tamen naturæ arcanis deprompta, ad sanitatem simul corporum, & posterorum curam, quam maximè spectâsse, nemo dubitare debet. De negligentia verò nutricum & obstetricum nemo dubitabit. Harum enim incuria sæpissimè, imò & malitiâ, malè est infan-

nfantibus. Sordes igitur sive in utero sive postea in cunis contractæ minus diligenter absterſæ geminâ ratione nocere possunt: aut enim per poros ipsum corpus subeunt, aut meatus cutis obstruunt & excrementorum transſpirationem impediunt. Quò referenda erat etiam cunabulorum impuritas. Humiditas enim eorundem, si absque sordibus sola fuerit, potius alios adfectus producit. Radios autem lunares, quemadmodum mala plurima in corpore humano, vitiosis maximè succis referto excitare certum est, commotis videl. & liquatis humoribus, ita cur eosdem in linteo metuere debeamus, nondum intelligimus, & debuisset Cunelius nobis explicare. Exoleta quippe illa opinio, neque naturæ consona, quam Manichæis de Luna fuisse Augustinus epist. CXIX. ad Januarium commemorat, beatus à castris illorum impiis transfuga, *repleri eam, sicut navis, sordibus principum tenebrarum, & fugitiva Dei parte. In herbas quoque salivam venenatam despumare, illas præcipuè, quæ Magiæ destinatæ, gentilibus quibusdam creditum.* Hadrianus Turnebus IIX. advers. XXVI. ostendit. Nam cæteroquin verè Ptolemæus I. Tetrabibl. s. quadrip. Lunæ vim in corporeis rebus efficacissimam propter terram vicinam pronunciabat, & humorum evaporationem, διὰ τὴν περιγειότητα καὶ τὴν τῶν ὑγρῶν ἀναθυμίασιν, quam terræ atmosphæram hodiè appellant lunari contiguam, cujus virtute mirificè commovetur. Et huic sanè multò aptius conveniet, quam quod Alcmanem Poëtam Plutarchus Sympos. III. probl. ult. δρόσον ἀέρος θυγατέρα καὶ σελήνης constituit, *rorem aëris & Lunæ subolem:* verius enim ex aqua, aut terraqueo globo vapores sunt à Lunæ radiis elevati, quo sensu & illa accipienda quæ l. c. problem. X. adserebat τὴν ὑγρότητα ὑπὸ τῆς Σελήνης διακεχυμένην βαρύνειν τὰ σώματα: *Humorem à Luna diffusum aggravare corpora:* Ideoque nutrices cavere jubebat ne infantes sibi commissos Lunæ ostendant, ne corpuscula eorum humoris plena, viridium ad instar lignorum convellantur, & pervertantur. Præterea victus, quem impurum vocat, pravus potius dicendus, talis nempe, qui vitiosos humores, vermium notissimam materiem pro-

gignat. Inter internas causas non valdè placet nativa illa ab utero constitutio. Nullo enim fundamento huc trahitur: Et qui hæc talia nobis obtrudunt, quid quæso agunt aliud, quam quod ignorantiam fateantur? dumque se aliquid dixisse putant, nihil tamen dixerint? Certè Fernelius VI. pathol. XII. cùm inter calculi causas insitam renum arenosam calculosamque constitutionem nominasset, dici nequit, quam diversis studiis voces illæ à Medicis exceptæ sint! Theodorus Baronius I. de oper. mejendi tripl. læs. XIIX. & Gasp. Hofmannus III. Instit. Med. CXXIX. mirè eas exagitârunt. Et tamen Fernelius de hereditario adfectu loquebatur, qualem vermicularem istum esse nemo adfirmabit. Humores vitiosos non malè quidem duplices Cunelius noster fecit, aut enim sua natura tales sunt, aut ex corruptis alimentariis geniti. At partes musculosas adeo corrumpi, ut vermiculi illi inde nascantur, vehementer est absurdum, quemadmodum quæ de excrementis sequuntur, ad humores vitiosos, atque etiam sordes reduci debuerunt. Cæterum Varenius §. XX. cùm causam dracontiorum materiam viscidiorem & malignam nominasset, de qua nos supra egimus, subjungit Crinones suos ex ichoribus humorum pro vario temperamento variis, omnibus tamen malignitate imbutis generari. Quod sanè non videtur esse verosimile. Nam pituita & humores viscidi omnium generi aptiores censentur. Malignitas verò absque ulla necessitate fingitur: Nisi, ut supra monuimus, de varis potius, quam vermiculis capillaribus loquutus sit: attamen & hos cum varis & crinonibus confudit, uti ex §. XV. clarissimè apparet.

§. VII.

Subjectum, ut vocant, in quo vermiculi capillares frequentissimè conspiciuntur, ætatis ratione præcipuè consideratur, atque ex ipsa appellatione nostra satis percipitur; Sunt enim pueri & infantes, sicut in iisdem lumbrici quoque reliqui sæpissimè nasci solent. At pars adfecta & generalius & specialius considerari potest. Generalius quidem, crura, brachia, & inprimis dorsum

sum sive totum, sive interscapilium tantum, ut Cuffnero placuit, ab omnibus nominatur. Specialius verò sunt partes illorum membrorum, subcutaneæ & maximè musculosæ, de quibus omnes omninò consentiunt. Nec tamen cute semper exclusa, per cujus poros exeunt: nam & in istis microscopii subsidio vermiculos observavit Petrus Borellus: ut mirum profectò sit viros quosdam doctissimos negare voluisse, quos tamen etiam in solidissimis corporibus, ut auro, hydrargyri penetratione, Alphonsus Borellus de renum struct. ed. Jo. Henrico Paullino, & singulari dissertatione V.C. Erasmius Bartholinus luculenter adseruerunt.

§. IIX.

At formam externam alii aliam describunt. Nos pilis crassioribus quodammodo similes, tenues & exiguos plerorumque sententia vocavimus. Cl. Senertus etiam cinericios & nigricantes. Phil. Hechstetterus Brenggero in epist. respondens, eosdem in liberis suismet ferè omnibus observatos illis pilorum radicibus comparavit, quas vulgus in achoribus: Kölblen: vocat. Cunelius & Reusnerus ascaridum figuram ipsis tribuunt: Magirus autem & Schenckius illis vermiculis similes ajunt, qui putrescentibus caseis innascuntur: quod tamen idem fuerit, si Gualtheri Bruelii sententia admittatur, ut qui inter utrosque parum discriminis agnoscit, eumque, ut videtur, sequutus J. C. Claudinus V. Empir. rat. sect. I. c. IV. De capitibus autem quæ in balneo exserere dicuntur, dubitanti propior Jo. Nic. Stupanus Med. theor. semiot. c. IV. disp. IIX. §. CLXXIII. de seipso sic loquebatur: *Ego incidi aliquando in hujusmodi abrasionem pueri, sed capita vermium prominula nulla potui videre.* Verùm cur ea non viderit, plurimæ causæ fingi poterant, unde tamen nemo concludet, capita nunquam exseri, nec una hirundo, ut proverbium est, ver facit. Andr. Dudithius, Orator Cæsareus, vir ipse doctissimus, & doctorum omnium amantissimus, in liberis suis non solùm conspexit vermiculorum capita, sed etiam in epistola ad Venceslaum Raphanum Med. Oppaviensem, egregiè descripsit ap. L.

Scholzium ep. XXVII. *Humeros*, inquiens, *& brachiola inunximus farina aceto permixtâ. Vix peracta unctione & ablutâ statim eminebant ex cute diversis locis tubercula quadam pusilla, ut papavera, coloris cinericii (qua ab illis vermium capita esse dicuntur) ea statim cultello abradebantur; nisi id ocyus fieret, recondebantur iterum & intra cutem se recipiebant, hi quoq; vermiculi, sive quovis alio nomine vocentur, primò multi se proferebant, postea pauciores, postremâ unctione prorsus nulli. Femina summis horum vermiculorum capitellis nigricantia aliqua quasi puncta inesse adseverabant: qua tamen ego etsi penè cum ipso lynce certare possim, nunquã videre potui. Visa mihi est tota illa res propè eadem specie aut certè non dissimilis sordibus illis, qua poris impacta in angulis prasertim narium exterioribus digitis exprimi solent: duritie sunt paullo solidiore.* Hinc igitur clarissimum apparet Dudithium capita vidisse, licet puncta nigricantia non conspexerit. Possunt enim hæc, more aliorum accidentium, abesse aut adesse, ut tamen ipsi rei nihil hinc accedat aut decedat.

§. IX.

Signa Diagnostica præcipuè suppeditant symptomata illa, quorum descriptione nostra mentionem fecimus. Inprimis atrophia & tabes, citra ἀνορεξίαν aut alium adfectum manifestum adfligens, imò interdum, in grandioribus maximè, cum insigni voracitate conjuncta. Inquietudo item pulsum celeriorem reddens, non sine febriculæ suspicione, quam ἀδιαπνευςία plerumque producere consuevit, ephemeram non tantum brevem, sed plurium etiam dierum, & in putridam, ut vocant, transeuntem. Ubi enim vermiculi, Schenkio dicente, *coacervantur & accrescunt, viva carne pediculorum instar abstinentes, alimentarium humorem, qui tenellis corpusculis alendo esse debebat, absumunt, ex quo in præsentaneam maciem & tabem transeunt.* Tumorem quidem & suppurationem addit Franc. Joel l. sæpius c. sed id dracunculis vett. potius quam his vermiculis convenire satis manifestum apparet. Quamvis Illustris quoque Rolfincius l. supra c.

puero

puero illi, cui consulebatur, curatione jam peractâ, tumorem in scapula enatum commemorarit. Hoc enim ut complicatione facilè fieri potuit, ita ad morbi naturam propriam non pertinebat. Appetitum tamen dejectum, & urinas imminuentem adducit Hafenrefferus l. suprà c. quod in quibusdam fortassis experientiæ responderit: non semper, nec in omnibus animadversum. Corbejus seu potius Magirus, etiam alvi constipationem, & vermiculorum excretionem tam per alvum, quam per urinam adjungit. Verùm si modo id aliquando observaverit, quod fieri potuisse non inficiamur, non tamen iccircò semper animadverti concluditur, adeoque nec inter signa pathognomonica locum habere potest. Inprimis cum excretio per membra ab adfectis partibus tam remota, intestinorum, aut renum, aut vesicæ potius læsionem aliquam merito significare crederetur.

§. X.

PRognostica paucissima trademus. Primò enim *adfectus non admodum periculosus est*, si debito modo & tempore curatio instituatur. Deinde: propter vigilias tamen & corporis extenuationem *interdum letalis* deprehensus est. Cunelius §. XIV. addit, infantem, cui hic morbus congenitus sit, ultra septimum mensem vitam non producere: qua de re experientia consulenda, sicut & de altera illa, quando Cuffneri sententiam sequutus curatione non adhibita noxiam suppurationem induci scribit: Neutra sanè est vero similis. Nam de tabe exitiali non ambigendum, quâ ipse Cunelius filiolam suam se amisisse refert. Hieronymus Montuus de morb. infant. tandem & epilepsiam magna ex parte letiferam accedere adfirmat, quam ille ab excremento fuliginoso per corpora nervosa à dorso, (aut verius per lymphæ ductus cum succo nutricio) ad cerebrũ delato præcipuè excitari putat. Quod valde probabile videtur cùm etiam à pedibus remotissimis, imò vel eorundem unico digito epilepsia oborta legatur, & aliàs quoque infantes huic adfectui valdè sint obnoxii. Quò nomine in corde etiam tremorem & palpitationem inter-

interdum excitare posse Hafenrefferus l. de cut. adfect. c. XI. rectè advertit; non secus ac alios vermes sæpissimè fecisse observatum. Neque spernendum quod obstructione meatuum, in hepate maximè, leucophlegmatiam quoque inducere idem advertat: percolatione nimirum, & depuratione sanguinis impedita, cui sanè non multum minus, quam generationi in corde tribuendum videtur. Adsentiente Rolfincio l. c. & maciem inprimis à cordis hepatisque consensu deducente: Nec sanè ab re inter Chronicos hunc adfectum refert, magnosque morbos, cùm ratione actionis læsæ, tam naturalis scil. facultatis, quam animalis, tùm ratione recessus à naturali statu, à quo plurimum deflectat, & ratione eventus, quia haut raró letalis observetur. Quibus addamus nos, etiam ratione κακοηθείας qua omne vermium genus cordi infestum est, & illud ex accidente respectu spatii, quod ferè universum corpus habet.

§. XI.

INdicationes huic adfectui percurando hæ fuerint præcipuè. Primò vigiliæ, si urgeant, mitigandæ: Nam diuturnæ corpus vehementer infirmare atque extenuare solent. Deinde vermiculi ipsi cùm inter illos morbos referantur, quos vulgò in numero excedente appellant, omninò sui ablationem postulant. Hac autem absolutâ denique tabes sive macies relicta removenda. Quæ omnia cùm triplex ille medendi fons, vulgò notissimus, suppeditet: Chirurgiæ scil. pharmaciæ & Diætæ. Nos ordine videbimus.

§. XII.

QUod ergò Chirurgiam attinet, hanc primo loco recensemus ideò, quod apud vulgus ferè sola in hoc morbo admittatur. Solent enim mulierculæ Cunelio narrante §. IV. posthabitis Medicis plerumque tonsores tantum ad curationem accersere aut etiam ipsæmet, quæ conferre putant, suo arbitratu, suisque manibus moliri. Omne verò artificium in cutis abrasione collocant,

eant, quam in Laconico inuncto prius infantis corpusculo, novacula admota instituunt & Schenkius optimè sic describit: *Mulieres ad hypocausta & sudatoria infantes deducunt, musculosas adfectas partes blandè primum inducta manu perfricant, post etiam melle perungunt. Hac arte ubi prolecti fuerint plurimum, tunc Chirurgo imperant, ut novacula exsertorum capitula abradat & demetat, atq; hæc vulgi non tam recepta quam compendiosa vermiculos hujusmodi necandi ratio:* Probata etiam Felici Vuirzio append. de morb. infant. quæ postremæ ejusd. Chir. editioni, curante Jo. Rudolfo Vuirzio, accessit: quæ tamen ferè tota empirica est, & rationi adversatur: Cùm enim capita tantum non totos fermes auferat, adeoque majorem partem in corpore relinquat, non videtur indicationi suæ satisfacere, utut cæteroquin poros cutis aperiat ac dilatet monente Jo. Dan. Horstio Manuduct. ad Med. part. I. c. I. §. II. Cui accedit & hoc, quod portiones in corpore residuæ, dum vita privatæ, quod fieri necesse est, sub cute emarcescunt aut putrescunt, non possint non alia mala & symptomata, aut etiam recidivam inducere: cùm tamen hæc omnia in curatione perfecta, legitima, & methodica sedulò cavenda & fugienda sint, advertente etiam Claudino Empir. rat. I. sæpius c. Ita ut rectius fecerint, qui Paræi sententiam sequuti exiguis volsellis integros extrahunt prominentes. Hoc enim modo & Hieron. Montuus à nobili matrona infantes plures servatos accepisse se testatur, part. III. Pr. lib. I. de morb. infant. p. 110. quamvis illa ex Didymo de porcis epilepticis valde incerta sint, aut saltem non satis heic tempestiva. Reusnerus quoque abrasionem plerosque frustrari adserit. Borellus quoque Centur I. obs. IIX. evulsiones Chirurgicas, & suffumigationes narcoticas cum Sem. hyoscyami, nec non asperiores linteo rudiori frictiones, experimento in fratre suo germano inductus præferebat. Suffitum utique Hyoscyami & decoctum sive lixivium ex Cineribus paleæ avenaceæ laudabat etiam Gynæceorum scriptor hypobolimæus, qui Erotis nomine imperitis imposuit c. LIV. Inunctiones autem, quibus evocantur, diversæ à diversis proponuntur. Claudinus empi-

empiricas quidem has omnes, sed tamen à ratione non alienas concedebat, ideoque nec omninò repudiandas. Schenkius, ut modò dicebamus, solius mellis meminit: Cui Vierus, & plerique alii pollinem triticeum addiderunt. Dudithius farinam triticeam aceto permiscuit, egregio successu, ut supra narrantem audivimus. Jo. Michaël Savonarola tr. de vermibus, quem Praxi de febb. Venetiis à Vincentio Valgrisio editæ subjunxit, c. IV. hæc protulit: *Stercus fecudis cum oleo & melle inunctum, dicunt quidam, quod si ex hoc spina dorsi inungatur, multa capita lumbricorum per spinam dorsi egredi videntur, quibus abscissis ægrotantes curantur, quod vix à me creditur, quamvis se vidisse testentur:* & tr. VI. practici operis c. XVI. rubric. XXIII. Inter medicamenta vermes intestinorum necantia recenset *stercus pecudum cum melle inunctum.* Ex quo tamen Vierus, dum allegat, stercus facit, bubulum, contra auctoris mentem, qui haut dubiè ovillum intellexit. Itali enim oves, *pecore*, appellant, & Medici semibarbari talibus idiotismis lectori plurimam nauseam movere consueverunt, ut in Marcello Cumano jam ostendimus, Unde Cunelius quoque sensum verborum §. XXIIX. satis non capiens ait Savonarolam stercus animalis non admodum fœtens cum ol. & melle permiscuisse. Caseum tamen potius ovillum proponit Michaël Papa de pell. verm. & an. venen. p. 191. Georgius Cuffnerus l. c. curationem talem proponit: *Si non prominuli ultrò fuerint h. e. adhibito calido fotu, edulcatoq; (quale melicraton est) condimento, forinsecus illito, capitella sua non exsertârint, violentioribus medelis ad progrediendum foràs quatiendi sunt. Accipienda nimirum radix Viticellæ seu vitis albæ, quantum manu pressa capi potest. Bulliat in lixivio è quernis cineribus concinnato, quo circumfusum hisce lineolis infantile corpusculum perfundatur & lavetur. Quo facto dracontiorum ora progressa novacula præsecentur, quibus sic obtruncatis infans denuò prædicto diaclysmate puta Conja balneandus & abluendus erit, denudataq; vel dissecta pellicula Commageno perlinenda.* Hæc ille pluribus, quæ paucioribus dici poterant, remedio ex Loniceri Herbario

bario desumpto, part. II. c. CCLXXVI. ex illo autem nec Jo. Hartmannum transscribere piguit in Pr. Med. Chem. tit. de atrophia p. 142. hoc tantum discrimine, quod rad. bryoniæ unciam unam aut etiam duas accipere jusserit, lixivio in pulticulam percoquendas, qua infans postea in balneo inungi debeat, non autem decocto illius, ut Cuffnero placuit, perfundi aut lavari. Quam Hartmanni opinionem Sennertus quoque l. c. probabat, aliorum præterea experimenta addens è stercore gallinaceo sacculo incluso & per noctem in lixivio macerato, cui postero die infans ad collum usque immergendus, & postquam sudaverit, melle inungendus, ut novaculâ radatur, quod ter in septimana faciendum consulebat Gothofredus Vuelschius additam. ad Scip. Mercurii obstetric. c. LX. At quod de crustâ panis auferendis capitulis adjiciebat, nonnihil asperius, & tenellis infantulis minus conveniens videtur. Quamvis puellæ trimulæ meticulosæ, novaculam non admittenti eandem adhibuerit Balthas. Timæus lib. V. cas. XXIII. Dudithius mulierculis in Polonia usitatum, sibique miraculi loco refert, quod sequitur, quoque liberos suos, ipse percuravit: *Injiciebatur in labrum aquæ calidæ, in quo pueri lavabant, panis in micas friati Manipulus, cineris item parum, e lotis pueris aquâ percolata panis ille in massam compingebatur: Hæc massa in diversas partes manibus distracta magnam subtilissimorum pilorum vim oculis offerebat.* Quos tamen non veros pilos fuisse existimamus, sed vermiculos pilis similes, non enim est credibile, pani tantam trahendi vim inesse ut pilos, si qui sint, sub cute latentes evellere queat: sed longè vero similius videtur, ad eundem, tanquam gratissimam escam vermiculos prorepsisse, caliditate aquæ etiam poros dilatante, quanquam Dudithius se nullam ejus rei causam investigando reperire posse fateatur. Claudinus l. c. farinam aceto permixtam inter valentiora enumerat, calotionem item ex lixivio querno aut colurno admixto lacte caprillo in quo rad. vitis albæ decoctæ. Franciscus Joël X. Pr. sect. IV. §. IV. Cataplasma ex fimo anserino & scobe æris c. succo Cardui lactei ad vermes capillares digitorum commendat, quod

etiam his dorsi infantium convenire potest. Petrus à Castro tr. de Colostro, qui Scipionis Mercurii Obstetricio additus est, puncto III. mulierum Lusitanarum experimento fuliginem caminariam c. melle & lacte mixtam dorso illitam laudat. Locum quoque habere potest, quod varis expertum à Dithmarsis remedium ex Viero adducit Mollenbrœccius tr. de var. sive arthrit. vaga scorbut. c. XV. §. XXIIX. Cataplasma ex rad. Cicutæ aquaticæ stuppa obvoluta & sub cineribus assata deinde tusa c. melle & applicita, quemadmodum & remedia Jo. Agricolæ ad trichiasin pedum sive ulcera verminosa experta satis sunt idonea, decoctum nempe ranarum & lacertarum, aut pulv. earundem adjecto Caphuræ momento tr. V. Chirurg. parv. p. 630. Decoctum etiam bacc. lauri & lil. alb. in vino quod contra vermes cardiacos ex Mss. Experimentis Phil. Edoardi Com. Fuggeri excerptum J. Udalric. Rumlerus valde proficuum expertus est. Decoctum item secalis c. absinth. & radic. graminis laudatum Petr. Franc. Phrygio part. I. Comm. in histor. Epidem. Hippocr. ægrot. XII. Decoctum item spicarum siliginis, sive rectius secalis laudatum Joëli l. c. & tela emplastica Cerâ novâ inductâ, cui vis eximia ejusmodi animalcula extrahendi, sive sola sive etiam pice crassiori, melle & axungia ut rusticatim vocat, campanarum additis. Nam quod de incisione tumoris suppurati & consolidatione adjungit, nihil ad rem facere videtur, quia ad hunc adfectum, confusione minimè probanda, imperitius trahi jam supra diximus §. IX. Adolphus Occo in Pr. Mſ. experimentum de Secali suo quoque calculo probans, vicissim etiam vermes secali innatos segmentis abiegnis insertis extrahi posse comperit, quod sponte prodeuntes iisdem adhærerent: Unde decoctum quoque illorum huic morbo utile conjicere possumus. Vermibus quoque tam hominum quam equorum expellendis nihil valentius expertus est lapatho silvestri latifolio, quod alii Unctuosum, Vulgus bonum Henricum appellat, in balneo præcipuè solum aut aliis adjectis, decoquendum. Succum veronicæ & eupatorii experimento suo commendat Anonymus in Pr. Med. apud nos Mſ. . Portulacam c. aceto tusam

ſam & ſedum minus vi detergendi inſigni prædítum proponit Aretæus II. Chron. cur. XIII. ſeu potius Paulus Ægineta, ex cujus IV. c. XI. hanc illi laciniam adſuit Georgius Heniſchius: σμήχει ἢ καὶ ἀνδράχνη μεθ' ὄξους λεαινθεῖσα, καὶ τὸ λεπτὸν ἀείζωον. Minus enim maluimus reddere quam tenue, quia & huic folia nihilo ſecius craſſiuſcula obtigerunt. λεπταὶ ἐλπίδες apud Ariſtid. in Orat. *exiguæ ſpes:* & λεπτὰ δύο, Luc. XXI. 2. *nummi parvi.* Decoctum Chærephylli c. aceto paratum lotioni commendat Samuel Haſenrefferus l. c. unà cum Catapl. ex ſanguine Draconis vini latice probè contrito: quod minimè contemnendum, niſi quod cutem colore pertinaciori inficiat, haut facilè eluendo. Nam alterum, quod ex fermento & auripigmento compoſitum emplaſtri nomine deſcribit, intutum nobis, nec in tenellis maximè corpuſculis uſu admittendum videtur. Plurimum quoque prodeſſe poterit vi detergendi ſtrigmenta cutisque ſordes eximia pollens herbula, quam alteram Sideritidis ſpeciem Joach. Camerarius vocat, & huic intentioni Auſtriacorum experimentis tantoperè extollit Volfg. Hœferus VII. Hercul. Med. c. VI. præcipuam cauſam in pororum cutis obſtructione reponens, propter difficilem primæ lanuginis egreſſum caloriſque nativi negatam eventilationem, ut quæ deinde maciem corpuſculis inducat. Nec obſtat, quod doctiſſimus anonymus in Ephem. eruditorum Gallicis vermes vervecum jecinoribus frequenter innaſci ſcripſerit, ſi lanionum obſervatione Sideriti glabra arvenſi paſcantur, cujus etiam folia latiuſcula apertè repræſentent: veroſimilius enim videtur animalia, ceu ipſe innuit, morbida & vermibus iſtis fœta, herbam illam occulto quodam inſtinctu naturæ remedium appettere, non quod ex illa vermes generentur. Nec ſanè improbanda Cluſii ſententia, qui marrubium Pannonicum nec Theodori & Gerardi, qui alyſſum vocabant cùm Dioſc. IV. 33. diſertè φύλλα ὅμοια τῷ πρασίῳ eidem tribuat & σπονδύλους περιφερεῖς ὥσπερ πρασίου: *Folia marrubio ſimilia, & orbiculata verticilla, qualia marrubii ſunt.* Hoc verò non minus quam alyſſum vermibus inimicum nemo peritiorum ignorat. Picris item Vero-

nensium fl. Cyaneo campanulato, quam monte Baldo copiosam omni vermium generi adversissimam commendabat Alex. Benedictus. XXI. Pr. c. III. gentiana scil. fruticescens, aut pnevmonanthe: Nam picris Dalechampii in opere Rovillii Lugdunensi ad hieracia pertinet, floremque habet chondrillaceum & papposum. Omnibus autem externis aliis meritò præferenda sunt aloëtica qualis Tinctura Timæi in Consil. p. 432. in aq. aliqua vel decocto convenienti, abluendo corpori planè eximium remedium ex aloës ℥j. Myrrhæ el. ʒiij. Croci. ℈j. cum spir. vini s. q. Cui tamen ne nimium tenellam infantum cutem exsiccet, aut exasperet, aq. aliqua destillata addenda est. Succus item hederæ terr. cum Aceto aloëtico mixtus & prioris exercitationis c. XII. laudatus. Aqua etiam aloëtica totum corpusculum Timæus V. obs. cas. XXIII. inungi jussit, postquam & balnea & linimenta, & rasiones frustra adhibuisset. Infuso quoque aloës in aq. folior. Persici nonnihil myrrhæ & salis ammoniaci addebat quondam Jerem. Martius in experimentis suis Mss. successu non contemnendo. Infusum aloës in vin. & aq. ros. æqualibus partibus Platearius proponit tr. de simpl. med. c. I. Aquam item rosaceam fœniculatam cum aloë solutâ Jo. Baptista Montanus in Consiliis ap. nos Mss. & nondum editis. Butyrum etiam Aloëticum Ant. Saportæ ad morpiones expertissimum in Evporistis Mss. Petri Asselinæi, Med. Veneti. Unctio denique Aloëtica Alzaravii de qua prioris exerc. c. XI. Conveniunt præterea & plura alia vermibus inimica in balneis adhibita: Ut amarantus luteus, stratiotes seu myriophyllum, polygonum, buphthalmus, gentiana, petasites, thymus, asarina, abrotonum, Selenium, Calamintha, carduus benedictus, gratiola, tanacetum, verbena, Centaurium minus, nigella, levcojum, fol. & baccæ lauri, aliaque cuivis obvia. Inprimis absinthium, quod quidam non secus ac cæteri gentianam, aloën germanicam à viribus (non forma) nominant, ut è contrario Apocal. IIX. 11. pro absinthio, stella caduca (origenem plerorumque opinione significante) Paraphrastes Æthiops (:עגוסתר) reposuit, id est, *herba amara aculeata*, quæ Ludolfi sententiâ *aloë*

Folia

Folia *Solareæ* seu *matrissalviæ* aut hormini hort. maximi cum aceto & melle applicita ad vermiculos, ut vocat, consumptores, cute illitâ, antequam capitula exserant, proponit experimento suo Petrus Uffenbachius in Castoris Durantis hort. Sanit. à se vernaculè converso: (Cui consentit anonymus noster in Pr. sua Mſ. partic. morb. fol. hormini sativi quod Ital. *Orvala*, trita & imposita etiam aculeos spinasque extrahere expertus: Cui tamen *Callitrichon silvestre*, ut efficacius in Unguento Gleucino præfert Jo. Jac. Vuekerus Antid. spec. lib. I. §. IIX.) Magisterium vitri, cum melle & savina, ut contra vermem cardiacum & Umbilicalem, laudavit Thom. Keſslerus Centur. I. proceſſ. Chem. LXXXIII. cujus descriptio LXXXI. habetur. Ut enim unctiones & balnea isthæc omnia tandem dimittamus, satis hinc patere censemus, eorum, quæ commemoravimus, alia vermibus grata & jucunda esse, ad quorum præsentiam sive capita exserant, sive etiam toti, licet rarius, egrediantur, alia autem inimica & adversa, quæ acrimonia, amarore, salsedine, & subtilitate sua corpus penetrantia vel invitos expellant, aut ab illis ipsis exeundo fugiantur. Nec enim Claudini opinio perpetuo sibi constare potest, qui amara exterius applicita non probabat, quod vermes illa prorsus refugiant. Si enim satis sint penetrantia remedia, quæ ultra poros, subcutaneas quoque partes pervadere, & per extrema vasorum ora in venas, lymphæ quam ductus transsumi queant, feliciter omninò adhiberi non dubitamus: quemadmodum & dulcibus invitari ac prolici nemo negare poterit, inter quæ Comagenum Plinii præcipuæ virtutis, eidem laudatum (non tamen diſſecta prius pellicula, qua nihil opus, quippe ex confusione cum Vena Medinensi aliisque vermibus subcutaneis adducta) cujus verba adscribere operæ pretium fuerit, X. 22. *Aliud reperit Syriæ pars, quæ Comagene vocatur, adipes eorum in vase æneo cum Cinnamo nive multa obrutum ac rigore gelido maceratum ad usum præclari medicaminis quod à gente dicitur Comagenum.* Hac sanè intentione, & mixtura eorum quæ partim amica vivæ mortis imagini partim inimica exsistunt, topica sua

remedia, (quamvis occulta & nondum prodita) conficiebat Augustus Hauptmannus epist. prælimin. ad Petr. Jo. Fabrum p. 172. quibus ad instar minutissimarum macularum rubrarum prolectos q. Cridones adfirmabat, ut in balneo abradi potuerint.

§. XIII.

PHarmaciam vix unus aut alter Medicorum in hoc adfectu attingit. Cunelius §. XVI. humoris peccantis evacuationem proponit, sed remedia, vel tironibus notissima, silentio trāsmittit. Nam quod de Venæ sectione addit (ut id obiter perstringamus, cùm ad Chirurgiam pertineat) in tenella hac ætate, & insigni macie viriumque imbecillitate locum habere non potest: Neque sanguinis missio vel in adultis & robustis contra vermes rectè instituitur, nisi is ipse simul peccet, optimè sic limitante Hier. Capivaccio. III. Pr. XIV. Purgationem verò cum Reusnero, lenem admittimus, quæ nisi imbecillitas & tabes obstiterint, omni ratione necessaria est, antequam infantes ad balnea deducantur; Saltem ut alvus emolliatur absque ulla contradictione opus erit, maximè si constipata sit, ut voluit Corbejus aut potius Magirus. Ideoque minoribus ac nuper natis infantibus anisum exhibere utilissimum videtur, de quo Jo. Heurnius II. method. ad Pr. c. XXVI. *Usu comperi à sem. anisi scriptulo crassè comminuto jam recens natos puerulos commodissimè à viridi bile & fœda pituita purgari, cùm pultem saccharatam sumunt, primo cochleari inditur ac illis exhibetur.* Nam & contra lumbricos anisum cùm alii commendârunt, tùm ipse Ebnsina IX. sect. XVI. tr. V. c. IV. III. sect. XVI. tr. V. c. IV. Majoribus autem alia magis conveniunt: Poterunt turundi, ut Marcellus Empiricus vocat, sive, ut vulgus, suppositoria, ex idonea materia confici & adhiberi, aut etiam inclysmata infundi, quæ cuivis in rem præsentem varia parare integrum erit. Ore Mannam accipiant ad Unciam dimidiā vel etiam integram pro ætatis ratione, eaq; vel oleo amygdal. dulc. misceatur, vel in jusculo, aut aqua aliqua stillatica idonea solvatur, cui & Medici arbitrio Serapia quædam immisceri possunt, aut etiam sola exhi-

exhiberi, uti sunt, Serapium ex manna, ros. sol. simpl. viol. sol. simpl. è flor. acaciæ, mel. ros. sol. viol. sol. & similia: inprimis serapium de Cichorio c. rhab. Nic. Florent. quod Scipio Mercurius VI. de error. popul. Ital. IV. tantopere celebrabat, quod alio loco examinabimus. Diascordium quoque purgantibus utiliter permisceri docet Nobilissimus Sebizius specul. Med. Pr. part. IV. sect. II. VII. Aq. ex fl. Persici destillatam addito scammon. & turpeto, tanquam ingens arcanum Jo. Heurnius I. meth. ad Pr. p. 70. proferebat: sed quod res est, modicè purgare fatebatur. Nimirum perparum aut nihil de purgandi vi cum aquis transire solet, ut quæ in plerisque aut sale fixiori, aut resina 🜍ea residet. Aquæ solventis nomine à ℥ij. ad ℥ß. exhibendæ, laudabat etiam J. Bapt. Cortesius Antid. Messan. c. VI. experientiâ Hier. Rubei, sed parum isthæc, ut ille, animadvertens. Neque majori veri specie Jo. B. Montanus Emplastrum Mediolanense succus ex electo de Sebest. & Cont. Hamech. extrahere solitum per destillationem adfirmabat in discursu de aq. destill. Ms. Ess. sive Extr. fl. Persicorum 🜈 paratum & aq. eorund. solut. in filiolo suo expertus est Phil. Gruelingius Cent. III. obs. XXXIX. Serapio etiam ex iisd. flor. parato Extr. Zeduariæ, & CC. vapore calcinatum, & ⊖♀j. atque absinthii c. spir. ⊖is guttulis immiscebat. obs. XLIV. Majorem sanè laudem meretur Serapium è fl. Persici paratum, rectius tamen per infusionem quam succum expressum qualem Petrus à Castro proponebat, opportunè nimirum recordatus, quam parum succi præbere queat vel maxima florum copia, & quam non valdè magna illa ubivis haberi queat. Extrahebat autem tincturam aqua rutæ Caprariæ, fl. tiliæ, pæoniæ, aut lil. convall. cum ∽⊕-j acidulata, quam melli deinde ros. Saccharino, sive quod idem est, Serapio rosato simpl. jungebat. Sunt qui è Manna etiam aq. laxantem destillare conentur, atque inter arcana referant, tanquam infantibus morosioribus & pharmaca abhorrentibus gratiorem: quam tamen nonnulli felicius cum spir. vini, quam aq. stillaticia peragunt, nisi quod tùm medicamentum intemperatius prodire soleat; Unde & liquidam vulgo dictam

aq.

aq. conven. solutam & alb. ovi depuratam, quam Jo. Kuefero Medico experientissimo acceptam refert Joh. Schrœderus IV. pharm. §. 446. hodieque communi usu omnium frequentissima nec pueris ignota est, destillatæ multum præferendam putamus, qualis etiam illa Bikerii in Herm. rediviv. cum rore Majali concinnanda, quamvis Spiritus nomine descripta à Schrœdero IV. Class. IV. § 446. Nos sanè vesica bubula destillata purgationi inutilem, neque cum ⦶o ad mentem Jo. Osvaldi elicitam satis respondisse ad vota nostra comperimus, quæ causa videtur, cur l. c. edit. CIↃ IↃCXLIV. proposita, postremâ CIↃ IↃCLXII. omissa fuerit. Prævalet sanè illi vis sudorifica, notante Feburéo part. II. Chem. c. VII. & spir. quoque ejusdem potius diaphoreticus est, sive additamento vini laticis, sive nullo, solus sit destillatus. Neque adsentiendum Jobo Kornthauero, qui Comm. in Paracels. de peste ad Stiriacenses. p. 79. cruorem Leonis sive flores ♁ ij rubros, cum ♀ & ⦶ præparatos, ad vermes capillares commendabat, cùm etiam adultis sæpius nocuisse historiæ & observationes Medicorum contestentur. Sic verò vacuato leniter corpore ut Reusnerus ap. Schenkium habet, detur pulv. lumbric. ten. c. oxysaccharo, aut theriaca cum lacte & jusculo pulli, vel succus raporum cum Saccharo Cautio vel species Electuarii Diarrhod. c. Rhabarb. hinc collocetur in balneũ aquæ dulcis ex cineribus Coluinis & lacte capillo paratum. Alii plerique, ut supra diximus, in balneo sicco sudare jubent, ideoq; Hidrotica exhibent. Quò sanè referri debent decoctum raporum cum succo fœnic. in taleolas sectorum filoque suspensorum, ut arescant, quod Phil. Scherbii Erasti consilium sequuti, experimento tantoperè celebrabat Gasp. Hofmannus V. Instit. Med. c. XI. §. II. Cui propterea ipsum rapor. aut etiam naporum sem. quemadmodum in variolis (plerumque etiam à miasmate vermiculante productis) quotidiè cum successu fieri videmus. Omnia certè his ipsis contraria vermibus quoque capillaribus expellendis maximè idonea sunt, & rapis ipsis longè efficaciora sive tostis, quæ Barth. Brunnerus Cons. IX. præscripserat, sive passis i. e. siccatis Cons. XLIII. & Christoph.

stoph. Henric. Ayrerus apud Franc. Hildeshemium Spicileg. de cap. adfect. II. p. 280. sive denique expressis, ut succum præbeant, quem J. C. Claudinus l. c. eligebat. Nonnulli etiam quæ aliàs vermes necant, propinant. Sennertus sem. nasturtii mentionem facit, quod olim Diosc. II. 185. contra vermes commendàrat. Lumbricos autem terrestres quidam immeritò suspectos habent. Putant enim sumpto illorum pulvere vermes potius copiosos generari quam expelli: quod tamen non est verosimile. Quis enim credat v. g. horulæ spatio tot lumbricos, & tam grandes, quales sæpè statim ab illius usu dejiciuntur, in corpore nasci potuisse? Neque nos movet, quod Henr. ab Heer. obs. IX. vermes vino lotos & in tegula siccatos exhiberi non probet, quia pituitæ permixtus pulv. iterum animetur, sicut & muscæ submersæ multis diebus mortuæ, si non premantur, sed simpliciter extinguantur, Soli dennò expositæ, vitam volatumque recuperent. Ut enim dicamus, quod res est, nihil ad rhombum facit. Si verè muscas emori & reviviscere unquam credidit εὐήθεια fuit philosopho indigna: Nam à privatione omnimoda ad habitum, ut loquuntur, Naturæ vi aut ordine nullus regressus datur. At lumbricos terrestres in tegula siccatos & in pulv. contritos vitã omnem amisisse quis neget? Non igitur reviviscent. Dicat fortasse quispiam, nos ipsos supra adfirmâsse, talium animalculorum animas etiam in atomo latere. Non diffitemur, posse diximus: In atomo tamen non quavis, sed seminali. Nec etiam semper est, quod esse potest. De lumbricis igni siccatis, & in pulv. redactis, qui id nobis persuadere voluerit, experimento ostendat necesse est, nam aliàs in specialibus istis progressus in infinitum fieret: & neque oniscorum neque scorpionum pulveres, quos plurimi contra calculum summoperè extollunt, aut similia alia tutò exhiberentur, quin potius metuendum esset, ne in corpore novi onisci & scorpii repullularent. Utut enim id quidam fieri posse putent, non magis tamen admitti debet, quam quod de musco Corallino marino Valentinis mulieribus in Hispania persuasum à vero longius abesse ostendit J. Mich. Paschalius I. Pr. LI. Non

quidem ignoramus resuscitationem lumbricorum & muscarum ex pulvere siccatorum etiam à viro summo Athan. Kirchero propositam XII. mundi subterran. sect. II. c. I. & IV. veremur tamen, ne aliquid fortasse subesse possit, quod experimenti deinde fidem dubiam reddat. Nunquam certè ex solo pulvere resuscitabuntur. Adfusa autem aqua jam mox suspicio oritur, non tam ex pulvere, quam seminiis in aqua latentibus produci, de quibus supra plura ad Nobilissimi Boglæi mentem disserebamus. Si tamen quod Kircherus sect. I. c. VI. de panspermia & animis post mortem quoque cum seminali virtute remanentibus, non tamen ut formis, sed tanquam in vase, admitti à severioribus queat, fortasse nec isti resuscitationi multum refragari licuerit. Vix tamen à nobis, ut id credamus, impetrare possumus. Viliorum iccircò ejusmodi animalium natura non debuit præstantiorum animas tali prærogativa exsuperare, cùm non minus materiales sint, ideoque morte aboleantur, & nova propterea animalcula, non anima residua numeroque eadem, sed corpuscula spermatica animata producant. In calculosis sanè plerisque non minus quam verminosis & calorem & pituitam plurimam adesse constat, ne quis reliquarum etiam causarum absentiam calumniari queat. Nos de lumbricis contrarium ostendemus. Ebnsina II. tr. II. ed. Alpagi c. CXCIIX. pulv. illorum ad icterum, urinam provocandam & calculum commendat. Diosc. II. 72. περὶ τῶν τῆς γῆς ἐντέρων: ἄγει ἢ καὶ οὖρα λεῖα πινόμενα σὺν γλυκεῖ. *Vermes terreni triti & cum passo epoti urinas cient.* Contra dicitur suriam etiam ex aq. dulci & myrtina dabat Aabdorrachmanus Asuithensis I. de propr. & virt. an. med. XX. § 309. quem ex Arab. Latin. factum Abrahamus Ecchellensis edidit, majorem gratiam promeriturus, si Latinis Arabica voluisset conjungere. Ad icterum laudabat Massarias III. Pr. XV. & Læl. à Fonte Consil. CXV. contra hydropem verò Raym. Mindererus in med. milit. inprimis si rhabarb. quidpiam adjiciatur. In pulv. quoque Monspeliensium ad pallidos virginum colores usitatissimum quem Henr. ab. Heer obs. VI. Jo. Schyronio adscribit, lumbrici siccati recipiuntur. Altimarus de med.

med. hum. corp. mal. c. LXXXI. tam adultis, quam infantibus, etiam febri præsente, contra vermes omnis omninò generis, etiam latos, confidenter dari jubet, Aëtium haut dubiè sequutus tetrab. I. serm. II. c. CLXIIX. Ad lactis etiam generationem omnibus tam Græcis quam Arab. usitatum docet Mercurialis III. de morb. mul. c. l. Unde apparet, quam vanus ille metus sit, quandoquidem nemo horum omnium lumbricos ex eo genitos observavit, cùm tamen in plerisque adfectibus enumeratis & calor & humoris vitiosi copia adsit. Sed & Theophr. Paracelsus cujus experientiæ in iis, quæ absurda non sunt aut impia, plus tribuendum est, quam quorundam rationibus l. de verm. c. X. *Vermes*, ait, *terrestres habent vim curandi non solum panaritium, verùm etiam alios vermes omnes in hominibus ortum & sustentationem habentes, siccati scil. in pulverem redacti, nec non intrinsecus administrati cum quovis liquore (in caprillo lacte melius) vermes omnes ad hunc modum expellunt ab intestinis & stomacho per secessum. Per eundem etiam Syrones expulsi fuerunt, aridura sanata (tabem intelligit aut atrophiam, atq; hanc ipsam de qua loquimur) nec non membrorum dolores maximi.* Itaque ab re non fuerit ea quæ lumbricis inimica sunt, sudoriferis permixta exhibere, sic enim vis illorum cum sanguine & humoribus nutriciis facilè ad cutem usque & partes musculosas penetrabit. Hæc Sim. Sethi ἑλμίνθων ἀναιρετικὰ c. de mentha vocat, quibus Cardiaca semper miscenda prudenter monuit Cahagnesius seu quisquis auctor est Enchir. Pr. Med. c. propr. è quorum tamen numero, ut infantibus gratiora eligenda Sem. Coriandri præparat. rad. Contrayervæ seu Tragopogonis Hispan. & Indici, dictamni alb. personatæ, labri veneris, H. & flor. stœch. citrin. Adriano Spigelio adeò celebrata tr. de lumbr. lat. ut tineariam Marcelli Burdegalensis ac Scribonii Largi plerique putârint. p. 73. Flores secalis lacte incocti experimento Arn. Vueiccardi l. thes. pharm c. XIV. aliaque plurima, quæ lumbricis pariter pediculis, dracunculis necandis recensuit Jo. Georgius Macasius prompt. Med. lib. II. sect. IX. c. XIX. & Melch. Sebizius Man. Pr. Med. part. IV. sect. II.

c. VII. Vierus theriacæ lumbricos quinque tritos admiscet c. Cinnamomi & Sacchari pauxillo, quamvis & theriaca sola id præstare queat, in qua utramque facultatem, sudores scil. commovendi, & lumbricos etiam latos expellendi jam olim Galenus agnovit. Quam licet Leonellus Victorius Faventinus tr. de ægrit. infant. c. III. & Claudinus l. c. parum tutam pueris putârint, atque propterea calidiori multum prætulerit pulv. Card. benedicti ad ℈ß. vel ℈j. substituendum, qui tamen cùm amaritudine valdè ingratus sit, omitti, ejusque loco aq. stillaticia aliis sudoriferis mixta exhiberi felicius posset, ut sem. hyperici, quod adeò experimentis suis efferebat Jo. Georg. Brenggerus epist. ad Rumler. ap. nos Mf. aliaque quæ minus injucunda & infantibus commoda subjungere heic placet. Theriacam tamen, ne id quoque dissimulemus, bimulis magno emolumento Hippolyti Salviani Med. Rom. imitatione dabat Thom. Jordanus tr. III. de pest. phænom. c. VII. cùm vermibus laborarent: Huic autem aptissimè alia admisceri possunt lumbricis inimica, ut Terra foliata ♀j Paracelso tr. III. paragraph. lib. II. tantoperè celebrata & Crusio theatr. Herm. Hippocr. lib. III. c. IV. plerisque deinde pro summo arcano venditata, aut Mag. cœruleum ⊖j laudatum à Timæo VI. epist. & Consil II. pulvis item Callimi, malignis quibusvis adfectibus præstantissimus Cornelii Gemmæ experimento II. Cosmocrit. p. 256. aut Magist. Aëtitæ, quem olim jam Solinus polyhist. XL. contra serpentes & vermes collaudabat. Mag. item & flores Chemici CC. Eboris, & Unicornu fossilis, quæcunque cum spir. Nitri conficiuntur, omni vermium generi adversantur. Cui nil efficacius subrogari poterit, quàm ipsa medicamenta Viperina, ut pulv. serpentum Jo. Prevotii ex angue Æsculapii paratus: pulv. item viperinus Petri à Castro cum anodyno minerali seu ⦶ præparato & spir. ⊖j digestus, tandemque infuso guttatim ol. ♀j præcipitatus, aquisque cardiacis denique elotus, cui tamen aut solum ~ ⊖j aut solum ~ ⦶i adfundi mallemus, quia conjuncti ipsam Chrysulcam constituunt: Aut pulv. viperinus Card. Richelii, ex illa præcipuè viperæ parte, per quam hepar distenditur;

tur: cui nonnulli solas vertebras destinare solent. Aquam etiam ex capp. caudisque vulgò abjici solitis, facto cum sale, ut vocant, strato super strato, & febribus, & aliis adfectibus plurimis proficuam, experimentis cognitum nobis quondam adfirmabat Illustriss. Eq. Cassianus à Puteo, cujus inusitata eruditio, prudentia, & humanitas toto terrarum orbe celebrata, antiquam Romanorum virtutem non æquabat, sed infinitis modis exsuperabat. spir. viperarum cum spir. sanguinis hum. Illustris Veslingius ceu singulare & specificum arcanum prædicabat. Jo. Georg. Agricola Med. Ambergensis l. de us. Med. Cervi dissect. c. III. §. 37. Cornu Cervi ust. c. aq. Card. ben. commendat ad Comedones per sudorem expellendos, non malè, nisi quod remedium hoc Vieri esse dicat, in cujus tract. de Varis, quem adlegat, nihil ap. Smetium comparet. Quod etiam in pil. Regiis Serenissimi Ferdinandi Ducis Mantuæ & Montisferrati ad morbos malignos omnes, & vermes celeberrimis, positum. Nos nondum in vulgus cognitas, heic propalamus, quia spei suæ non impares compertæ sunt. Extr. galegæ, angelicæ, bacc. lauri, genistæ, theriacæ ana ℥ij. ⊖CCj. Corall. rubr. ana ʒij. Rhinocerot ℥jß. contrayervæ ℥ijß. terræ signatæ. ℥ij. c. Serapio Citrior. acid. f. M. Pil. Cujus dos. ℈ß. c. Serapio fl. aurantior. vel Card. Bened. Neque absurda Kesleri cogitatio Cent. I. process. Chem. XCIX. qui decoctum CC. cum aq. hyperici præferebat in quo stannum Britannicum aliquoties exstinctum esset. Quin isthac indicatione Gelu potius rec. paratum c. Magist. Jovis aut Badzahardico Joviali, tanquam egregio diaphoretico commodissimè exhiberi posset: Tale autem cum ol. ♀is paratum, præcipitatione cum liq. ♀j procurata, ♀j Saturnini nomine internis etiam usibus aptum Raym. Minderero Poliatro nostrati quondam frequentatissimum erat. Badzahardicum tamen Martiale præferebat Illustris Rolfincius method. consult. lib. XIII. cons. III. Quin etiam Solare & Lunare, & quod simplicius Minerale dicitur, omnia his usibus apta, quippe egregiè sudorifica & alexicaca. Tinctur. ♂ij cum successu exhibuit Timæus V. cas. XXIII. ritè nimirum præparatam. Utilia præterea Magist.

Eboris, & rhinocerotis Eq. Fr. Ponæ experientiâ tr. de venen. c.XV. talorum item Vaccin. & Ebur ipsum fossile, Unicornu marinum Grœnlandicum & Badzahardica omnia ap. River. Cent. I. obs. XCI decocta & infusa L. Colubrini seu Moluccani [cujus primum inventũ ap. Clusium Henrico de Luna Lusitano & Lud. de Tayde Proregi debetur, bestiolæ autem Quil. cum serpentibus dimicaturæ potius adscribit Jo. Hugo Linscotanus, in cujus adnot. ad c. LXXV. alterum eid. genus cortice versicolore maculosum à Sim. à Tovar dono datum describit Bernardus Paludanus] & Colurni nostratis, Cerasi item aviariæ sive Mahaleb Arab. valdè commendatum ab Ebn-Jezla direct. sanit. XXVI. Aq. item acida ex præparatione ♅ ij Diaphoretici, aceta sive spiritus acidi succini & Lignorum, inprimis Heraclini, quo nomine aut Colurnum Rulandus olim aut buxeum intellexerat, c. Tinct. Corall. serapiis jucundioribus edulcata, ex acid. Cit. Card. ben. intubo, fl. hyperici, scordio & granatis. Magist. item Castorei vertebr. Viperin. & CCj. c. Spir. terr. signatæ & Tinct. Lunæ, aut Lap. Badzahardico & pulv. Ægagropilorum, in aq. filicis, hyperici, Card. ben. marrubii cum serapiis jam dictis egregia remedia præbent, qualia nobis subinde usitata. Conveniet etiam, ipsâq; Tinctura Lunæ efficacius comperietur, si quis in usum ducere voluerit, Leucocephalicum Corvi nigri metallici sive Chemici, Carolo Vuidmanno Poliatro quondam nostrati arcanum laudatum, cujus descriptionem protulimus Hecatorteæ nostræ II. obs. LXXIV. ad Ill^rem societatem curiosorum in Germania, propediem prodituræ. Quibus & hoc addamus, Pulv. fol. Nuc. jugland. & persici arbor. magna cum laude utebatur quondam Phil. Clauserus, Empiricus Germanus III. Pr. Med. c. VI. simulque infantem decocto marrubii & rad. bryon. aut lixiv. pineo c. aq. pluvia parato lavari jubebat: aut sem. Nasturtii ex vino dato decocto L. querni fimiq; Gallinacei imponebat. In Saxoniæ autem locis quibusdam montanis, ubi fodinæ Metallicæ, valde familiare & sæpius expertum novimus: Infanti myrrhæ rubr. opt. el. q. cultri cuspide prehendi potest, è Cervisia exhibent, atque deinceps

ceps aliquot diebus sudorem excitant vapore aquæ calentis helcysmatis seu scoriis argenti à fornace calentibus adfusæ. Amarum quidem & ingratum hoc medicamentum, quod tamen nostratibus etiam usitatissimum, pulticulæ myrrhatæ, nomine Adamo Hebichio Poliatro feliciori successu celebratum ex myrrh. purissimæ in pollinem tritæ ℈j. Mellis virginei. ℥vß. Ol. amygd. dulc. rec. ℥iij. & Confect. margarit. ℈iv. permixtis. Parum tamen ab isthoc pharmaco differt pulvis Alexii Pedemontani inter secreta memoratus lib. I. p. 33. edit. Vuecceri curâ procuratæ. Sed istis missis, postremò medicamenta, quæ vigilias infantibus molestas mitigare possunt, enumeranda superessent, cùm tamen etiam mulierculis notissima sciamùs, volentes præteribimus. Qui verò sic volet Sennertum IV. Pr. part. II. c. IX. consulat, cujus copiis abundè instruetur.

§. *XIV.*

Diæta denique sive victus ratio curationi & præservationi conveniens, talis omninò instituenda, quæ crudos vitiososq; humores non progeneret augeatvé. Inprimis pultes non satis idoneæ vdientur, quod ciborum genus in victu infantium cùm alii damnarunt, tum Jul. Alexandrinus Comm. in Gal. II. olim fac. V. & Guil. Fabricius Hildanus Cent. VI. obs. XXXIV. Germaniæ hanc pessimam consuetudinem jure reprehenderunt, quæ illo tenella corpuscula usque ad nauseam infercire solet: quod olim quoque Aristoteli VII. histor. anim. XII. non minus improbatum, viscidum, & lumbricis gignendis aptissimum notavit etiam Vinc. Alsarius Crucius Centur. III. quæsit. per epist. p. 220. Neque ab re nonnulli iccircò panis pulticulam prætulerunt. Sic enim vocabat τρωμηλὸν Græcorum Soranus Ephesius interprete Aureliano I. Tard. I. quod radulâ, τρύνη in micas contereretur, de qua haut ita pridem not. nostris in Marcelli Cumani obs. XXXI. mentionem fecimus. חביצה: חבין: Hebr. in Menach. fol. LXXV. 2. Hispani *edulium sive pulmentum* ex pane friato, *Migas* appellant ap. Paschalium I. method. med. c. XXXVI.


XXXVI. & Jo. Paletum in Dict. Hisp. Gall. & medullam panis, *Migajon*, ex qua præcipuè paratur. EbnJezla in direct. sanit. ord. XXXII. §. II. eleganter دقاق الخبز vocat, tanquam *farinam panis* dixeris, inprimis similaginei, Germanis nostris: Semmelmeel. In declinatione autem emaciati infantes alimentis commodis reficiantur, quæ omnia dudum ab aliis copiosius explicata sunt.

§. *XV.*

COronidis tandem loco & animi causa disquiramus, verumne sit, quod de Henrico IV. Imperatore Cunelius §. IV. commemoravit? hoc ipso nempe vermiculorum capillarium morbo cIↃCXXV. exstinctum esse? Vierum scil. sequutus ap. Henric. Smetium II. miscellan. p. 226. qui ex Alberti Crantzii historia Saxoniæ idem retulerat, dracunculos appellans, adfectum congenitum, & Henricum V. non IV. sed Quarti filium, qui patrem in carcerem conjectum, seu vi seu dolo circumventum, conspirantibus regni Proceribus imperium deponere, tandemq; Leodici mœrore & pœnitudine confectum mori coëgerat, narrante Jo. Nauclero, Præposito Tubingensi Chronograph. vol. II. gener. XXXVII. Tanta illorum temporum turbulentia erat, ea animorum in Pontifices & Cæsares divisio, ut quisque partium commodis addictior, gloriæ quoque immoderatius faveret, veriq; cura propemodum nulla esset, & scriptis utrimque libellis vituperarent alii, alii impensius laudarent, ac Imperatorem bellicosissimum, qui sexagies bis acie dimicaverat, invicto semper animo, Filio tandem supplicem factum, neque hoc satis, in vincula conjectum, maleque habitum, exemplum præclari apophthegmatis præbuisse dolerent, quod olim in symbolum adlegerat: *Multi multa sciunt, seipsum nemo.* Hinc enim Valtrami Nienburgensis Episcopi defensio, & acrior responsio Bernardi Corbiensis monachi: pleraque item non sine adfectu ab Anonymo vitæ Henrici IV. auctore, & Davide Scoto, Mariani Virzpurgensis socio scripta, qui vitam Henrici V. tribus libris complexus est.

est. Antonini item Florentini historiam, & Æneæ Silvii descriptionem Concilii Basileensis non omnem extra culpam, causasque amoris ac odii non valdè procul habitas cuivis animadvertere licebit. Multi iccirco singularem aliquam vindictam Numinis in filii obitu suspiciebant, morbumq; non tam infantibus proprium, quam viris etiam abominandum sive *καζισκωληκίασιν* fingebant, quam diu obluctatus, celare tamen frustra conatus fuerit, ut Nauclerus gen. XXXIIX. & Conr. à Liechtenau Abbas Urspergensis in Chron. prodiderunt. Hunc utique familiarem Imperatori non tamen congenitum, dracunculi nomine insigniebat etiam Carolus Sigonius in X. de regn. Ital. pro quo deinde Theod. Zvvingerus volum. II. Theatr. vit. hum. lib. VII. p. 526. Carbunculum substituebat. Quod sanè ut à præclaro Medico profectum nostris conjecturis & expositionibus de venæ Medinensis tumore atrabilario & anthracode prioris Exerc. c. III. adlatis non valdè dissentaneum apparet, ita putamus, istum non alium quam anginosum quempiam adfectum sæpius ob bilis exuberantiam aliasque tam corporis, quam animi commotiones vehementiores ex intervallis invadentem, postremò letiferum exstitisse. Aut verius tumorem cancrosum carbunculi nomine falsò habitum, & quandoque retrocedentem ac delitescentem, tandem tamen occultari non potuisse, quin cordis regiam malignitate mortali expugnaret. Jam supra autem plura tumorum genera ab Italis dracunculorum nomine censeri c. I. monuimus. Hoc quia non satis plerisque intellectum, causa fuit, ut hunc in errorem puerilem delapsi videantur, ut ipsum quoque Imperatoris adfectum puerilem existimarent. Cùm enim tùm temporis Cæsares sæpius in Italiam proficiscerentur, ejusque sat magnam partem, nondum amissam, imperio tenerent, Itali autem vicissim alieno plerumque in supremam Majestatem animo, jugum excutere conarentur, ut sanctius scil. sed gravius induerent, nec à conviciis plebejis quandoque sibi temperabant. Ita Fridericum I. Imperatorem Ænobarbum, Italicâ suâ, *Barbarossa*, vocabant, & Carolum Crassum, Ludov. filium, leviculâ paralysi ex apople-

xi nonnihil debilitatum, tanquam stolidum, non maleferiatum, sed vernacula, *malferito* appellabant, quod perquam opportunè ex Annalibus Fuldensibus ad A. C. Iↄ ccccLXXXVII. Thom. Reinesius advertit. I. Var. IV. Maximilianum quoque I. Imp. magnanimum & optimum, *pocodinarium*, tanquam ὀλιγοχρήματον & Consulem Augustanum (quod sæpius Augustam concessisset, ibique conviviis, choreis, pugnis equestribus, aliisque exercitiis familiaribus non minus, quam publicis negotiis operam dedisse visus esset) contemptim vocabant. Hinc igitur Henrico etiam V. morbi letiferi Nomenclatura Italica: *Dragoncelli:* de carbunculo quodam haut dubiè cancroso, aut cancro etiam anthracode, cui propterea cum vermiculis capillaribus infantium nihil commune erat.



APPENDIX.

B. L. S.



Cùm in altera hac Exercitatione nostra de capillaribus infantium vermiculis multa contra Cunelium, ejusq; Dracunculos, disseruerimus, sed Disputatio illius inauguralis, cujus & Cl.ᵐᵘᵐ Stupanum mentionem fecisse diximus, in paucorum manus & notitiam pervenerit, operæ pretium facturos nos arbitrati sumus, si eam huc recudi curaremus, non quod magnifici quidquam contineat, sed ne quisquam de fide nostra tantillum dubitare posset. Eccam ergò, ipsa sequitur.

DE DRA-

DE DRACUNCULIS,

DISPUTATIO MEDICA.

Ex consensu & auctoritate Amplissimi Collegii Medici in Inclyta Academia Basiliensi, pro consequendo summo in arte Medica gradu proposita

à


M. GEORGIO CUNELIO,

Dresdensi, Oratoriæ in Celeberrima Academia Lipsensi Professore publico,

Ad d. IIX. April. DEO volente & juvante, hora locoque consuetis.

Gal. II. περὶ συνθέσ. φαρμ. κατὰ τόπ.

Χαλεπὸν ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα.



BASILEÆ,

Typis Leonh. Ostenii, CIↃ IↃ LXXXIX.



Ad Clar.ᵐᵐ Doctiſſimumque Virum

Dn, JOANNEM BRAMBACHIUM,

artis Medicæ Doctorem eximium, & Reip. Dreſdenſis Civem primarium, Amicum, Adfinem, & Patronum ſuum unicè colendum.

Cum filiola mea primogenita, Clariſſime Vir, ante aliquot annos, Dracunculis, morbo ipſi congenito, tantoperè adfligeretur, ut ejus vi tandem ſuperata, è vivis excederet, ea res ab eo tempore, me morbi hujus tum ignarum valdè ſollicitum reddidit, & ad inveſtigandas morbi hujus atrociſſimi cauſas curationemq; excitavit. Quo diutius autem ea de re meditatus ſum, eò mihi viſa eſt obſcurior, intricatiorq;, præſertim cum Medicis antiquioribus adfectus hic planè fuerit incognitus. Cum itaque ad conſcribendas haſce theſes parum adjumenti, ſi curationem demas, habuerimus, pro viribus enixus ſum, meam de hoc adfectu aliis exponere ſententiam. Ac quidem opto, alium me ſubſequi, qui ſecundum Homericum illud, melius de hoc morbo judicet & ſcribat:

- - - ὅστις τῆς γε ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσπῃ
ἢ νέος ἠὲ παλαιὸς, ἐμοὶ γε κεν ἄσμενον εἴη.

Tibi verò ſoli, Clariſſime vir, hunc meum qualemcunque laborem offero & dedico, tuumq; de hoc mirabili morbo judicium expecto. Neque enim aliter facere poſſum, cum per aliquot annos non contemnenda à T. E. in me profecta ſint beneficia, quorum memoriam tamdiu conſervaturus ſum, quamdiu mihi DEUS vitam concesserit. Interim, Vir Clariſſime, quam optime vale, & me, ut hactenus feciſti, tuo favore complectere. Baſileæ Rauracorum, prid. Cal. April. cIↃ IↃ LXXXIX.

T. Excᵃᵉ.

Obſervantiſſimus Adfinis

M. Georgius Cunelius.

Theſis I.

Thesis I.



Ui adfectus Græcis est *δρακόντιον*, Latinis *Dracunculus*, in Albucasi dicitur *ægritudo bovina*: Recentioribus quibusdam ex sententia Arabum, & eorum, qui Arabes secuti sunt, *vena Medeni, vena saniosa, & vena Civilis* appellatur; quod quam veritati consonum sit, accurata rei consideratio planum facit.

II.

Quod igitur ad dracunculos attinet, de quibus præsens instituta est disputatio, est ille morbus, cui à superioris Germaniæ populis vermium comedentium, & ab effectu vermium siccorum & corpus absumentium nomen inditum est.

III.

Galeno (ut interim nihil dicam de quamplurimis hujus ætatis Medicis) morbum hunc incognitum fuisse, testantur ipsius monumenta, in quibus dracunculorum nuspiam mentionem facit, licet VI. loc. adf. III. ex aliorum relatione scribat, in quodam Arabiæ loco dracunculos nasci nervosâ natura, colore, crassitudineque lumbricis similes.

IV.

At non solum in historiis commemoratur, Henricum Imperatorem hujus nominis IV. morbo hoc sibi connato interiisse: id quod factum est anno Chr. cIↃcXXV. sed etiam cotidiana adhuc experientia testatur, quamplurimos infantes hoc atrocissimo malo apud nos Germanos adfligi & extingui, id quod barbitonsoribus nostratibus, qui à puerperis & nutribus, posthabitis Medicis, ad hujus morbi curationem accersuntur, vel notissimum est.

V.

Sunt autem dracunculi nihil aliud, quam subcutanea quædam animalcula, lumbricorum, plerumq; verò ascaridarum figuram præ se ferentia, quæ in musculosis corporis partibus, brachiis nimirum, cruribus, & suris plerumque nascuntur, & ibi degunt, interdum etiam in lateribus sub cute coëunt, quandoque totum tergum aut saltem ipsum interscapilium occupant, ut ex sententia Æginetæ IV.59. à quibusdam describuntur.

VI.

Hæc eadem videntur esse animalia, quæ Plutarchus Galeno non multum superior in IIX. Sympos. c. IX. describit.

VII.

Soranus negavit, dracontium esse animal, & contendit potius esse

nervuli alicujus substantiam, opinionem duntaxat animalis, eò quod moveatur, inducentis. Eum tamen falli αὐτοψία in curatione docet.

VIII.

Ex his, quæ dicta sunt, facilè intelligitur, qualis sit adfectus, de quo agimus, & quæ pars in eo adficiatur. Pars adfecta est musculorum substantia: Adfectus autem est morbus in numero, cujusmodi sunt pediculi, lumbrici, & omnis generis, qui in corpore humano generatur, vermiculi.

IX.

Causa materialis & efficiens hujus mali, si in morbo nondum satis cognito ἀναλογισμῷ aliquid tribuendum est, eadem esse videtur, quæ aliorum vermium in corpore nascentium.

X.

In hoc tamen adfectu causæ externæ hæ sunt præcipuæ: 1. Conceptio fœtus fluentibus menstruis. 2. Obstetricum & nutricum negligentia in extergendis & abluendis sordibus infanti congenitis, vel quas quotidiè colligit. 3 Lintea, quibus involvitur infans, impura nec satis exsiccata, præsertim nocturno aëri & radiis Lunaribus exposita. 4. Victus impurus, & cœtera.

XI.

Victum potius quam aërem aut regionem simili morbo occasionem dedisse certum faciunt, quæ in IV. περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης Agatharchides & Diodorus Siculus scripta reliquerunt: nimirum quosdam populos ob frequentem locustarum esum non modo breviori cæteris esse vitâ, verum etiam sævissimo quodam pediculorum genere, non admodum dracunculis dissimili morbo, interire.

XII.

Internæ causæ sunt, 1. Vitiosa corporis statim ab ipso ortu constitutio. 2. Vitiosi humores & corrupti ad partes alendas derivati. 3. Probi quidem, sed qui ex partium tertiæ coctioni destinatarum imbecillitate & vitio labem contraxerunt. 4. Corrupta & labefactata ipsarum musculosarum partium substantia. 5. Excrementa tertiæ coctionis, benigniora tamen, quæ aut ob imbecillitatem expultricis à corpore segregari, aut ob cutis meatus plus justo constrictiores difflari nequeunt. Ita enim ineffabili quodam modo excrementa detenta in corpus animatum abeunt.

XIII.

Signa sunt, malo tamen jam confirmato, immensa cibi absque omni satietate cupiditas, manifesta corporis extenuatio, vermiculorum capita, factâ cutis secundum artem inunctione, ut in curatione dicetur, extra cutem prominentia. Si infantes malum hoc infestat, in iis interdum se prodit cum ploratu continuo, ob vermiculorum, ut videtur, morsum, rosionem-

nemq; interdum summa quiete frui videntur, ob extremam virium imbecillitatem, & cùm in propinquo mors est.

XIV.

Prognosticum. Hoc quidquid est animalculi, nisi consentaneis remediis extirpetur, vel noxiam suppurationem inducit, vel infantes prorsus tabefacit & interimit. Quod si congenitus infanti hic sit morbus, ultra septimum mensem vitam non producit, nisi diligenter victus ratione & necessariis ad hoc malum vel mitigandum, vel prorsus extirpandum, ei prospiciatur.

XV.

Quod ad curationem attinet, victus ratio in hoc morbo ad pediculorum & lumbricorum naturam dirigenda esse videtur.

XVI.

Medicamenta, pro diversitate causarum, ut in aliis morbis omnibus sunt varianda. Sanguinis itaque si vitio laborat, phlebotomia, nisi quid obstet, usurpanda est, & corpus ab humore peccante vacuandum. Quibus verò remediis id fieri debeat, vel tyronibus notissimum est.

XVII.

Vitiosa corporis ab ipso ortu constitutio licet difficulter mutari queat, apta tamen victus ratione sæpè si non in optimum, saltem in mediocrem corporis habitum mutatur.

XVIII.

Humorum, qui ad partes alendas derivantur, vitium, cùm existere possit vel à partium, à quibus præparantur & procreantur humores, vitio, vel à victus ratione: Ideò diligenter videndum est, ut partium vitium convenientibus, h.e. causæ contrariis remediis corrigatur, & victus ratio mutetur.

XIX.

Quod si boni humores adfluant, & ii partium tertiæ coctioni destinatarum vitio corrumpantur: corrigatur & illud remediis causam mali expugnantibus.

XX.

Si corrupta & labefactata sit musculosarum partium substantia, ea optimi succi alimentis reparanda erit.

XXI.

Si ex cutis constrictione malum hoc existit, vel augetur, meatus cutis referandi sunt, vel frictione levi, vel sudoris provocatione.

XXII.

His omnibus ritè peractis, quid postea faciendum sit, docet Ægineta loco citato: & primum quidem ex aliorum sententia jubet, ubi jam πυῶται ὁ τόπος, καὶ τοῦ δέρματος ἀναστομωμένου ἔξω προέρχεται τοῦ δρακοντίου ἀρχὴ, laminam plumbi filo appendere dracontio, ut ita sensim gravi plumbi pondere non universim extrahatur, ne cruciatus exciter.

XXIII.

XXIII.

Sed hanc dracontiorum extrahendorum rationem à quibusdam ut vanam & ineptam repudiari ait, διὰ τὸ μηδὲν ἧττον τῷ βάρει τοῦ μολυβδίου τὸ δρακόντιον ἀπορρήγνυσθαι καὶ ὀδύνας ἰσχυρὰς ἐμποιεῖν.

XXIV.

Jubet itaque ex aliorum rectius sentientium opinione particulam adfectam aquæ calidæ immittere, ut ita dracontium ejus tepore eliciatur, & foras prodeat. Sic enim digitis comprehensum quam facillimè extrahi posse scribit.

XXV.

Post fotum calidum, Soranus & Leonides, præceperunt, partibus adfectis applicare medicamenta πεπτικά, cujusmodi est Cataplasma ex melicrato & farina hordeacea sive triticea item emplastrum ex bacc. lauri, & illud quod ex melle conficitur, de quibus Æginera VII. Ita enim futurum putant, ut hujusmodi remediorum applicatione animalcula prodeant, & penitus excidant.

XXVI.

Quod si hac ratione educi nequeant, cutis erit dividenda, & eximendum quidquid ei superest, quibus peractis cutis adhibita tamen prius πυοποιῷ ἐπιμελείᾳ, vulneris more conglutinanda.

XXVII.

Albucasis II. de us. caut. &c. c. de vermibus sub cute generatis, jubet: Dracunculum, si grandis sit, sub cute deprehensum, vinculo forti constringere, & facta cutis incisione ipsum extrahere. Addit etiam si profundum in partibus musculosis locum obtineat, cauterio actuali partem, cui subest, esse adurendam, tamdiu donec moriatur.

XXVIII.

Savonarola c. de vermibus præcipit stercus animalis non admodum fœtens cum oleo & melle permixtum dorso illinere. Ita enim fore scribit, ut dracunculi prodeant, quibus progressis, abscindenda sint capitula. Hoc tamen, quod scribit, neque ipse vidit, neque aliis, qui hoc viderunt, fidem habet.

XXIX.

Barbitonsores nostrates, quos mulierculæ, ut dixi, ad hujus mali curationem vocare solēt, infantem hoc adfectu laborātem mox in balneum deferri curant, dorsum, & si quæ aliæ partes vidētur adfectæ, farina triticea melle subacta inungunt. Dracunculi ubi per meatus cutis, aëris calore reseratos, dulcedinem sentiunt, mox gregatim, exertis tenellorum corpusculorum superioribus partibus per eosdem meatus prodeunt, quibus omnibus cultello acutissimo capita detruncantur.


SOLI DEO GLORIA.

SYNOPSIS
EXERCITATIONIS I.
DE VENA MEDINENSI.
ET II.
DE VERMICULIS CAPILLARIBUS INFANTIUM.

HOMERUS

Iliad. ή.

Σειρὴ χρυσείη, μεθοδος.



SYNOPSIS
Exercitationis de Vena Medinensi.

CAP. I.



Quatuor fontes, è quibus nomina morborum, Galeno noti. Addendi his alii ex Ebnsina, & inprimis quintus à loco natali. Vena Medinensis *unde dicta* نسب *Arab. Idem quod* φλέψ *Hippocr.* عرق المديني *Quodvis vasorum genus in corpore Arab.* عرق *Cur tamen nervus reddi non debuerit?* Medena, Medom, Medomi, Meden, Endimini, Madæn, Mediana & Vena Medicinæ, *nomina inepta, & barbara, rejecta.* Medina, & Almedina, *oppidum Arabiæ, olim* Jathriba, & Athriba. *Ejusdem alia epitheta & elogia.* Mecca, أم رحم Mesa & Sephar. *Muhammedus Mecca Medinam fugiens.* Medena à Media, *Amato Lus. indoctè* ماديون Medi. Sark, *Geographis recentioribus pro Addiabene.* شرق *nonprædatoria, sed orientalis.* Vena civilis, *Rasæi interpretibus, non benè.* Medina *aliquot Hispaniæ urbibus commune nomen, non tamen significans metropolin.* Mecca, أم القرى *metropolis.* Medenæ paracelsi, *tumores venerei.* Vena exiens *Alzaravii,* عرق المنضض *undoso quasi motu proserpens: Harac almendatu, corruptè. Egrediens Fr. Pedemontano.* Vena saniosa, *non famosa, Ebn Aabbaso.*

Vena cruris, *Abulcasimo, nimis laxè.* Halalnachalaidini *Ebnzobari*, هل النحض المديني *Serpens pulposus aut musculosus Medinensis, tela aranea in modum convolutus. Ejusd. versio ex Hebr. tantum, non Arabica. Postelli Mss. Arab. olim in Palatina nunc in Vaticana Bibliotheca* Draco Ladon, *custos non pomorum, sed ovium aurearum.* Vena vitis, *saliceto confusè, cum sit varix.* Pustula vermicularis *Jo. Colle.* δρακόντιον, δρακόντια, δρακοντίασις, Dracunculus, *à Dracone.* Draco à δερκεῖν, *non à* δρᾶν ἄχθος, *contra Jul. Scaligerum: nec à* δρᾶν ἄκος, *ut Ger. Jo. Vossio visum: Fabula de Hippocratis filia in Draconem conversa.* δρακέες, *oculi. (Dioscoridis Antipharmaca Mss. in Bibl. Medicéa potius Eutrenii Sophistæ videri)* Draco Sidereus, *Germanici Cæsaris: non benè* Python *dictus Anonymo Astron. Ms.* Dracunculus piscis *Plinii, & Rondeletii.* Draco minor *Salviani.* δρακαίνης *Ephippi.* Draco Marinus, *muræna.* Hippocampus, *quibusdam Dracunculus, Ital.* Dragonetto. *Balæna,* תנין בים : Serpentes Marini : רימא *Unicornes marini: Dracones abyssi:* Dracones pro Crocodilis, *& populis Ægyptiis ac Æthiopibus. Leviathan.* شقراق Dracunculus *Dominico Germano* avis: *picus viridis, Golio: Chlorio Plempii: Falco sacer peregrinus, Gesnero:* שלך *Raphelengio:* صقر *quavis prædatrix, accipiter, cum aquaticis confusus.* Catarrhactes *in vers. Gr. & Æthiopica.* Ophiomachus, *non avis, sed locusta saltans verius, quam volans.* Araneus draconites. Ophioglossum *Dalhemio* Dracunculus minor, *sine exemplo.* Luf *planum & Crispum,* arum serpentarium *Ebnsinæ:* δρακόντιον *Diosc.* δρακόντειον *Theophrasti & Strabonis.* חרון : *Gr. & Æthiop.* ὁρμίσκος: *monile: & picus arborarius.* λοῦφα *Syrorum. Ebnsinæ versio emendata* خلاف *oppositum. Luf Ebn-Masviæ, dracunculus uterq.* Luffa Arabum *Veslingio, cucumeris*

ris genus: rectius Lifa ليف *Cucurbita Meccensis filamentosa: Cucurbita serica Eq. de Andrada:* قرع الحرير *Byssus arboreus Sinensis.* [الليف المكي *Cassutha comparata ab Ebnsina.* Filum Meccanum *Plempio.*] *Arbores Indicæ Eriophoræ. Lina Arabum ex cucurbitis arboreis. Sericum Xantungense arboreum. Sericum virginianum herbis adnatum.* πολύπτη: *linum arboreum.* Tala, *arbor Indica.* τύλος *Insula*, οἴτυλος *Homeri. Centaurium minus, pro dracontio ap. Ebnsinam vitiose; legendum* داري رومي *i.e. aroma Romanum aut Græcum.* δρακοντία *Marcello Virgilio.* δρακοντία *Oribasio.* Dracontea, *Appulejo.* Collum draconis *EbnMasviæ.* Anguina, dracontia, serpentaria, colubrina, *& unde hæc nomina.* ; ברדלם Cenchime, λέων. *Appulejo non esse Chamæleontem, contra Com. Nevenarinum. Sed ari genus, &* ἀρωνίαν *Phaniæ Eresii.* ἀρωνία *Diosc. Mespili genus.* ῥίζα λευκὴ *Hippocr.* δρακόντιον *Galeni, rectius forsan arum.* Ophin *herbam, ejusq; sem. ap. Hippocr. non videri dracunculum.* ὀφιοστάφυλος *Diosc. & Oribasii.* ὀπὸς, *in Geoponicis vitiosè, legendum* ὄφις. Bistorta *olim pro dracunculo perperam accepta.* Colocasia *cum eodem confusa.* ἑμίνιον *Coptitarum sive Ægyptiorum.* Derufitum *Alpago dracontium, inter venena, malè: scribendum* Dorycnium. ἄρον τὸ μέγα *Auctori de morb. dracontiorum.* Dracunculus major Matthioli *fabulosus.* Dracunculus palustris. Dracunculus esculentus *sive acetariorum.* Draco, طرخون ταρχὸν *Sim. Sethi. Embammata ex illo, & Italorum falsè* Oxypora *Apicii*, ἀβυρτάκη χλόης. ; דרכון *herba Talmudica.* ; דרקון *morbus*, βατράχιον. *Dracunculi radix esculenta. Arum in Ægypto & Cyrene vescum.* Dracunculus Alpinus Bauhini. Dracunculus silvestris, *quibusdam* Ptarmica. Tarcon, *Saturejain Synon. Mss. Ebnserafionis, perperam.* Tarchon Babylonicum, *& Græcum Elkarashii.*

rashii. Tarchon montanum, *pyrethrum Plempii.* Chrysocome *Diosc.* Ostriago *Pseud Appuleji.* Dracoditus *Guarinonii, ineptè.* Flos Tigridis: Flos Lyncis *Jo. Terrentii:* Oloxochite *Mexicanorum.* Draco arbor Indica. Palma draconalis *Fragosi.* Sanguis Draconis *herbaceus ab arboreo diversus: Sideritis & Achillea Aëtii: Erythrolapathum,* Amethystus Plutarchi. *Succus ex baccis Amaranti Americani: & ex blito Indico fragifero. Sanguis draconis facticius è bolo. Cinnabari Indicũ vegetabile.* Dracones arbores *in Insulis fortunatis. Fructus dracunculum referens Monardis fabulosus. Xylophytum Liburnicum Kircheri.* Lignum colubrinum *dracunculus Acostæ. Narcissus Indicus serpentarius.* Dracontion, *vitis genus.* Draco, *palmes emeritus.* Dracontias ficus, *Euthydemi.* Dracontias, *cucumis anguinus, Athenæo.* δρακόντιον, *triticum Plinio & Theoprasto.* Dracunculus Augustanus, *Phædronis Chemiatri.* Hieracium Draconites. Polygonatum serpentarium, *radice draconaria.* [Draconitis Silesiorum, *acorus palustris: Eupatorum Ebnsinæ, perperam.* Draguntеum *Coleri, Seseli & Siler montanum.*] Numularia serpentina. *Echion, viperina.* Polypodium, Draco, *Dentes canini Zeniolattharo.* Scorzonera, Colubrina, *inprimis nervosa serpentina Bauhini. Scorzonera Anglica J. Cornutii. Amagriensis Danorum. Dracunculus serpentina Plinii,* Carum *Domitio Calderino.* [Serpentina Alberti Magni, *pentaphyllum. Coronopus,* Serpentina minima Lobelii. Dracontion Marsilii Ficini, *astroites.*] Dracontias, lapis *Opisianus ex Alphæste pisce, & Jynge ave. Posidippus historicus, non Comicus ap. Tzetzem, ejusd. locus ex Ms. emendatus.* Draco lapis, *cornu Ammonis.* Ophyaglossus, *Glosso-petra. Lapis vitrarius leberidoides Ferr. Imperati.* Rupes draco *ap. Sinenses.* Draconites Alberti Magni *Ceauniæ aut Basaltæ genus rarius.* Draconitæ chrystallini *Lud. Gnetii.* Deacrites & Ossianus, *vitiosè ap. Camill-Leonardum. Lapis serpentem conspiratum referens Laur. Bauschii. (Serpentes saxei Somersetenses.) Lapides verminosi. Saxum serpentis latentis effigiem repræsentans.* [Ostracites *Plinii,* Ophicardelos *barbarorum.* שמיר *vermiculus*

lus lithotomus Regis Salomonis. ماتيناي وبشاب *Armeniorum i.e. Dracunculus Medinensis, aut* ماحيي اوزن *Serpens Meccensis.* اوسّ *Circulus. Georgius, Divus Dracontoctonus.* اكّن *Ickon, Guineensium linguâ Meinensi.*] *Germanorum:* Haarwurm. *Varenii,* Sennadern Spulwurm. *Batavorum:* Woorme. *Ital.* Dragoncelli: *apostemata gutturis: bubones: tumores colli duri. Hispanor.* Culebrilla: *erysipelas cutaneum: Lusitanorum,* Ammonte. Branconcellus, *Jac. Berengarii, Synanche.* Galioni. *Patavinorum.* Strongojoni, *Bononiensium.* πτέρνη, *pars colli exterior ap. Jul. Pollucem.* Anguis *apud Appulejum hypobolimaeum vitiosè:* ἄγχη.

CAP. II.

A*Dfectus Venæ Medinensi sive dracunculo adfines, cum eodem confusi.* Phthiriasis *Antiochi Epiphanis, & Herodis Antipæ.* καζασκωληκίασις *Pheretimæ Cyrenensium Reginæ; Galerii Maximiani Cæs. conjugis Dominici Silvii Venetorum Ducis. Phthiriasi mortuus Sulla Dictator, Alcman Poëta, Pherecydes Syrius.* Platonis pediculi. ἀποθηρίωσις *Acridophagorum: Locustæ Sinensibus, & Fessanis in deliciis.* Salsugo Locustarum *in Palæstina.* Serpentes alati *in Æthiopia. Strabonis interpretes Castigati. Ulcera verminosa.* Ægritudo bovina *Alzaravii & barbarorum.* حلمة *vermis ovinus subcutaneus. Fabula vulgi de spiritu vitali seu* musculo vitæ, Celsa & periodo Paracelsi; *Germ.* Ferge. Hippus *palpebrarum:* Supercilium Saliens, *inter omina vett.* Morbus Varenus Vieri, *sive* Vari *Vestphalici & Batavici.* Ventositas perambulans *Bertapaleæ,* flatus furiosis, Nakir *Abulcasimi, unde sic dictus? Arthritis vaga scelotyrbicorum.* Varices. Bdella *Hippocr.* Nævus Attiæ draconem referens. *Serpentes in humeris Sabaci Regis. Fabula Stendeliensis de serpente matronæ nobilis*

bilis collo innexo. Syhy, tuberculum spiciferum *Æthiopum*. Trichiases *miræ*. Rhopalosis. Setæ *Narbonensium: Filamenta facici. Tumor genu verminosus. Serpentes corpus incingentes, Congensium*. Tunga *Brasiliensium*, Serpens pedaneus. *Theveti futilitas notata*. Vermes paronychi *Marcelli Cumani & Paracelsi*. *Animalcula scorpii marini effigie in digito enata*. Pustulæ variolaceæ pilares & verminosæ. Vermes capillares *Joëlis* circa ungues. : ציצין *Germ. radices unguium*. Sphacelismus *Jac. Tybingeri, quæstoris Burgaviensis, villis venarum ex ulcere egressis*. Tubercula verminantia, *in milite, à contactu nefando cadaveris*. Mortuus disertus *Jac. Bidermanni*. [Sudor verminosus *Com. Baumeri Bilfeldiensis. Vermis S. Cylindrus sanguineus Th. Reinesii*.] Morbus pilaris infantium. *Adfectus gutturis Hernicis frequens ap. Regium Volaterranum, ejusq; curatio ridicula. Lunæ Cathæresi similis*. Serpentes igniti *populo Israëlitico à DEO immissi:* Presteres, dipsades. Acontias: θηρίον ἀλλιακόν. Jaculi volucres. *Sagittæ volantes. (Paraphrases, Chaldæa, Samaritana, Syr. Ar. Persic. c. Hebr. collatæ.) Santis Pagnini lectio correcta. Ariæ Montani versio taxata. Vulgatæ lectio in membranis Mss. plenior* : צמאון *sitis, latissimè, non dipsas, contra Vossium. Dipsades Libycæ*, παλέοι ὄφεις. *Acontiæ, Jaculi volucres. Serpentes* δερμόπτεροι. *SS. Patrum consensus de veris serpentibus, non morbo aliquo. Procopii Gazensis Ms. Gr. perelegans ineditum. Versio Germanica Augustana.* CIↃ CCCCXLIX. *ex Latina vulgata non benè expressa*. Serpens æneus *Moysis in malo tentoriali, non vexillo erectus, ab Rege Ezechia dirutus*. : כתת *Hebræis minutim conterere, aut molere. Mediolanensis suppositicius. Serpens Ottonis vice Comitis ore infantem comprehendens*. Aspides averrunci *Ægyptiorũ* οὐραῖοι *Horapollinis, non* οὐραῖοι. *(Circumductio Israëlitarum per deserta serpentis tortuosi idéam referens*. Ophiani, *hæretici, serpenticolæ. Sinenses Draconum æstimatores maximi.) Serpentes in hominum corporibus geniti etiam Agatharchides dracontiorum descriptionem à Moyse acceperit?*

CAP. III.

CAP. III.

Signa diagnostica *Venæ Medinensis communia. Initium à pustula.* (Inflatio *lati significatûs ap. incultiores.* Pustulæ flatulentæ *Plateri.) Tumor inflammatorius spurius.* Vesica & vesicatio *ap. barbaros.* Terminthi *Græcorum*, *Vesica Ebnsinæ*, φλύκταινα *Græcorum. Vesiculæ anthracuam.* ἵδρωα. ἰχῶρες ἀπορρέοντες. *Anthraces à carbunculis perperam distincti.* الطو اعيـن φύγεθλα λοιμώδεα *quæcunq. Carbunculi Italiæ epidemii. Signa propria, & pathognomonica. Corpus quoddam exiens. Ejusd. crassities: figura teres, color ut plurimum rubeus, interdum albus. Vermes varii coloris in febribus malignis. Humor sive* succus nutricius. *Exhalationes subcutaneæ.* βλέννα *Hippocr.* ὑγρότης ἔμβρυος. Succus medullaris nervorum *per arterias transiens. Colorum causa ex sale. Longitudo venæ Medinensis insignis: mira tortuositas, unde dracunculi nomen. Serpens & Draco promiscui usus. Flexus & volumina eorum à Poëtis eleganter descripta.* ἑλίσσεις τῆς σπείρας. ῥυμβόνες. *Funus in destillatione spir.* ♁j. *colubri speciem referens.* Æsculapius Colosseros *in Mausoleo Augusti.* δρακοντίδες, *venæ illicò è corde nascentes. Intestina minora convoluta:* הדרא כותא: Dracones, *tubuli caldariorum,* Tubuli vaporariorum *ap. ICtos.* δρακοντόμιμοι *tubuli thermarum Volckenstenienſium.* Vasa serpentina *Chemicorum.* Thermomestron *Etruscorum.* Dracones *signa militaria Romanorum: corpora solida Lipsio ex Suida: sed & flexilibus caudis: à Dacis primùm accepta:* δρακοντειοφόροι, δρακονάριοι. *Signa Scythica, Arriani Tactici.* Draconarii *effigies è columna Trajani; alia in marmore Rhætico Vindelicorum ap. Velserum.* Draconum pallia, *Tertulliano.* δρακόντειον φλάμμουλον. Crypta draconaria. Mons Draconis. Tutuli ὄφεις. δράκοντες περὶ χερσὶ. ὄφεις περισκελίδες. Serpentes in calceis *Israëlitarum ut Lunulæ Romanorum.* Fibulæ anguiformes. Dracones in vestimentis *Sinensium. Navigium serpentarium Cæsareum Sinense. Numisma Solis seu Apollinis effigie. Numus æreus Pescennii Nigri cum Æsculapio ap. Sambucum. Rara Æscu-*

lapii pictura ex statua marmorea Oct. Tronsarelli. Alia ejusd. in ædibus Maximorum Romæ. Hercules aut Commodus serpentes elidens. Laocoontis Filius suppositicius. Genuina Laocoontis statua, in hortis Vaticanis. Draconis signum tachus graphicum. Literæ serpentiformes in libro draconum Fohii Sinensis. Sardonege in quo Æsculapius Hygeiam manuducens. Seta aquatica scolopendra marina. ἑνελήματα, involumina. *Numisma Adriani, & Septimii Getæ. Sem. cirrosum Leontopodii Cretici. Alcyonium Milesium vermiculare. Ovum serpentis imagine inscriptum.* Ophioxylum, *Ophiophytum.* Fucus Vermicularis *Imperati.* Spongia trichoides *Recte marinum filamentosum.* Byssus pinnularum *Indicarum & Melitensium.* Lignum serpentiforme. *Fructus* Pindovæ *filamentosus.* Caapeba *repens* Cipo de Cobras Cobre de Cipo, *Lus.* H. Funalis ἄφυλλος *Brasiliensis. Serpentum Icones præcipuæ. Nummus Neronis: Severæ, Philippi Imper. conjugis: Martiæ Octacillæ: Manliæ Scantillæ Didii Juliani. Serapidis icon ex Macrobio: & Typhonis.* Jagarmath *Brachmanum.* (Ovum anguinum. Caduceus Mercurii *sive Solis.* ὄφεις καταγλωττίζοντες. Nodus Herculis. Caput & cauda Draconis *in Astronomia.* Caducei *Athlothetarum. Dracunculi in marmore Æsculapii, & torque, votivis. Jupiter verveceus, & taurus, & Draco.*) Draco, *laqueus Heraclæ ap. Oribasium. Manubrium machinarum, Heliodori.* Capreoli *vitium: involuculi pampinorum:* faciles vitium lapsus. στέφανοι κυλιστοί Volutæ *Vitruvii.* Anisocycla *ejusd.* Columnæ *tortiles sive* Serpentinæ Alberti Dureri. ;כרך *Hebr.* Volumen. *Volumen Græcum antiquum. Idoli caput Augustæ, non Medusæ videri, sed numen κυκλοφεοπτερόμορφον.* Dracones, Crateres. δρακοντόμιμα τορεύματα. *Manus ænea Tornacis votiva: Cecropii Fr. Barberini Card. Emblemata ex serpentibus Paradini, Jac. à Bruk, & Ottonis Vænii. Sminthius Apollo in Hippodromo Byzantino.* Dracunculus Corunni *Bulgari. Columna fictilis CP. apotelesmatica. Cereris serpentes nec pedati, nec alati. Serpens Attilii Reguli.* Lamiæ, Empusæ, Lilith. Nympha Lanicola *Marpurgensium.* Meteorum hydrulcum *Draconis formâ. Dracunculus*

lus in Carduelis coxa à Spigelio repertus. Signa συνεδρεύοντα *explicita: Sennertus defensus contra Hofmannum.* علامات موثقة *Ebnsina,* ἀχώριστα, *Vulgati interpretis hæsitantia reprehensa.* ربما *Interdum, non fortasse. Aristotelis particulæ dubitandi modestiores ab Arabica illa vocula diversæ, contra J. C. Scaligerum.* Motus vermicularis *in Vena Medinensi: malè manifestus Alpago.* Motus reptilium *triplex Aristoteli, quadruplex Aquapendentio. Quintus, in vermiculo mororum Idæorum, additus. Corvini opus de insectis plantarum propriis promissum. Eorundem instrumenta.* Musculis quid analogum in lumbricis, sphincteres *Fabriciani:* fibræ *Severini. Articuli in muscis ab Hodierna observati. Structura lumbricorum anatome detecta. Experimentum B. Augustini in verme multipede.* Motus vermiculationis peristalticus *in intestinis.* Motus contractionis & extensionis *in Vena Medinensi.* Motus vermicularis *Galeni,* undosus *Aristotelis.*

CAP. IV.

D*racunculi seu* Venæ Medinensis *Natura valdè dubia.* Non esse venam *propriè dictam.* Non tumorem aut abscessum; *ubi Paræi argumenta omnia prolixè refutata. Lumbrici lati generatio. Membrana viperina egestæ. Angelutii immodestia in Rudii refutatione de putredine.* σὺνολα *omnia Cic. adjuvantia causarum. Hiemis verna constitutio apud Homerum.* Non ulcus *cavum & sinuosum extumore in vesicam desinente, contra Jo. Colle.* Neque nervum coruptum, *contra Soranum & Lonicerum.* Sed esse lumbricum *seu vermem sui generis: adsensu ipsius Ebnsinæ. Aldrovandi sententia. Ejusd. libri postumi, ex* Pandectis epistemonicis. *Soranus Methodicus.* Methodici *Episynthetici & eclecticii. Vermiformia* Zoophyta. λύτα. σπογγόφυτα. ἐντομόφυτα. ἰχθυόφυτα. κερατόφυτα. ζωόφυτα. λιθόφυτα. μεταλλόφυτα. *Formæ plantanimales. Sensus plantanimalis. Sensuum discrimina in viventibus. Plantæ sentientes. Animalium gradus.* Zoophyto-

rum *mixturæ*. *Vermes in omnibus corporis partibus generari, etiam in pericardio, corde, sanguine, hepate, felle.* : ראדח *verminatio cerebri.* Sicera veprium *Babylonica*. Tæniæ *longissimæ. Caput earundem Tulpio & Febrio depictum.* Lumbrici lati *lacteum humorem fundentes. Magnam similitudinem cum tunicis intestinorum habentes, non tamen ex iisdem geniti.* Dracunculi *cum iisdem comparati. Nervorum corruptorum curatio ap. Ebnsinam.* Singularis *aquarum & olerum* proprietas *ap. eundem de* peculiari feminio *exposita.* Pediculi *singulares ex esu* Caricarum Definitio *Venæ Medinensis.*

CAP. V.

Subjectum *Venæ Medinensis.* Vermis equorum *ulcerosus: subcutaneus: genitalium:* ἐκζυμαμδρ©. *talpinus foraminosus.* Dracunculus equorum *ap. veterinarios.* Φαζάλη *Absyrti. Adfectus eorundem serpentinus, in Ungula: Nervorum denudatio in mesocyniis.* Serpentes *in renibus* luporum. *Lumbrici dracunculi in renibus canum. Dracunculus longissimus serpentiformis in Cane Cæsalpini. Alii prælongi & crassi à Kerkringio visi. Vermes in hepate & pulmonibus pecudum. Dracones in extis haruspicum.* Serpens petrefactus *in ventriculo cervi Hanovici.* Ophion *Sardiniæ animal vanâ Plinii suspicione deperditum. Dracunculus Carduelis. Filamenta Ital.* filandre, *Dracunculi falconum. (Filandres Gallorum idem quod* فلل *Arabum.) Vermes allantoides: accipitrū.* Anguillæ falconariæ *Alberti Magni. Vermes psittacorum Brasiliensium. Dracunculi longissimi in alaudis observati. Vermiculi omnium avium & piscium, volutationum & pulverationum causæ.* Ligulæ *astacorum fluviatilium sive* fila *hiberna potius quam æstiva Gammarorum & Leucisci piscis ac Capitonum fluv. Vermes μετεωρίζοντες in Ballero & Tillone piscibus. Vermes sive* Dracunculi ostreorum. *Pili longiusculi.* Lenticulæ pilosæ. *(Polypodium radice flexuosa & nodosa, quasi dracunculus morbosus quercus annosæ, vermiculi spinosarum stirpium. Serpentuli in*

li in geniculis H. Kali. Verruca sorbi reticulata Ovidii Montal-
banii.) Partes adfectæ in homine. Dracunculi in gutture. *Stru-*
mæ verminosæ. Dracunculus filamentosus in scrophulis. Draco a-
latus in urina. Dracunculus in renibus. Vermis serpentiformis
à mul. excretus. Serpens cum semine ejectus ap. Plutarchum. Ver-
mes urinarii exigui & longiores. Pili urinarii *longissimi. Capilli*
in serpentes animati. Vermis maculosus, prælongus, ἀμφισβαί-
νων, *à sene Hagano emictus.* Tubuli sanguinei vermiformes *fe-*
bris solutione critica emicti. Serpentes Quitenses ex vermibus de-
pluentibus. Fila spermatica. *Capilli concavi & variarum figura-*
rum microscopio observati. Draco mulieris Noviomagensis & an-
cillæ Castrensis, in peste vomitu rejectus. Serpens pueri Argenti-
nensis à Sebizio descriptus. Dracunculus in rene cancroso Ernesti
Archiducis Proregis Belgii. Bombyx serpentiformis *è mammilla*
cum lacte exsuctus. Serpens flagellosus Anglicus *in corde genitus.*
Dracunculus in corde alatus, *pueri Confluentini.* Plexus Cirsoi-
des *vasorum in testiculis. Scirrhosum involumen in veretro mer-*
catoris Patavini. ὀσχίον *Hippocr. adfectus mulierum ad varices*
referendus: μόσχος, ἀμφίδεων, λέγνα. ἀνευρυσμὸς μήτρας *apud*
Diosc. aliter, quam vulgatis interpretibus, expositus. Serpentes
in utero geniti. Harpyiæ Serpentariæ. *Dracunculus cur præci-*
puè in cruribus nascatur? Causa interna, *crurum imbecillitas:*
exemplo morbi Elephantici *Orienti peculiaris. Benivenii & Do-*
donæi circa hunc error. داء الفيل *Ebnsinæ.* πολυσαρκία *cum*
eodem confusa: & Oedemata, ac tumores ulcerosi mendicanti-
um. Elephantiasis *partim particularis.* κλημαλίδες *Ægyptii.*
باطاوا *Armeniorum fasciæ crurum ad instar ocrearum ad e-*
quitationes. παραγαυδας *Ægyptiorum ap. Hippocr. Fasciæ Copti-*
cæ. Tumor monstrosus tibiarum in regione S. Thomæ. Penequais,
familiæ Indorum exsecratæ. Causa externa, *aëris æstus.* Pustulæ
Balneorum: *Cur pueris dracunculi frequentiores? Galenus de*
loco adfecto eorundem illustratus & defensus.

 CAP. VI.

CAP. VI.

SYmptomata *eruptionem venæ Medinensis antecedentia: comitantia: & casu consequentia. Exesio brachiorum: Dolor: Fervor: Rubor: Pruritus. Inflammatorius tumor non legitimus. Ichorum venenositas interdum observata. Febris ephemera: interdum & plurium dierum. Horror febrilis. Imbecillitus, lipothymia, anxietas, delirium. Tumor serosus transparens, in quo vermis conspicuus.* Doloris *varia genera. Gerardi Bututi Pr. Mss. editâ copiosior. Dolor* σφυγματώδης, μετὰ δήξεως, καὶ ὁλκιμος, *verius quam* πονώδης *in Dracunculo seu vena Medinensi. Vulgata versio taxata. Cur violenta protractio dolorem pariat, etsi non rumpatur? Caro musculorum, non genuinum & primarium tactus organum. Dracunculum parti alicui adnasci.* Χόνδροι σύνδεσμοι *non sentientes. Ligamenta membranosa, periostea, & tendines valdè exquisiti sensûs.* خطب *Arab. idem quod Ionicè* πλόος, res, χρῆμα. πολλὰ πρήγματα παρέχειν, *apud Hippocratem.* πόνος, labor, *diverso significatu.* ἐν μεγάλῳ ἄγεσθαι, in magno negotio habere. عظم الخطب Res magni negotii. *Epilepsia superveniens. Vena Medinensis quandoque* ramosa *observata. Ejusd.* παραφυάδες *pluribus è foraminibus prodeuntes. Debilitas corporis.* διεσθίειν *Agatarchidæ.* الآكلة Phagedæna, *rectius quam Esthiomenus.*

CAP. VII.

CAusæ *Galeno ignotæ, ut Dracontia ipsa. Conjectura ex iis, quæ de pilis urinariis. Humores crassi.* Singularis proprietas *in aquis & oleribus apud Ebnsinam.* Malignitas *materiæ. Causa* προηγουμένη *semper interna.* προκαταρκτικὴ *à Stoicis in Medicinam adsumpta.* Pituita Coriacea *Camilli Baldi. Victus vett. Ægyptiorum ex SS. literis, Aretæo, Herodoto, Galeno: recentiorum ex*

Alpino

Alpino. οἶνος ἐκ κριθέων. οἶνος ἀμπέλινος, Vinum Vineale Th.
Gazæ. (Sicera Medica à Cervisia nostra diversa, eadem c. Zytho
Ægyptiaco. Zythus Ægyptiacus Hebr. ex hordeo, Carthamo &
Θe : אבוברועה Potus Babylonicus & Ægyptiacus ex Virga pa-
storis. ζῦθον κακόχυμον Galen. Hordei liquor in similitudinem
vini corruptus ap. C. Tacitum.) (Alexandrinum φακινοὶ.) Ægy-
ptii papyrophagi, & artophagi. Cyllesthiæ. (κυλλάστις. πανκαρπιά
Alexandrorum) Fabæ communes iisdem reprobatæ, non item Co-
locasiæ. Ebnsinæ, ψυχοδοχεῖον. Piscium Niloticorum nomina &
qualitates. Bonum Ægypti Bona, faba, ridiculè. (βερζίλικα, Ταρι-
χα Oxiana. Tzetzis versio emendata & illustrata.) Antacei Ara-
bici, Borysthenis, Danubiani. Collichthyes. Barbota, Tanais.
Camania, Podolia. قلب Pisum Indicum. Milium Saloranum
Ebn-Juliuli. Salura, emporium Indiæ. σαλὺρ Ptolemai. Sinus
Gangeticus, Bengalensis, non Agaricus. duo Nili, &, IV. Nili.
Nili aqua turbida: Item Tigris, Euphratis, fluv. Persiæ, Indi,
Nigri, Gangis, aliorumq; majorum fluminum. Victus Arabum, Per-
sarum, Indorum, Æthiopum, & plerorumque Orientalium ferè
idem. Camelorum esus, Arabes silvestres melancholicis humo-
ribus replens. Ebnsinæ textus de carne Camelina ex Mss. emenda-
tus. Equinæ dapes in cœna Regia Chatemtaji Camelos hodieq; in
Oriente mactari & comedi, contra Hofmannum & alios osten-
sum. Struthiones item Africanos & passeres Arabicos, & Cro-
codilos. Carnes Camelinæ & piscium siccatæ, (in victu Nubien-
sium & Nigritarum. Interpres Ebn Aabbasi de usu Camelinæ con-
tra epilepsiam, emendatus. ابن عرس Mustela.) Milii fre-
quens usus, tritici loco. Cameli Clibanitæ, integri assati. Cameli
Justiniano Imperatori non benè inter feras & res non mancipi.
Καμηλασία munus civile personale, feras non arguit. Cameli Ba-
ctriani ex hybrida aprorum generatione fabulosa. (Iidem non mi-
nus, quam Arabici, δίτυλοι, sed aliis locis.) Elephantes, canes,
bubali, lacertæ siccatæ, in victu Æthiopum. Asini item & Onagri.

Bahra-

Bahramus Rex ab Onagro captus. Plantæ & fructus in victu Orientalium ex Rasæo & Ebnsina. Frumenta & legumina eorundem, ac Guineensium. [كينكيلاي *Georgianorum ex panico,* شاميي *Armeniorum, quorum & alia recensentur. vinum eorum merum & secundarium aquosum,* Bragga, *potus Tatarorum ex milio.*] Ghuino *Iberorum.* Chuinis *Tatarorum, ex lacte equino.* Serum Smaragdinum *inebrians.* Lac mulsum *Plinii &* Melicratum *Eustathii Thessalonicensis.*] ζῦθος, δέρκομα. *Æthiopes dengetani crudis carnibus vescentes. Sicera Habassinorum: Vinum Æthiopicum ex Dora. (Ebnserafionis versio Abrahami Dertosani de milio & panico emendata.)* Candin *Guineensium panis ex Sorgo Æthiopico: Akay potus ex milio parvo sive Mays.* Crocus silvestris *in Zytho Ægyptiaco: &* fistula pastoris *seu Alisma* Carduus fullonum: *Cuicus:* جلبان *pisorum genus Potus Silesiorum ex Sphondylio Germanico.* Galedragon *Xenocratis.* Lupus Salictarius, *inter convolvulos, latissimi significatûs ap. Arabas* : ראה : רועה : רוע Fistula pastoris : אשלא *vox generalis. Talmudici rei herbariæ imperiti.* Atractylis & Cincus *in Zytho Ægyptiaco.* Decoctum paliuri *ap. Troglodytas.* βρῦτον ἐκ ῥιζῶν *apud Thraces.* Phocadium. Phocaa *Ebnsinæ,* φῦκας, φωκὰς, φωκὸς : *non* posca, *sed* Zythum *etiam Ægyptiacum.* Balnearis potio *simplex, & herbis medicata.* Celia *Hispanorum* : זלא *Africanorum & Æthiopum.* Buza *Tatarica.* Cursia *Turcarum.* Corsan, *prædo, & pirata:* παράβίαι *miliaceæ Paeonum, additâ Conyzâ. Aquæ Ibericæ insalubres.* Phasis, *fluvius stagnantissimus. Gir, Claudiani: Gis, Sidon. Apollinaris, Takaze Tegyrosy Æthiopum. Nilus. Hydrophylacium Africæ in montibus Lunæ. Dalechampii versio ap. Athen. correcta.* Mesy, *Æthiopum,* Zady, *Amharensium, Hydromeli:* Myzyri, χεννία, *Zythum,* ἐκ κριθῶν μέθυ. *Olai M. halucinatio. Panis ex palmulis:* Yhhely

Yhhely tamaraty: *Massa palmularum*, παλάθη. (Grossuli *Tusjanæ*. Panis miliaceus *Guineensium*. *Vinum palmeum*. *Victus Armeniorum*.) *Farina Juncorum*. *Æthiopes victu superstitiosi*. *Seminium dracunculi in aquis fluviorum turbidorum*. *Nili origo, & decursus ex Æthiopia*. *Niger, pars Nili*. Abavvi: *pater fluminum, Nilus*. *Alexandria specubus suffossa*: Colatoria Nili *ibidem*. *Depurationes aquæ turbidæ, varii generis*. *Aquæ Moureæ insalubriores quam Acaræ in litore Aurifero Guineæ*. *Morbi endemii ex victu, non à Climate, nec influxu stellarum*. Atomi seminales. *Atomi, inventum Moschi Sidonii*. ἐλάχιστα *Sphæri Bosphorani ab atomis & simulacris diversa*. *Atomorum nomina Latina apud Lucretium*. *Atomorum connexiones & congressus variis nominibus designati*. *Atomi simplices & compositæ*. Minima naturalia, *impropriè dictæ atomi*. *Henrici Mori & Cartesii controversiæ de iisdem conciliatæ*. πάντα ψυχῆς πλήρη *Arist*. ζωογόνος πηγὴ ψυχῶν, *Juliani Theurgi*. Manes *servii*, animæ defluentes. Miasmata *corpusculis per aërem rotatis*, *Acronis Agrigentini*. Animalcula *Scrofæ*. Formæ vicissitudinariæ. *Formæ in seminiis etiam minimis integræ latentes*. Seminia *etiam ad* metallica *extensa*. *Vermes microscopio in sanguine observati*, balænæ sanguinicolæ. λόγῳ θεωρητοὶ πόροι καὶ ὄγκοι. Acarus *Arist*. *histrici similis*. Sirones, *testudinum effigie*. *Corpuscula in Sero & Chylo*: valvulæ & pili in poris. Aëris animalcula. μετασύγκρισις καὶ μεταποροποίησις *Asclepiadis*. Materia informis *per motum localē omnia producens*, *Cartesiana, explosa*. Oxus *fluv*. *Chorasanæ*: سيحون *Verius Oxus fl*. Jaxartes *fl*. ὀρξάντης *ap*. *Arrianū, vitiosè*. Tanais *Al*. *M*. *diversus à Tanai Scythico Herodoti*. *Araxates Ammiani Marcell*. Giihon *Elempii*, جيحون *Jihun*, *Ganges*. Takaze Gyyoni *Æthiopum*, *Nilus*. Pison, *R*. *Saadiæ Nilus*, Sichor *Ariæ Montano*, *contra AbnEzram*. Siris *Æthiopum*. *Aquæ urbis* Laar *in Persia, dracunculos generantes*: *diligentius percolatæ minus insalubres*. Sogdus *fluv*. *in urbe Bochara*: *Aqua Samarcandæ*, & Maverennaharæ.

naharæ. *Aquæ ductus plumbei Sogdianæ.* Turana & Irana Taberiſtana *Comiſenen & Georgianam complectens. Rivus luteus* Dinavendæ, *urina Bujoraſphi dictus.* Elbotom *pars montana Ferganæ.* Dehaſchus *fl. Balchæ. Aqua* Chovarezimæ *laudatæ:* Casbini *S. Arſaciæ vett. minus laudabiles.* Merva ad fluvium: *Merva Shahjana.* Hydrophylacium Aſiæ, *ex conjectura Kircheri. Zericus & Majanus fluv. Turana & Irana, Tranſoxiana & Ciſoxiana provincia. Fluvii Mavarennaharæ: Shashus: Caſarinus & Ashurus, qui aquæ Chasdanæ: Ilacus: Saganianus, ubi Croci cultura: Vachshabus: Badachshanus, qui etiam Harretus. Aquæductus Samarcandæ, opus Tobaai Regis Arabiæ felicis, refectus à Muhammedo Ebn Locmano.* Crocodilea *Libavii, obſcura. Aqua principiis & rudimentis ſeminalibus referta, Boglæi experimento. Victus calidus & ſiccus ad temperamentum relatus, non ad materiam. Orientales plerique intemperati, ſententiâ Galeni, Raſæi, & Gordonii. Indi paullò minus, quam Æthiopes, nigri ap. Arrianum.*

CAP. IIX.

PRognoſtica *Venæ Medinenſis. (Nullum præſagium ab Ebnſina adlatū, errorem eſſe Jo. Colle. Salus, & timor Ebnjezlæ: Spes, metus.) Non eſſe adfectum ex ſe letiferum: nec valdè periculoſum, niſi abrumpatur. Dracones & ſerpentes quidam innoxii: Vett. in deliciis. Draco ſine veneno. (Placida venena draconum ap. Claudianum.)* Anguis Æſculapii. *Draco cicur Ptolemæi. Draco Heraclidæ. Draco Pellæus Macedonicus Alex. Abonetichitæ.* Carbonarii *Patavini.* Serpens Ulmerfeldienſis *innoxius Epiſcopi Friſingenſis.* Serpentes Pyrenæi & Mauritani *innoxii:* Dinienſes: Balneum ſerpentum *in Etruria: Serpentes innoxii Sinenſes & Americani: Lemnii familiares & tectis adſueti. Arabici edentuli. Philæ interpres de iisdem emendatus. Ebnſinæ locus de Baſiliſco per lanceæ contactum interficiente explanatus.* أرض *tremor febrilis ejusd. halitu inductus. Vipera Melitenſes.* Ebuſi terra

terra *serpentes fugans.* Colubraria *Insula pariens. Quibus frequentius aut rarius Dracunculi obtingant?* Vini potus *à Muhammedo prohibitus. Ventriculi imbecillitas Ægyptiis familiaris. Turcæ clam potantes. Saraceni ante Muhammedum aquam tantum bibentes. Vini potus à Selimo concessus, ab Amurathe iterum mox abrogatus.* Tabaci suctus *ab Amurathe IV. vetitus, à vulgò in Satyra traductus. Abuzeidus contra doctrinam suam vinum potans. Vinum in Corano, de quovis potu inebriante.* Cahve *nequidquam inebrians. Persæ vinum bibentes. Guadagnoli objectio de contradictione vini, ergà Principem Persarum, inefficax argumentum. Uva* τρώξιμοι. *Balnea humida Ægyptiorum.* ἐπαυληοφάνεια *Ebnsinæ expedita.*

CAP. IX.

Locus natalis *Dracunculorum.* Medina, *oppidum Arabiæ. Provincia Alhagaz* ap. *Alzaravium. Arabiæ quinque partes: Et sexta, potius ad Persiam spectans.* Icharia Strab. *& Ptolem. diversa ab* Icaria Sporade. *Mecca ap. Rasæum.* Chavorstana. India Ebusa *Petri Kirstenii imperitè conficta.* Cortestan *Nicol:* Taurus *mons.* Churdistan *Pauli Veneti.* Chorazani *Vartomanni.* Curti, Curdi, Carduchi, καρδαῖοι. Kirvabus, *Cyrus fl.* Araxes *verus, Aras. Araxes Curtii* بند ميسر *Chorasana, Chusistana, & Churistana sæpius confusa nomina.* Corasan, Corassan, Corazan, Coraseni, Corasceni, *nomina corrupta* خراسان Chorasana, Tusæi, *R. Zacutho. Bactriana.* Bactra *Persarum regia. Mons* Kardon. Curdistana. Cusistana, Chuzestana. *Assyria*, Susiana, χωρασαν *Constantin. Imp. Porphyrogennato. Alia Provincia in Persia.* Ormutium, *emporium. Ægyptus, Æthiopia. Libya, tertia Ægypti pars ap. Ammianum Marcellinum.* Ægyptus utraque, *in edictis Justiniani. Regnum Guineæ in Africa. Mina. Castellum S. Georgii, in litore aurifero.* Gangines *Æthiopes, Nigri. Armenia. Armenii à gigante Aig oriundi: Agareni. Plinii locus suspe-*

ſuſpectus ex Theophraſto corrigendus. Metatides, *vox ignota. Conjectura de eadem* ἡ μετὰ Μήδους: *(Iberi, Georgiani,* حارطواليبي *Colchi* ، بيت حورنق او وارزيق *Armeniis* وديشوري κυταῖς, Colchis. Amarantis paludes. Lycus & Phaſis *ex montibus Armeniæ in mare Caucaſeum ſe exonerantes ap. Apollon. Rhodium.)* σαυρομαλίδες: οἱ μετὰ μαιωτίδα: μεταγωνίτης: μδρυθιαδίδες: μεγαρίδες: μασσαγελίδες. *Tzetzæ.* Menuthes, *Inſula S. Laurentii,* Madagaſcar. *An dracunculorum morbus fuerit aliquando epidemius? non videri abſurdum, exemplo Stomacaces, febris peticularis, & plicæ Polonicæ.*

CAP. X.

PRæſervatio *venæ Medinenſis duplex: Evitatione locorum & ciborum, ac oppugnatione cauſæ, quæ Chyrurgica, pharmaceutica, & diætetica. Olera, fructus & piſces: Dactyli,* ، دليك *Dactylatum Arabum* ، خر جنكال *Perſarum. Baſilicæ V. S. ejusq; utilitas.* ἡπατῖτις *Ruffo & Hippocrati. Saphenæ V. S. & uſus: facilior quam popliteæ.* Secundatio & pars domeſtica Alcabi *in verſione vulgata reprobata.* Purgatio. Serapium *vox Græcorum Arabicæ proxima:* Syrupus & Sirupus *barbara. Oſtenſum id exemplo Saporis Regis, & viciſſitudine B. & P. literarum. Inſcriptio ab Auguſti ævo, in qua apſenti, alia Ælii Vetuſtini. Xarave Hiſpanorum. Ineptiæ Medicorum circa etymologiam Syrupi & Serapii. Arabum* ، شراب *&* ، شربه *Serapia non omninò eſſe præpotiſmata Græcorum.* Serapium Myrobalanorum *ſimplex videri apud Ebnſinam: Compoſitum Nic. Myrepſi, Raſæi, Valeſci Tarent: Platearii, Donzellini, Freitagii. Oxymeli ſcilliticum EbnZoharis.* Μυροβάλανος *Galeni, ſeu* βάλανος μυρεψική *Minus propria appellatio* Halilegi. *Cur tamen myrobalani vox retenta?* Delegi *Garciæ & Alpagi, vitiosè. Myrobalanorum quinque ſpecies.*

species. Græcis plura quam tria genera cognita fuisse, contra Gesnerum. Septem species ex Ebn Serafione apud Fallopium. Sinensem ejusdem non esse Amlejum, sed Bontii novam & sextam. Pruna Americana Insulæ Darienes. Vires myrobalanorum omnium ex Ebnsina. (Fuchsius Arabicas voces in Græcas perperam commutans.) Schiramleif, *Ebn Serafionis:* شير املج Epithymum quid? *Cassutha. Nomina ejusd. varia à plantis quibus adnascitur.* Aureus *Interpretis, non drachma nostrâs, sed Græcorum, seu* Denarius Romanus. Darchimi, Dorach. *Ut reliqua pondera & mensuræ Arabum nondum satis explicita. Unctio myrobalanorum c. ol. amygdalino.* Transbibere, transvorare, transgulare, καταπίνειν, *Arabum* شرب Cocciæ, κόκκοι, κοκκία. Cochiæ *non benè, quia Italico Idiotismo. Pil. Galeni. Pil. Cephalicæ.* καταπότια δι' ἀλοῆς. καταπότια τῆς σκαμμωνίας καὶ τῆς κολοκυνθίδος ἔχοντα. *Catapotia ex aloë, scamm. & Colocynth.* Cocciæ Rasæi. *Alia eorundem descriptio.* Pil. Hexaëmeræ *Al. Massariæ.* Pil. Galenicæ *Ebn Aabbasi.* Pil. Quinti Smyrnæi *ap. Gal.* Cocciæ Galeni. Pil. Diacolocynthidos *eædem cum pil. auctoris Euporistorum,* Aloëdaria Philagrii *ap. Aëtium.* Pil. Aloëdariæ *Myrepsi, perperam* Alectoriæ. *Noni pil. in Mf. correctæ ex Gal.* Pil. Aneponymi *in Mf. Moschionis Cod. emendata.* Pil. Zapatæ *Galenicis proximæ.* Pil. Cocciæ helleboratæ. Extr. Catholicum Paracelsi: *Secretum Eustachii Rudii: Hiera exacuta Massariæ.* Cocciæ Cephalicæ Gruelingii. *Pil. de agarico non benè illis prælatæ ab Heroldo & Molkio in Mf. Livelàtici.* Extr. Catholicum arcanum Rulandi, *addito ♁ & turbeto minerali.* Spir. Catharticus ejusd. *sive Chylisma illius liquidum.* Extr. pil. Catholicarum Hennelucii *Cruciacensis & Conr. Vidmanni. Pil. Cocciæ minores Galeni helleboratæ, eædem cum Pil. Hucheri, & Turqueti, & Zenobii Romani. Facultates earundem.* τρυφερὰ *medicamenta vett. quæ dictâ.* Trypheræ *confectiones variæ.* Emplastrum pancratiastarum trypherum. Tryphera caustica *Scribonii Largi.* Collyrium trypherum. Tryphera

phera Persica *purgans*, اطر يفل *ex Græco*. Triphyla *Actuarii &* Triophyllon *Myrepsi ex Arabico non intellecto*, *Succus solani è tryphera Persica à Gesnero & Occone immeritò ejectus*. Solanum *hortense innocuum & esculentum*. *Serapium è baccis solani silvatici sive letiferi Gesneri esse, non Gasseri, contra Dœringium*. *Ejusd.potũ ap. Vierum in varorum curatione non benè opio prælatum. Solanum Maniacum non esse in illum recipiendum: nec in antidotos, Locus diosc. hac de re ab errore interpretis vindicatus. Melichii & Marini additamenta. Tryphera Persica per antiphrasin sic dicta*. Tryphera solutiva Landæi, *Renodæi, & Londinensium. Non esse omnino spernendam: nec declinationi tantum convenire, contra Joubertum*. Electuarium Alexandrinum Trajani Petronii, & è ♀o Petri Castelli *admixtis alexicacis*.

CAP. XI.

CUratio *Venæ Medinensis duplex: Pharmaciâ & Chirurgiâ. Alpagi versio notata*. الأضمدة *esse* cataplasmata,*non emplastra*. προφύλαξις *minus propriè dicta*. Prævisio: sollicitudo: administratio: prævisoria curatio: Custodia. *Medicamenta externa. Succi frigidi pro cataplasmate enumerati. Sandalum unde dictum?* Chandama *Indorum. Sandalorum genera*. Sandalum Macassarense: Muscatellinum: *In Insula* Timor *copiosum. Ebn Masvia Meridinæus. Ebn Masvia Damsacenus, Chalifa*. Matsoje Filius, *& similia nomina corrupta, rejecta. Sandala Galeno ignota. Ejusd. scripta supposititia. Versionibus Arabicis Græcorum quantum fidendum?* Sambaraue, *lignum Malavaricum. Sandala ferè omnia, immerito suspecta, ap. Clusium*. Abelicea,*pseudosandalus Cretica. Sandala frigida, non calida. Vires medicamentorum, quomodo cognoscendæ?* Caphura, *non* Canfur, *contra anonymum Clusii*. Amfiam, *non benè, pro* Afium. Camphora, *non benè, contra Jul. Scaligerum*, Literæ servæ, *quibus in linguis usitatæ. Litera Nun, quomodo serviat? contra eundem. Caphura, non bituminis genus: sed lacruma arboris*. Lignum Caphuræ. *Insula*

sula Cala *Caphura fertilissima*: Caphura Palmaria *Meermanni*, *i.e. Caphura Jul. Palmarii & Zacuti commenticia. Caphura Indica EbnRoschdi*: *rectius* Kafron *sive bitumen Indicum marinum*: *Paraphrasis Hebr. EbnRoschdi, & Canticorũ Ebnsina*. ך *Hebr. Arab. per* ك *expressum*. Botrus Cypri *in sacris*, *non Caphura*, *sed Planta odorata*. *Collectanea Ebn-Roschdi*, *sive Compendium*. كلتة ، كلية ، كلة ، *Aqua Caphura*. ριζοζομωσα *Ægyptiorum*. Caphura viva & liquida *Quacelbeni & Matthioli*. Aqua Caphuræ *arte facta H. Rubei*. *Caphura facultates*. *Zacutus Lus. notatus*. Caphura adulterina. Myrrha, *ut conveniat vena Medinensi?* Psyllii *vires*, *ex Ebnsina*. *Plempii versio excusata*. *Lac recens mulctum*, *Interpreti dulce*, *quî prosit*. *Medicamentum internum*, *Aloë*, *& modus eam exhibendi*. *Dialoës Themisonis apud Galenum*. Aloê *extractis Lignorum & radicum correcta*. Decoctum Sarsæparillæ. *Usus Aloëticorum in potione ingratus*. *Infusum hieræ Augustanorum*. *Vomitorium aloëticum*. *Decoctum aloës anticachecticum injucundum*. *Unctio succi viscosi aloës*. Unctio aloëtica *Alzaravii*. Elikfir, Elixir. *Elikfir proprietatis Paracelsi*, *extr. liquidum pil. communium*. Eccrisis *Ruffi*. *Inepta* Elikfiris *etymologia*. *Medicamentum aloëticum Palladii*, *ad vina peccatura*. *Remedia* salivantia *equorum apud Hippiatros ex aloë*. Potio Diapente *Vegetii*. *Alia Scribonii Largi ad renum*, *jecinoris & lienis tumores & dolores*. *Cumanum in illa pro Cinnamo restitutum*. *Potio Alzabravii ad elephantiam pedum*. *Diaphoreticum Paracelsi in peracutis*. *Potio & Antidotus Cosmiana apud Marcellum Empiricum*. *Alterci vires contra vermes experta*. Collyræ aloëticæ *Pseudo Hildegardis*. Elikfir Proprietatis cum circulato *Paracelsi*: cum spiritu ♀is *aliisq; acidis*: *qui ferè omnes Naturæ* ♀*ea*: cum spir. Terebinth. *& ol. Caryoph. ac N. M.* cum menstruo Universali *Theophili Montani*; *aliisq;*: cum succis *Danielis Sennerti*: cum vin. Malvatico & Rhabarb. *Dresdensium*: *& aliud* cum spir. ⊕ Illris. *Rolfincii*: *cum* spir. Alcahestico *ex* ⏀. *PP. Juranoviensium*. *Tinctura proprietatis Minsichti* cum ♒. anisi & Confect.

Confect.alkermes: *nostra extemporalis* c.▽. Cinnamomi *melior quam Helmontii, sine ullo liquore*. *Eliksir propr.* cum menstruo Chemico singulari D.Maets. *Acetum principale circulatum Crugneri. Liquor Alcahesticus I. Ioach. Becheri. Ejusd.* tres terræ principiales *frustra excogitatæ. Eliksir propr.* album *Helmontii:* correctum *Mich. Schonii Coburgici :* anthypochondriacum : Catharticum *cum spir.* ⊕-♂. *Viperinum Spuntoni. Pil. balsamicæ viperinæ Card. Barberini. Ursinæ Cynthii. Eliksir proprietatis Geophyllicum.* ⊖. theriacale. Eliksir pestil. *Brahai: & Langelotii.* Menstrui Chemici *superba nomina. Eliksir* cum spir. Cephalico *& acido* ☿ *ij.* Secretum Pseudo-Hermetis *parum differens à Spir.* ⊕-*i Philosophico.* Pil. Ruffi, *Ebnsinæ, &* Fel. Plateri. *Pil.* pestil. Ronzetti Card. *& Augustini Niphi. Aliæ* Caroli V. Imp. Pil. Immanuelis. Pil. juventutis *Vurahoroskii.* Pil. Marpurgenses *Eurycii Cordi.* Pil. scordiatæ *Gasp. Marcuccii, Guetmanni, & Giessensium Medd.* Pil. Pestil. Vladislai *Ungar. Regis.* Pil. Genuates *Nic. Furnarii.* Dialoës Rulandi. *Flores* ♀*is compositi.* Trochisci aloëtici *Asclepiadis apud Galen. sive potius Aristarchi Tarsensis.* Panacea Ægyptiorum *vett. ex EbnRodohamo.* Hiera Lamponis *Pelusiotæ & Andromachi.* Pil. Alephanginæ, & sine cura *Cyr. Vueberi. Aloës humor viscidus recens orificio venæ Medinensis illinendus. Acriora vitanda.* ὀφίωμα *Conchlacis. Gal. locus de iisd. à Lambecio emendatus.*

CAP. XII.

CHirurgia triplex *: extractione, suppuratione, sectione.* Extractio *ut instituenda.* Instrumentum tractorium, *plumbeum, ejusq; forma & pondus.* μολύβδιον κυλινδροειδές. Hemicylindria *annulata, &* forcipis lintearii *in modum efficta.* Collabus tractorius. Vertibulum trochleare. βέμβηξ. ῥάμβος. βεμβικισμός. Turbines tractorii. Trochus *à turbine diversi. Ejusdem forma in veteri monumento Augustano, contra Josephum Scaligerum excusata.* βεμβικίζοντες. Tabella *plumbea.* λαμνεῖα μολύβδινα *Moschionis.* Cylindrus *ligneus. Adligatio cujusvis rei ponderosæ.*

rosæ. Ligneolum opilionis Austriaci *extrahendæ pinguedini seu potius omento ovium. Ligneola diffissa Nigrorum Guineensium: Persarū: Indorum Or.* عقل hernia pinguis عقيل *ejusdem curatio per sectionem & adipis eductionem. Extractio cum* penna & stramine *apud Linscotanum. Extractio* cum lino *sive* conariis *&* sphenisscis linteis. σηλίδες ἢ δοκίδες, trabeculæ *Jamblichi Chalcidensis:* asseres *Juvenali.* Cauteres linei Cairini. *Ebn-Roschdi versio emendata. Extractio nova, per* replicationem in nodum, *sine instrumentis, Guenocii observatione. Dracunculus* periosteo adnatus *visus, ut intestinis lumbricus latus. Victus pravus & morbosus obsessorum.* βρώζεις ἀναγκαῖαι. Sphecisci. *Nova stella in siliquastro Cassiopeiæ. Obsidio Rupellæ & Montalbani calamitosa. Historia vermium sive Dracunculorum Guineensium Nobiliss. Heinzelii in seipso: Hulsii observationibus valdè congrua. Aquæ marinæ vires. Relatio altera Michaëlis Hemershamii, perquam egregia, & Samuelis Blommertii ex Mss. Vossiano. Item alia D. de Bourges. Panis Guineensium miliaceus.* Vinum eorundem palmeū *ex coccis, diversum à vino palmæ dactyliferæ ap. Plin.* Palmulæ Chydææ *Diosc.* خبري *Arabum.* Oleum palmarum *Guineense, acopum.* Ol. fruct. Hibou *Americanum. Extractionem quæ facilem reddant? Vulgata versio taxata. Membri adfecti extenuatio explosa. Medicamenta rarefacientia.* Fomenta ulceraria: ὀνηρὴ ἰητρείη *Hippocratis.* Calidæ *vires. Fomenta in ulcerum & flatus spinei curatione. Hippocratis interpretes ex ipsomet correcti.* θερμὸν, ἄψυχον *Pauli Silentiarii Scholiastæ.* θέρμασμα. *Calidæ fotus in vulnerato Euripylo apud Homerum. Machaönis curatio vulneraria apud eund. imperitiam artis arguens.* Thermæ Insulæ Ænariæ: *nitrosæ sententia Cæl. Aureliani. Aquariana Regiensium sive Mutinenses odore Caphuræ.* Petrelæum Moncibiense *Fr. Ariosti Peregrini. Thermæ Volkenstenienses.* Curatio regia, & levis intentionis *apud Ebnjezlam.* Mucilagines *refrigerantes & anodynæ.* Mucores, Mucagines. Crassitudines


Plinii. Albugo seu spuma aëris, *purgamentum stellarum, flos & folium cæli*, Cœli donum. *Olea emollientia Ebnsinæ. Ol. Sesaminum* ﺯﻳﺖ ﻃﻴﺐ *etiam in cibis. Linimenta anodyna & emollientia. Olea resolventia. Ol. Cheirinum sive Violæ luteæ.* Cheiri, *Levcojum.* Sambacus *Arabum*, *Jasminum*, *aliis potius Syringa. Jasminum Catalonicum*, *& Indicum luteum. Ol. Jasmini simpl. ad Medicinam: aliud operosius ad odoramenta Unguentariorum. Ol. Balaninum.* Ben & Been, *voce depravatæ.* Bân, *omnis liquor odoratus:* εὐωδία *quavis Poëtarum Arabum tropo* Επιύθημα *Jamblichi Chalcidensis. Arbor glandem unguentariam ferens.* Bon ﺑﻦ *ab Alpino cum Bân* ﺑﺎﻥ *confusum. Decoctum sem. Bon, quod calidum toto ferè Oriente bibitur.* Buncon seu Bunc ﺑﻨﻚ *Ebnsinæ ab his omnibus diversissimum:* Nascaphthum *Diosc.* Cahve, ﻗﻬﻮﻩ *etiam de semine seu baccis ipsis, vulgari consuetudine.* Caova *Alpini*, Caphe *Bucretii & verulamii, perperam. Decoctum* Cha Sinensium *cum illo confusum.* ﭼﺎ *frutex innominatus Sinensis:* Chamæleagnus Tatarica *Sim. Paulini:* Rhus obsonarius Sinensis *Alex. Rhodii;* Cynorrhodus Sinensis *Neuhosii.* Coffa & Coffi, *voces nihili. Cahves potus nequidquam insalubris contra incertam Armenii relationem: neq; refrigerans, contra Clusium.* Chaube *Rauvolfii, itidem vitiosè: ut* Chaona *Paludani, &* Choana *Bauhini. Jusculum fabaceum c. lacte coctum, Neuhosio.* Samphur *Sinensium: Lactis aut seri usus ad vinum Oryzeum, primùm à Tataris in Sinas invectus. Ustilago fructuum Bon, inutilis, etsi Orientalibus consueta.* Caouin *Tououpinambaultiorum:* Caavus *Jo. Stadii ex frumento Indico.* Kava *Guil. Schuttenii.* Caoi & Acavi *Tapuyarum.* Thermopolia *Arabum & Ægyptiorum*, *Anton. Persius de potu calidæ defensus contra Fusconem. Potus* H. Chiæ *Japoniorum.* Radices Behmen, ﺑﻬﻤﻦ *Ebnsinæ: corruptè* Been *succeda-*

cedanea earundem. Bân, *βάλανος μυρεψική Diosc. non* nux Vomitoria, *contra Kirstenium.* جوز القيء *Ol. Balaninum ejusque vires.* Emplastrum de pice *Ebnsinæ.* πισσηρὴ θερμὴ *Hippocr.* πισσηρὴ, πιτταφάρμακος *Glossar. Gr. Mſ. Tetrapharm. efficacius Sebizii.* Emplastra Theodori & Aëtii *è pice liquida.* Emplastrum de pice ♀atum *Rondeletii & Diachylon ♀atum ejusd. Empl. ex Cineribus cannarum Ebnsezlæ.* ψωρικὸν ἐπίχρισμα *anonymi Græci ex Mſ. Bibl. Augustanæ.* Emplastrum de Gratia Dei *dictum ad Crinones & dracunculos.* Emplastrum ad morbum vermicularem *Placidi Trullii.* Apertio tumoris *sive foraminis & ulceris dilatatio.*


CAP. XIII.

SEcunda *Chirurgiæ species:* Suppuratio. Putrefactio *pro illa ap. Ebnsinam.* σῆψις *Empedoclêa, latissimi significatûs. ut ἔριδος καὶ φιλίας principia, ejusdem.* Ol. Nucis Indicæ, *butyro præferendum.* دهن النرجل Ol. Coccorum Guineensium. καταπλάσματα πεπτικὰ *Sorani & Leonidæ ap. Aëtium & Paulum Æginetam. Suppuratio ut peragenda?* Emplastrum ex melle *Oribasii & Myrepsi, è Galeno.* Mellis *solius usus apud Plin. Valerianum. Mundificationem butyri usu non præcedere, sed sequi debere. Cicuratio dracunculi nulla, aut nimis obscura.* Emplastrum e baccis lauri *EbnMasviæ.* Μάλαγμα διὰ δαφνίδων *Galeni, & C. Celsi.* Epomphalium Catharticum è baccis lauri, *Ebnsinæ.* Acopum Liviæ *Augustæ & Antoniæ ap. Scribon. Largum. Pauli Æginetæ locus de dracontiorum curatione ex Mſ. Bibl. Augustanæ emendatus.* μοτῶσαι, *pro* διατρυπῶσαι. Linamentorum & turundarum usus. *Abscissio carnis venæ Medinensis ap. barbaros pro apertione.* Apertio *Ebnsinæ,* البط عنه *singulari loquendi formula.* بط *diffissio aut pertusio ulceris. Deusingii versio Can-*

ticorum Ebnsina laudata. Eorundem paraphrases Hebraicæ. Autographum Arabicum rarius. Cautela de medicamentis septicis. *Vulgata versio notata.* الاكلة phagedæna, *non* esthiomenus *aut herpes. Phagedæna quid? Esthiomenus Fallopio malè pro gangræna.* Depulsio Venæ *Medinensis* cum specillo, *& cum digitis.* Frictio cum sale *instituenda.* Emplastra ἁλικὰ, salsa: *Andromachi ap. Gal. & δι' ἁλῶν, album & nigrum Scribonii Largi.* Malagmata papulantia *ex Halosanthi & sale, Aëtii.* Cataplasm. Indorum ex sale Ormutiano *cum fol. tamarindi.* Lotiones *ex aqua marina salsa. Marinæ vaporationes Cal. Aureliani.* Salis genera, *usus, & vires. Tertia Chirurgiæ species:* incisio *sive* sectio: *quæ duplex, dracunculo integro & abrupto. Integri quomodo tentanda? conjectura de dracunculi adnascentia in parte aliqua & periosteo, firmata.* Abrupti captatio *per sectionem, ut instituenda?* Radii *usus ap. Pedemontanum ex Abulcasimo. Sectio in Marestâna ap. Rasæum peracta.* Unguentum Cerussæ, & Citrinum, *epuloticum, Conchæ, &* Conchylia Compostellana *sive pectines.* Abruptio *non semper periculosa.* Cauteriorum *usus, ex Bertapalea.* Gamaut *barbaris, ex Persica voce* قمادين Syringotomus: σκολοπομαχαίριον: Spatumen curvum: cultellus aculeatus *Cornarii:* Lanceola, *vulgò* Lancetta. *Scalpellum Gallicum.* Ustiones *veterinariorum.* Marescalci *Ital. Hippiatri.* Vermes boum *cum dracunculis confusi.* Morbus farciminosus *Vegetii Mulomedici.* Cauteria recta & cuprina, *ejusdem.* Fonticulorum usus *ad tumorem abrupti inprimis commodus. Epilogus.*



SYNO-



SYNOPSIS

Exercitationis de Vermiculis capillaribus infantium.

§. I.

V*Ermiculi Capillares infantium. Germ.* Mitesser: Mitfraß: Dürremaden: Darmmaden: *Gall.* Tarmes: Darremaden: Zehrende Würme. Mitessereni *Vieri, in Verſ. Lat. inepte.* Comedones. *Comeſtores vermiculi, Petro Monavio. Vermiculi conſumptores. Adfectus cum extrema macie:* Der alte Vatter *dictus.* Crinones *Varenii duplices,* der Haarwurm: *& Pſora infantilis cum atrophia:* Die Bernegrundt. *Cridones Paræi, corruptè quaſi Crinones. Gal.* les Crins. *Vermes capillares in pedibus ulceroſis.* אבזק *Hebr. Crinones Perſici, Euſebii Nierenbergii. Pili infantes infeſtantes. Vermiculi intercutanei. Morbus pilaris.* τριχίασις ἤ τριχίας: Malum pilare. Trichiaſis *ciliorum adfectus: Fractura cranii tenuiſſima, capillaris: mictus pilorum: mammarum adfectus pilaris: trichiaſis rara aurium & linguæ.* σκώληκες τριχοειδεῖς. ὑποδερμίδες. *Vermes capillares ſubcutanei, Franc. Joëli.* Vermes dorſi. *Gall.* Maſclous *apud Borellum, à* ſetis Narbonenſium *& dracunculis diverſi.* Maſclou, *Lugdunenſibus Coli dolor. Helimus verus Dalechampii,* Herbe de Maſclou. Dracontia *puerorum Leonelli Victorii.* Dracunculi, *Magiri & Cunelii. Alterum genus Dracontiorum Pauli Æginetæ, ſententiâ Hofmanni: Dracunculus* minor *ſubcutaneus, ut* major *in venis.* Vermes dorſi, *Sennerto. Intercutanei puerorum lumbrici, & vermes aridi, J. C. Claudino.*

Vermes ſub cute, *Cl. Deodato. Morbus antiquis incognitus aut indictus.*

§. II.

D*Ifferentia ab aliis adfectibus. Non eſſe venam Medinenſem ſive dracontion Græcorum. Nec ægritudinem bovinam.* Vari Veſtphalici & Batavici *cum vermiculis iſtis confuſi.* Crinones Varenii, *Vari. Vermis umbilicalis:* Der Seitzwurm. *Vermis malus tabificus Luſitanorum:* O mao.

§. III.

N*Atura adfectus. Vermiculi capillares infantium Fel. Platero ignoti.* Pili ſpiſſiores, *Paræo, & Hafenreffero, rectius, quam abſceſſus. Atrophia pſorodes Varenii. Eſſe veros vermiculos, motu, & recurſu, & ſenſu demonſtratum. Deſcriptio ſeu definitio eorundem.*

§. IV.

C*Auſa efficiens primaria, forma propria in ſeminio ſuo latens: organica, calor & putredo.* Seminia ſponte naſcentium. *Variolæ & vermes ex ſanguine menſtruo materno & meconio.* μηκώνιον *Ariſtot.* κόπρος ἡ πρώτη *auctori de morbis.* عقي *Arabum in homine,* رجع *in brutis.* Coloſtrum *Petri à Caſtro minus propriè:* Papaverculum *Theod. Gazæ non benè. Sordes infantium alvo editæ, Plin.* Syrupus infantium, *Dalechampio, ridiculè.* Ferrado, *Hiſpanorum. Sæpius vermiculis ſcatens, anatome abortuum obſervatum. Variolæ ex miaſmate vermiculante. Pathologia animata.* Coluſtra *Laberii & Lucilii.* لبا *Arabum. Reliquiæ ſanguinis menſtrualis in hora imprægnationis, Ebnſinæ.*

§. V.

§. V.

M*ateria ex qua generantur.* Seminia propria. *ἀρχὴ μικρὰ τῶν σκωληκίων Aristot. Cupressi semina valdè parva.* Atomi spermaticæ. *Animæ formæq́; omnes, non nisi commodè instructæ operari adsuetæ. Humores vitiosi. Transspiratio probibita.* Minima tertii ordinis, *cum alimentis adsumta.* Fila lanea animata. *explosa apud Bonamicum.* Filum sericum *in supercilio* vegetans. *Spina in pectore crescens.*

§. VI.

C*Ausæ à Cunelio adlatæ prolixius examinatæ. Conceptio fluentibus menstruis, per incuriam & vecordiam Arabibus dicta, non admissa. Sordes corporis & linteorum. Radii lunares in linteis frustra metuendi.* Lunæ *vis humectandi. Manichæorum opinio de Luna sordibus repleta apud B. Augustin. Ejusd. saliva venenata despumans, absona. Lunæ vis circa περιγειότητα ap. Ptolemæum.* Atmosphæra *terræ & Lunæ. Nativa constitutio ab utero, rejecta. Humores vitiosi ex se, & alimentariorum corruptione. Ichorum malignitas in crinonibus Varenii, confusè proposita.*

§. VII.

S*Ubjectum hujus adfectus: Pueri quà ætatem: quà partes crura, brachia, dorsum, interscapilium. Partes subcutaneæ musculosæ.* Pori cutis *& corporis adfecti.*

§. VIII.

F*Orma externa: pilorum crassiorum, subcinericiorum & nigricantis.* Radices pilorum. *Vermiculi caseis innati.* Capitula *Stupano nunquam observata: à Dudithio papaveracea visa:* puncta *nigricantia.*

§. IX.

S*Igna Diagnostica. Atrophia citra Anoreixiam: Interdum cum voracitate. Pruritus, inquietudo vigiliæ, Tumor & suppura-*

tio

tio apud Joëlem, potius Dracunculis conveniens. Alvi constipatio & vermium excretio ap. Corbejum, dubia.

§. X.

PRognostica. *Adfectum curabilem esse: vigiliis tamen aliquando exitiosum. Chronicum item & morbum magnum.* Suppuratio *Cunelii valdè incerta & inutilis.* Tabes, *interdum exitialis.* Epilepsia *superveniens.*

§. XI.

INdicationes præcipuæ: *à vigiliis urgentibus: à tota substantia in numero, tollenda: à macie superstite.*

§. XII.

CUratio Chirurgica. *Cutis* rasura *in balneo non satis commoda, & sæpè frustranea. Exemptio cum* volsellis *H. Montui.* Suffumigia *narcotica.* Frictiones asperæ. *Mellis unctio: & Farina triticea cum* ☿*o & melle. Stercus ovillum cum melle. Pecudes Ital.* pecore, *pro ovibus. Casei ovilli inunctio.* Fotus *ex melicrato. Decoctum bryoniæ in lixivio querno, pro balneo. Unctio Hartmanni ex vite alba.* Lixivium *in quo stercus gallinaceum maceratum.* Absterſio *cum crusta panis.* Balneum *ex lixivio cum micis panis. Lixivium Colurnum Claudini cum decocto bryoniæ in lacte caprillo.* Cataplasma *Petri à Castro ex fimo anserino & scobe æris cum sem. Cardui.* Experimentum *mulierum Lusitan. ex fuligine laminaria cum melle & lacte.* Cataplasma *ex rad. Cicutæ, Diethmarsis contra varos usitatum.* Decoctum *& pulv. ranarum & lacertarum Jo. Agricolæ.* Decoctum *bacc. lauri & lil. alb. experimento Phil. Ed. Fuggeri Com.* Decoctum *secalis cum absinth. Phrygii.* Tela Emplastica *Joëlis.* Incisio & suppuratio *ejusdem absona. Segmenta abiegna (& lapathum unctuosum) vermibus extrahendis, experimentum Occonis Mss. & veron. & eupatorii. (Portulacam & sedum λεπτὸν Aretæi non minus tenue.* Decoctum *Chærephylli: Cataplasma ex sanguine Draconis cum* ♈*.* Empla-

Emplastrum *ex fermento & auripigmento minus tutum.) Sideritis altera Camerarii, experimentum Austriacorum ap. Hæferum. (Vermes in jecore vervecum non à pastura sideritidis glabra arvensis, cujus folia referunt. Marrubio congener Diosc. potius pro remedio est.) Picris Veronensium & Al Benedicti.* Tinctura *& aqua aloëtica Timæi.* Acetum Aloëticum *cum succo hederæ terr.* Infusum Aloës *c. myrrha & ⊖e Ammoniaco Fer. Martii. Infusum aloës ℥q. Platearii. Aqua rosata fœniculata Aloëtica I. B. Montani.* Butyrum Aloëticum *Saportæ. Unctio Aloëtica Alzaravii. Anthelminthica plura huic adfectui convenientia recensita. Sclarea Cast. Durantis. Callitrichon silvestre. Orvala Ital. Unguentum Gleucinum.* Magisterium vitri, *Kesleri.* Comagenum *Plinii, dulcedine evocans.*

§. XIII.

C*Uratio pharmaceutica.* Purgatio *lenis.* S. M. inutilis, *nec hujus loci.* Alvi lenitio *necessaria. Anisum leniendi facultate præditum.* Turundi *supponendi &* Clysmata Serapia *laxantia. Serapium de Manna: de Cichor. cum rhab. è flor. Persici P. à Castro. Aqua fl. Persici scammoniata Heurnii inefficax: Aqua item solvens Cortesii: & aqua destillata ex Electuario de Sebest. Mediolanensis. Aqua Mannæ destillata: efficacior cum ♈. extracta.* Manna liquida *securior.* Spir. Mannæ *Bikeri cum rore Majali. Aqua Mannæ ⦶ata. Sudorifera propria. Pulv. lumbricorum. Cum theriaca. Succus raporum. Decoctum raporum passorum Phil. Scherbii c. succo fœniculi apud Hofmannum.* Emulsi. *ex sem. Napi. Vermes necantia & hidrotica. Lumbricorum terr. usus innocuus & proficuus adsertus. Muscas & lumbricos verè non reviviscere, numero scil. eosdem.* Panspermia. *Animæ post mortem cum seminali virtute remanentes tanquam in vase, valdè dubia.* ἑλμίνθων ἀναιρετικὰ *Cardiacis mixta.* Theriaca etiam *pueris tuta: cum ♀j. terra foliata, & Mag. cæruleo ⊕j. aut Aëtitæ, & pulvere Callimi mixta. Sem. hyperici experimentum Brenggeri.* Pulv. Serpentum *Prevotii.* Pulv.


viperinus *P. à Castro. Pulv. viperinus Cardin. Richelii. Aqua ex capp. & caudis viperarum destillata Eq. à Puteo.* Spir. viperarum *& sanguinis humani. CC. ust. experientiâ Jo. Georg. Agricolæ. Decoctum CCj. stannatum Kesleri.* Gelu *CC. c. Badzahardico* ♃ *ali.* ♀ *Saturninum Raym. Mindereri. Badzahardica Chemica sive mineralia heic omnia utilia. Tinct.* ♁ *ij. Mag. eboris & Rhinocerotis. Pil. Regia Ferdinandi Ducis Mantuæ.* Infusum *L. Colubrini Moluccani, & Colurni. Mahaleb Arab. Aq. acida* ♁ *ij. Diaphoretici. Acetum succini & Lignorum. T. Corall. Mag. Castorei. Tinct. Lunæ. Leucocephalicum Corvi nigri Metallici, arcanum Caroli Vuidmanni. Lap. Badzahardici & Ægagropili. Pulv. fol. jugland. & persici, experimentum Clauseri.* Vaporarium *ex helcysmate.* Pulticula myrrhata *Ad. Hebichi. Pulvis Alexii Pedemontani. Medicamenta vigilias mitigantia.*


§. XIV.

C*Uratio* per diætam *seu potius præservatio. Pulticulæ farinaceæ incommodæ: è pane meliores,* πολυιτοὶ *Cæl. Aurel. Refectio emaciatorum.*

§. XV.


V*Trum Henricus IV. an V.? Imper. dracunculis sive vermiculis capillaribus infantilibus exstinctus sit? disquisitum.* Carbunculum *potius* Cancrosum *intelligendum: aut tumorem anginosum & anthracodem.* Dracunculi *variæ notiones apud Italos. Convicia in Cæsares nefariè jactata.*





ADDEN-

ADDENDA
AD
EXERCITATIONEM
DE
VENA MEDI-NENSI.



Pag. 13. lin. 14.

CUstodem Virginitatis] Qua occasione præterire non possumus, longè felicius & certius ejusmodi rei custodiam sibi quemque, ac suo animo committere, exemplo Isotræ Brembatæ inter insignia Hieronymi Ruscelli p. 451. quæ hortum Hesperidum pingebat cum dracone ad portam excubante, adjecto isthoc apophthegmate Hispanico: Yo mejor las guardarè: Id est: Melius ego ipsa custodiam: cui iccirco Jo. Baptista Comes Brembatus his Versibus applaudebat:

De las Hesperidas la famosa huerta,
La hermosura es de Vos hermosa Yseo,
Yel arbol de las fructas d' oro veo
Que la castidades, que en vos resuerta.
Mas la serpiente aguardadora muerta
La honrra es de mundo, que perdida creo,
Però es escripto en muy gentil rodeo.
Mejor las guardarè: sobre la puerta
Porque os mirais nò en l' honrra en que venea
El mundo Vano mas à la denda
En que sois al Sennor, que os donò tanto,
Vansì os fiando en el poder su santo
Sennora la guardareis mejor sin duda
El que celosa ansì l' alma dessea.

Quos Latinis ex tempore distichis conclusimus:

Hesperidum fama celebris quid denotat hortus
Isotta, hæc tenera est raraq; forma Tua.
Aurea poma ferens pulcerrima pullulat arbor,
Hæc pura est omni mens Tua labe carens.
Excubat exanimis nequidquam ad limina serpens,
Hic hujus mundi est perniciosus honor.

Quid

Quid loquitur summis inscriptum postibus aurum?
Servabo fructus rectius ipsa meos.
Nimirum vanos non Tu sectaris honores
Praestandum Domino respicis obsequium.
Tam sancto auxilio confisa, quis ambigit? ergò
Servabis melius mente quod ipsa cupis.

Pag. 36. lin. 26.

TZetzes Chil.] VII. histor. CXLIV. Sed nî ad ψευδεπινέστερα pertineat, quæ ipse sic vocat, at saltem arte, non natura insculpti sunt isti lapides ἐγγεγλυμμένοι potius quam αὐτόγλυφοι. Cùm sanè disertis verbis addat:

Τοῦ θ' ὑπὸ λυγκείου βλέμματος ἐγλύφετο.
Hoc à Lynico adspectu sculptus erat.

Paulloque post miretur: πῶς ὁ λωυργοὶ τοὺς ἀθεντζέους οὐκ ἐμόγησε κόρας.

P. 42. l. 5.

GAlerius Maximianus] Qui tamen gangræna aut sphacelismo universali potius obiit, si credimus Eutychio ElnBatrico Annal. part. I. adustionem corporis vocanti, tanquam à prunis, وقع في علة اخترق منها جسمه حتـــي صار مثل الفحـم ومات ؛ Nec alius etiam Diocletiani fuit p. 407. qui vermibus in corpore natis carne decidente & lingua ex ore defluente miserè exspiravit. دود بدنه وكان الدود يتساقط من لحمه الي الارض وسقط لسانه مع حنكه ومات ؛

Sed de hoc hoc adfectu collatione aliorum quos Cæs. Baronius Annal. Eccl. a. Chr. CCCXVI. adducit plura cognosces lib. II. Var. lect. nostrar. c. XVI. si cum Deo lucem quondam adspexerint. Non est sanè usque adeò infrequens ut verminatio etiam sphacelo jungatur.

Pag. 61. lin. 15.

DIpsas] Huc referenda sunt verba illa supra p. 60. transposita: aliud enim Græcis διψα, aliud διψας dicitur.

Pag. 65. l. 25.

NOn satis Italicè] Vox quidem ipsa satis Italica est, non tamen eo sensu in sacris accipitur. Adrianus Politus in Lexic. Ital. Lat. purissimæ Linguæ compendio, majoris operis quod virorum doctissimorum societate excultum, nomen à furfurum separatione adsumpsit: acceso, incensus, reddidit, & per metaphoram, exardens, ut irâ, amore. Rectius tamen Malermus vertisset: serpi accenditori: aut sequioris sexus mentione: *Serpenti accendritici ò infiammatrici*: Certè: acceso: non emanationem actionis denotat, sed exardentiam in seipso. Sic enim Dantes Aligerius:

Da lunge mi struggo, & da press' ardo.

Et alio loco pereleganter:

Le piante eran' accese com' ei s' accese.

Rursusque alio:

Le tre faville, c'hanno i cuori accesi.

Quod plurimis exemplis docet Franciscus Alumnus Ferrariensis, in peregregia fabrica mundi dicta, quà de igni §. 986. & 988.

Pag. 67. lin. 29.

GEnuinum Moysis opus] Multa sanè ejusmodi fabulosa contra historias tam sacras quam profanas excogitata quondam pro veris adserta, credita, & propugnata candidè commonuit Cæsar Baronius Cardin. Rom. cujus verba ad ann. Chr. IↃCCCLIII. ad scribere visum est: postquam enim zizaniis inter triticum succrescentibus comparâsset: *Fabularum*, ajebat, *abolito nomine recepta semel* [*fabulæ*] *transeunt in historiam, ut opus sit magno cribrario, qui magno labore à veris falsa & fabulas segreget ab historiis. Non desunt de his exempla. Nam fabula de collapso*

Romæ pacis templo tempore Christi, quod nondũ fuerat ædificatum, semel adserta, multiplicium haut vulgarium fuit scriptorum auctoritate firmata. De anima Trajani precibus S. Gregorii ab inferis revocata commentum semel creditum, etiam disertissimos habuit adsertores, imò & defensores. Nonne hactenus fabula illa ut historia lecta est de Cyriaco Papa Roma Colonius comitante S. Vrsulam cum Virginibus undecim millibus, cum tamen nec per somnium quidem ejus nominis Pontifex sederit in sede Petri. De septem dormientibus somno tentis annos prope ducentos quid dicam, tam à Græcis in Oriente, quam à Latinis in Occidente historiam lectam atq; receptam? Et aliis in locis plurima ejusmodi à plebejis pariter & simplicioribus hominibus etiam religiosis credita, falsa historiisq; adversa ostendit. Quæ licet haut pauci vellicârint, suprema tamen Pontificis Rom. sententia probata nemo hodiè ignorat.

Pag. 84. l. 27.

DRaconarii dicebantur] Has quidem Draconariorũ apud Romanos figuras in libris de militia Rom. à se productas Justus Lipsius ex columna Trajani desumptas adfirmabat, quod longius tamen à vero abesse patet, cùm in columna illa tantùm ex parte Dacorum signa Draconum compareant, Romanis adversa. Multo enim pòst demum tempore his usitari cœpta.

Pag. 86. lin. 7.

IO. Curopalates] seu veriùs Georgius Codinus, quod ex Mss. Palatinæ nostræque Augustanæ Bibliothecæ Franciscus Junius ostendit: qui tamen nec φλάμπυρον obtrudere debuerat, nec Italorum, quod fingit, auriflammeum, aut Gallorum l' oriflambe intempestivius adducere, tàm rectius φλάμμουρον ex Latinorum flammeo aureo ipse deduxerit in notis suis. Sed nec Codino Isidorum in XVII. ut opponeret causam habuit, qui non ab Assyriis Persas Draconum signa accepisse, sed ab Apolline morte Pythonis serpentis inchoata, dehinc à Græcis & Romanis in bello gestari

gestari cœpta statuebat. Nimis enim pauca & exigua sunt, quæ nos ab Isidoro isto discere queamus, cum ubique inscitiam & imbalnitiem suam prodat, ut sæpius mirati simus, eum tamen à viris doctis quibusdam tanti æstimari, ut meditationes ac dissertationes suas ejusdem ineptiis ὀλωθυλάκῳ admensis ubique inferciant. Solem utique ab Assyriis, Persisq; cultum nemo eruditiorum ignorat, cui Dracones sacros ex Macrobio supra jam monuimus. At Naturæ utique B[æ]. A. Mss. φλάμουλον habet: δρακόντιον quintum inter sex imperatoria illa ἅ εἰσὶν ἕκαστον ἀνὰ δύο: quæ singula duplicia erant, i.e. in universum XII. quæ sequebatur τὸ λαβέλλιον à scutario portari solitum, ut Junius putabat, Divum velum dicendum.

Pag. 86. lin. 9.

Signa draconum ex Columna Trajani desumpta, genuina heic dedimus, meliora etiam ac primum Alphonsus Ciacconius produxit, qui nuperrimam editionem iisdem quidem illius expositionibus, sed figuris plurimum ad ipsam operis fidem exactis adornatam sequuti sumus, Ludovico XIV. Galliarum Regi, Theodoto, inscriptam, cujus auspicio ectypa Romæ concinnata Jo. Jacobo Rubeo occasionem dederunt, ut præstantium artificum, Caroli Errardi & Petri Sancti Bartoli manibus depingi, ærique incidi curaret. In his sanè flexus corporum diversos notabis, quam Lipsianis iconibus, quibus propè caudarum extrema, nodus quidam sive helix breviculus appositus est, sed nusquam tota columna spectatur, ut mirari liceat, quisnam pictorum lippientium accuratissimo antiquitatis vindici imponere potuerit, in re tam manifesta ac omnium obtutibus exposita, cui propterea similior est signum tachygraphicũ Draconis in pseudo Tironis & Pseudo Senecæ notis, quas intolerabili barbarie conspurcatas, non tam crudas, quam ementitas, & squalore pædagogico oppletas protrusit Janus Gruterus. Cæterum hoc obiter monere visum est: quamvis supra nos aliquando de nova editione columnæ cogitaturos polliceremur, id tamen jam scripsisse, antequam

quam novam illam Rubei videre contigisset. Multa autem præ aliis huic rei subsidia, & ectypa ejusdem, ac columna ipsa est, magnitudinis ex gypso à nobilissimo architecto & sculptore formata, immensis sumptibus Româ asportata obtinere nobis licuisset. Præter commoditatem istam defectus quoque exemplarium conatus illos nobis suggesserat, quibus promissis ultra stare non opus erit, quamvis quod verè nostri laboris, nostræque facultatis fuerit, nec dum despondeamus, ut bellum scil. ipsum utrumque Trajani Dacicum carmine aliquando descriptum proferamus, quo simul id agere instituimus, ut figurarum explicatio ad fidem vetustatis Ciacconiana, nî fallimur, melior, eadem opera procudatur, inprimis cùm etiam Joh. Petri Bellori industria, in recentissimo opere, non aliud quam compendium illius exhibeat.

Pag. 91. lin. 28.

VAccarii] à Sixto Bassano delineatam, recto plenoque adspectu, longè præstantiorem, quam illa altera est inter Rubei statuas, in dextrum latus obliquata, & in sinistrum iterum alia aversa à Francisco Perrerio, præclarum sanè antiquitatis opus, omnium sæculorum applausu ad nostra usque tempora celebratum, cui nil derogare poterit, quod immodica admirantium & æmulantium industria, bilem quondam movisset pictorum nobilissimo Marco Titiano Cadorensi Equiti, qui non minus inter graphices studiosos, ac Horatius inter Poëtas *imitatorum servum pecus* increpiturus ex Laocoonte simium patrem fecit, eique Simiolos utrinque filios eodem habitu, corporis, nexuque serpentum adstituens pinxit ac æri incisum publicè exposuit. Hujus nobis aliorumque plurium copiam fecit Vir Nobilissimus & amicissimus Jo, Vdalricus Mairius, cujus artificem penicillum Cæsares etiam Regesque collaudarunt. Cæterum illa digitorum, indicis & annularis extensio, nostro sæculo inhonesta, quos alter filiorum in statua Vaticana patri intentare conspicitur, ne quis miretur, haut dubiè, mutilatis reliquis, Gotho-

 rum

rum vett, insolentiam testatur. Nam apud Romanos scurræ & sanniones olim medium digitum ostendebant. Multæ sanè statuæ præter hanc capite minutæ, truncatis artubus, resectis membris, & inscriptionibus deletis spectantur à barbaris mirè deformatæ, cùm olim Italiam Longobardorum nomine invasissent, Romamque occupassent. Nec aliis foramina in ædificiis antiquis hodieque conspicua adscribenda, de quibus Jo. Mar. Suaresius singulari diatriba egit.

Pag. 94. lin. 24.

CAduceos] Genuina Caducei figura in saxo antiquo hodieque Augustæ spectari potest in ædibus avitis Nobilissimi Viri Francisci Ignatii Peutingeri, Canonici Basilicæ Cathedralis ad D. Virginis, quam olim monumentis Vindelicis Velserus inseruit, unde desumptam redhibuit Janus Gruterus, vegrandi inscriptionum Codice, Smetii, Lipsii, & Jos. Scaligeri sociatis operis compaginati. Huic quidem non multum dispar est pictura miri illius Milesiarum fabri, qui juveniles amores Italicè primum scripsit, sive is Franciscus Columna sive Beroaldus fuerit, qui deinde Polyphilus, Poliæ suæ nomine Lucretiam Trevisanam intelligebat, ingeniosas tabellas vocans, quas à Jo. Martino in compendium redactas, Henrico Lenencurtio Comiti Nantvillensi inscriptas, i. e. mutilatas, & à Jacobo Gohorryo non minus malè habitas, Petro Brochardo D. de Marigny Cons. & Quæstori Regio querebatur. Cùm tamen p. 84. antiquitates in templo contemplantem adduceret, notissimum illud: *Concordia res parvæ crescunt.* adferens Caduceum pingebat, in quo non tantum serpentium nexus cernebantur: (Vn Caducee ou baguette, sur laquelle deux serpens s'estoient entortillez,) sed etiam vincula præterea mirè contorta, qualia & Justitiæ Symbolo, gladio Vaginâ educto addiderat, non inutili significatu, quemadmodum nec alterum, quod bilanci hinc quidem canem, illinc verò serpentem adjecisset, amorem odiumque longè abesse debere innuens, adjecta inscriptione: *Justices droicte, une & despouillée de haine & amitie*

amitié avec liberalité bieposée gardent fermement les Royaumes en leur entier. Et sanè non defuit homini ingenium, etsi nostrâ ætate plerique omnibus ferè Europæ linguis multò amplius deliciari nôrint, mirum tamen profectò, ne unum quidem Italicæ scriptionis exemplar uspiam exstare, ex qua judicium ferri queat, cùm certè Gallicam versionem non integram esse constet.

Pag. 96. lin. 3.

Columna tortilis Alb. Dureri] Ex Sphæris istis conjectura fieri potest de motu lumbricorum, ac etiam dracunculorum. Eodem enim modo, quo columna exstruitur circulis sive sphæris inter se complicatis, etiam fibræ circulares membranæ sive substantiæ, quam diximus, carnosæ, ad centra sua quæque contractæ, similem flexuram sive incurvaturam efficiunt.

Pag. 99. lin. 2.

IMponere ausos] Aut certè typographus edere debuisset: *Digna notatu est columna serpentina à Cuspide in tria capita serpentium divisa, (& altera) Theodosii historiata dicta.* Multum enim differt serpentina illa à triumphali Cochlide, qualis Romæ quoque Antonini & Trajani est, sive hæc Constantini M. sive Theodosii, sive Justiniani, sive cujusvis alterius fuerit, quod nemo utique satis ostendit, tacentibus omnibus, qui hodiè supersunt historicis, & inscriptione nulla exstante. Ab utraque sanè iterum differt τὸ πορφυροῦ κιόνιον, Columna purpurea dicta, de qua Georgius Codinus Curopalates offic. dom. Aug. 162. quæ in foro erecta à Constantino M. ex solido lapide uno constabat, Romà adlata, quam solis instar splendidam Phidiæ opus Athenis adductum Cedrenus commemorat, si modò illi fides haberi potest, qui sæpius ipse suspectam reddidit. Porphyriten enim fuisse constat, qui licet politus in sole splendeat, solis tamen instar non splendet. At cùm Severus Imperator Hippodromum exstruxerit, qui Codini ætate cum plerisque ornamentis integer erat, ut verba disertè habent: τὸ δὲ μέχρι τὸ νῦν σωζόμενον Ἱππο-

δρόμιον ἐκλήθη παρ' αὐτοῦ τοῦ Σεβήρου: probabile videri queat etiam Columnam iſtam illius eſſe, Trajani & Antonini imitatione erectam, diverſam ab Obeliſco quem Athan. Kircherus in Oedipo depinxit, haut procul tamen ab illo diſtans. Sed & pro Conſtantino M. eadem probabilitas: atque inprimis Juſtiniano, qui nimium ferè gloriæ cupidus plures ſibi ſtatuas columnasque erexit, inter quas etiam illa, quæ manu Perſis comminabatur Orientem reſpiciens cum inſcriptione: στῆτε Πέρσαι καὶ μὴ προσω χωρεῖτε, οὐ γὰρ συμφέρει ὑμῖν: State Perſæ, nec progredimini. Nec enim conducet vobis. Nam Codini illud: βοῶν: *inclamans:* non aliter accipiendum putamus, cùm ſtatuæ vocales quæ articulatum ſermonem exprimant, nusquam apud vett. legantur, nec recentiorum curioſitas hucusque adſequuta ſit, ſi unum Albertum M. excipiamus. Ambitionem præterea Juſtiniani cum plurimæ loquendi formulæ, tùm illud etiam in ſtructura ad S. Sophiæ jactatum ſatis arguit: νενίκησα σε Σολομών: Vici Te Salomon: à cujus tamen ſapientia, ni ἀναλφάβητον certè non adeò doctus, procul nimis diſtabat, ne quid de magnificentia reliqua, de divina inſpiratione, de negotiatione aliisque dicamus. Cæterum Shveiggerus cæterique, columnam iſtam triumphalem hippodromi non porphyriticam purpuream, ſed ex marmore ſubalbido & ſubobſcuro deſcribunt, de qua iccirco nihil decernimus, niſi quod ſerpentina dici non poſſit, aut forſan ad faſcias illas figuratas reſpiciamus, quæ columnæ interius cochleatæ exterius quaſi circumvolutæ ſunt. At porphyritica illa Conſtantini M. circulis ferreis vincta eſt ab ipſomet, (Cedrenus ærea cingula appellat) non demùm à Manuele Imperatore etſi hic collapſam aut ſaltem ruinam minantem reſtituerit, quod inſcriptio teſtatur: τὸ θεῖον ἔργον ἐνθάδε φθαρὲν χρόνῳ νεοῖ Μανουὴλ εὐσεβὴς αὐτοκράτωρ: i. e. *Divinum hoc opus tempore corruptum renovavit Manuel Imperator pius Auguſtus.* Hoc denique præteriri non debuit, Columnam hiſtorialem dictam non unius Imperatoris opus ſed plurium ſuccedentium exiſtimari ab Nobiliſſimo Viro Arndio Gebhardo à Stammern deſcript. Itiner.

in Terr.

in Terr. sanctam. p. 29. sed omninò diversam à triplici serpentina, & Telesmatica, cui caput non impunè recisum. Sommeri utique sententia Itin. p. 59. qui Alexandri M. putabat, non facilè admitti potest, quia actorum fide & testimonio destituitur. Ut ergò Petrus Ciacconius Duillianam rostratam, Alphonsus Ciacconius Trajani, & Petrus Galesinus Antonini Columnam descripsêre, ita & hæc CPa. cujuscunque fuerit, pariter à viro docto jam olim depingi & publicè exponi merebatur, quod neminem hucusque aggressum admiratione non caret.

Pag. 103. l. 28.

PRoprium.] Hæc in isto præterea singularitas, quod in frutice ipso & foliis illius nunquam nobis conspici potuerit, etsi sæpius attentè adverterimus, sed tùm demùm cum mora ipsa maturescunt. Nec mutationem illius ullam comperimus, ut aliorum insectorum, in bombylios, erucas, muscasque, papiliones, & similes ἀπομορφώσεις, sed cum fructu suo nasci & interire certum est.

Pag. 136. l. 30.

COpiosius exsorpsit.] Hæc sanè ipsa allegoria adeò placuit Carolo Borromæo Cardinali & Mediolanensium Antistiti, inusitatæ sanctitatis fama, etiam cum viveret, celebratissimo, ut insignia sua Cervi ad fontem properantis figurà adornaret, quem serpentes undique toto corpore transfixerant, quod quia rarius, nec Vulgo auditum, ex Ruscello adscribere placet, p. 90.

I. Cervi hanno guerra natural co' serpenti di modo che li vanno cercando, & trovatili li mangiano & s' alcun serpente si fugge ò s' asconde in qualche buca, il Cervo soffiando & sirando il fiato tanto s' adopra che lo cava fuori & la divora. Onde pigliando quel cibo velenoso, & essendo il Cervo di Natura calidissimo, & ancora perche molte volte i serpi li saltano à gran furia addosso & lo traffigono crudelmente, egli corre subito à qualche fiume ò fonte d' aqua & quivi gettandosi sana & libera da cotal pericolo. i.e. *Cervis bellum Naturâ geritur cum serpentibus, ita ut illos inve-*

investigantes quam primum repererint, devorent, atque si forte quis aufugerit aut se absconderit in cavernis, flatus attractione tam diu adlaborent, dum extrahant, & deglutiant. Adsumpto igitur hoc cibo venenoso, cùm Cervus Naturâ calidissimus sit, atq; sæpiùs à serpentibus, non sine furiis eum adorientibus crudeliter transfigatur, confestim ad fontes & fluvios procurrit, iisque se immergens sanatur, taliq; periculo liberatur.

Pag. 137. l. . .

PEdis Rom. magnitudine] Nonnihil tamen excedente. Ejus sanè mensuram non unam diversi prodiderunt. Nos veriorem putamus, quam Petrus Ciacconius produxit. Huic autem omninò par est Augustanus noster. Tres igitur digitos transversos superat, quod cuivis dimetiri licet.

Pag. 139. l. . .

HElices bryoniæ] & Volutæ Lathyridis Americanæ.] Has ideò depingi heîc curavimus, quia sinuosos Dracunculorum flexus (in gammaris præcipuè fluviatilibus) pulcerrimè repræsentant: utut & aliis plantis plurimis ejusmodi claviculæ non desint.

Pag. 139. l. 18.

HIeme tantùm] & auctumno: quod omissum est.
l. 26. Nec cavitatem ullam.] Quod de plerisq; intelligendum. Nam hoc ipso tempore, quo scribimus, Septembri, in quibusdam etiam cavos reperimus, sed ipsa cavitate filamenta tam tenuia continentes, quam tela aranearum est aut filum Cnidium, sed teretes omnes, ut ligulæ profectò non satis aptè vocari queant, quæ magis minúsve latæ.

Pag. 193. l. 16.

COlatoria illa Alexandrina.] Cola vocat subterranea Sidonius Apollinaris, p. 108. per quæ fluvius coäctus deliquatur, non ut flu-

fluctibus, ſed piſcibus pauperaretur. Addamus nos ejusd. verbo: ut etiã eruderaretur, i.e. defecaretur, ſic enim Jo. Bapt. Pius in Com. exponit, *Cretaceos tubulos* (Appulejana ſcabritie) *vocans lingulatos, juxtim commiſſuris pixidatos & teretatos, fiſtulis argilloſis, per quas ex emiſſariis conceptelis & Caſtellis aqua deliquetur atq; derivetur.*

Pag. 212. l. 13.

REfrigerarent.] Figuram matronæ Romanæ ſerpentem foventis dedimus ex Franciſci Perrerii Statuis anquis Romæ primum pereleganti manu, ac deinde Pariſiis recuſis. Huic autem per tergum & humerum ſiniſtrum in pectus revolutus conſpicitur, quem ſiniſtra blandius prehenſum lacte potandum dirigit, quod in paropſide dextra tenere videtur. Nimis enim ineptum Veſtam aut Circen advocare, ut putabat ille, qui Indicem confecit, cùm nullam alterutrius ſimilitudinem præferat. Bacchæ cujusdam potius fuerit, ſi veſtitus reliquus conſentiret. Nam & illa ſtatua Bacchi apud Jo. Anton. Boſium Architectum & ſculptorem Rom. quam inter reliquas produxit Rubeus, non valdè abſimilis, ſiniſtro humero ſerpens leniſſimè defluens per brachium convolutus ad manum usque caput protendit, quæ uvam tenet. Non minus etiam vini quam lactis avidiſſimum illud animal compertum eſt. Sed cùm occultos iſtorum ſenſus ingenioſis colligere proclive ſit, prolixè heic expedire non placet. Hoc utique extra omne dubium poſitum exiſtimamus, in ſtatua illa ſtolam ad imos usque pedes demiſſam, non Bacchabus ſed matronis proprium longum habitum referre, ut Juvenalis vocat. Nec enim inſtitæ, ſive purpureæ in albatis, ſive aureæ in purpureis veſtibus (quod veroſimilius oſtendit Vir ſummæ eruditionis laude, & antiquitatis rariori peritia celeberrimus Octavius Ferrarius III. de re Veſtiar. c. XVII. Nec manicæ quas ex Porphyrione alii adducunt, obſtare poterunt, cùm illæ in plerisque ſtatuis non ſpectentur, etiam illis ipſis, quas idem exhibuit, nec nobis reprehenſione dignum videatur, ſi ſtatuamus matronis Romanis

manis alias domi stolas, alias cùm prodirent, usitatas fuisse, aliasque iterum hibernas, graviores, & crassiores manicatas, alias æstivas sine manicis, fortasse nec prætextas, fluxas tamen omnes & supra umbilicum Zonâ succingi solitas, ac laxitate ipsa rugosas, quod Martialis innuit, apud quem Vetustina rugosiorem stola frontem gerebat. Hæc sanè omnia in illa, quam finximus, conspicua sunt, nudo collo, nudoque humero & brachio, quod refrigerii voluptati capiendæ tantum non necessarium putamus.

Pag. 219. l. 21.

MOderato usu] Pythagoras in carminibus aureis *μέτρον* vocat, eoq; intelligit, quod non nocuerit: Jo. Elichmanus vertit:

القصده ما لم يضره

Οὐδ' ὑγιείης τῆς περὶ σῶμ' ἀμέλειαν ἔχειν χρὴ,
Ἀλλὰ ποτῶ τε μέτρον καὶ σίτου, γυμνασίων τε
Ποιεῖσθαι. μέτρον δὲ λέγω τόδ' ὃ μὴ σ' ἀνίησι.

Neq; oportet te prætermittere negotium sanitatis tui corporis,
Sed curam habebis cibi, potus, & recti modi, in utroq; justi, item exercitii,
Denoto autem per modum id quod non nocuerit.

Pag. 221. l. 29.

HArirensis.] Hujus nobis usum in Codice Mss. plus quam dici queat eleganti & accurato, ex avita ditissimaque Bibliotheca sua unà cum aliis benignissimè concessit, eminentissimus Cardinalis Gregorius Barbadicus, summum Venetæ Nobilitatis decus, cujus immensæ Virtutes & rarissima doctrina digniori loco concelebrandæ.

Pag. 227. l. 2.

ÆGyptiis tamen frequentem.] Imò non istis tantum, sed Orientalibus omnibus balnea frequentissima & olim fuisse, & hodiè esse satis percognitum. De Græcis utique Georgius Codinus

dinus de origin. CP. p. 23. balneum ampliſſimum in urbe propè palatium, Zeuxippi nomine commemorat, & alterum extra mœnia, magnum ac memorabile, Caminiæ nomine deſcribit, in quo quotidiè bis mille homines lavarentur: noſtroque tempore CP. plus quam mille balnea numerabat Jo. Sommerus Itin. p. 62. in quorum ſingulis CCCC. aut Iↄ. homines lavari ſolent. Hæc tamen ab antiquis Rom. & Græcorum calfaciendi modo differunt, quia vapida ſunt omnia, illa laconica potius & ſicca ſudatoria hypocauſtis impoſita, Codino innuente: ἤπλε δὲ τὸ πιςτὸν λοετρὸν μετὰ τοῦ Μηδικοῦ πυρός. Erat autem hic ignis Medicus non alius quam qui poſtea Græcus dictus, ex Naphtha præcipuè Meſopotamica, cujus lib. de Orig. CP. p. 42. meminit: πέραν τοῦ Τίγριδος ἡ ἄσφαλτος ἡ λεγομένη νάφθα: *Ultra Tigridem bitumen quod dicitur Naphtha.* Hujus ſanè copia haut exigua hodieq; in Media, Perſia, & Aſſyria pluribus locis reperitur, cui conferre poteris, quæ Hieron. Mercurialis in libb. Gymnaſticorum diſſeruit.

Pag. 256. l. 31.

ANte Cæſarum] Verba ipſa quæ adſcribantur digna judicavimus: *Dizen Corn. Celſo y Plinio, che ſiete morietas de Plata, aquies los Romanos llamavan denarios peſaros juſta una Onxa Romana. Lo meſmo dize Scribonio Largo en el proemio de ſu libro y otros muchos: y porque deſtos denarios antiquos le hallas ahora muchos todas partes y yo tengo algunos tome ſiete dellos, hechos en el tiempo que la Rep. Rom. ſe governava por Conſules, porque los de los emperadores labravan ſe yen faltas de peſo, como le dize Plinio, y yo lo he eſperimentado en el peſarlos.* H. e. *Cornelius Celſus & Plinius ajunt, ſeptem monetas argenteas, quas Romani denarios vocabant, exactè unam unciam Romanam pendere. Idem dicit Scribonius Largus initio libri ſui, aliiq; plures. Et quia ejuſmodi denarii antiqui hodieq; multi ubiq; reperiuntur, egoq; aliquot poſſideo accepi ſeptem eo tempore factos, quo Rom.*

Respubl. per Consules regebatur, nam illi alteri Imperatorum jam diminuti pondere cudebantur, referente Plinio, & ponderando verum expertus sum. Nos quoque idem contestamur, sed monemus tamen in Pinacothecis ejusmodi nummos Consulares rariores occurrere, sed Imperatorios ingenti numero ubivis exstare.

Pag. 277. lin. 25.

IN cujus mappa Geographica perquam egregia.] Non mutamus. Sed multò elegantior & accuratior est Guil. Blaevvii. Nec tamen obstat, quin justa sit querela nostra, quam supra videre poteris.

Pag. 278. lin. 3.

CUmor] قمر alia quidem est ab illa, quam Tymor Bontius vocat, nec tamen valdè refragari vellemus iis, qui etiam apud Ebnsinam قمر rescribere maluerint, cùm facilis aberrandi occasio ex ipsis literis nascatur, quarum una simplex, altera capitata, utraque autem gemino puncto insignita est. Atqui Geographus Arabs part. IIX. Clim. I. ad Insulas lucrosas sive quæstuosas, جزاير الربيحات i. e. ut nos putamus fortunatas refert vicinam etiam Insulam Ambunam جزيرة انبونه & Cumaram جزيرة القمر omnes Sacchari, palmarum, aliorumque lignorum pretiosorum feraces, inter quæ Sandalum quoque recensendum. Id sanè & Insulæ Ceylon alio loco adscribit. Est autem Tymor insula, quæ X. circiter gradibus ab linea æquinoctiali, versus Tropicum Capricorni distat, diversa ab exigua illa altera quæ in Tetraneso Maldivarum Japonicè

نيو شيما، dicta quartum numerum facit, & æquatore VII. gradibus superior jacet è regione Inſ. Ceylon, à cujus primaria urbe Colombo CXX. ferè milliaribus diſtat. At in vulgatis tabulis omnibus cùm nulla Cumara compareat, non aliam profectò ſubſtituere licuerit, ſed illa quæ Ceram, pro Cumer trajectis literis & nomine corrupto appellatur intelligi debet. Hæc enim Amboinæ proximia eſt, è regione Novæ Guineæ Jacobi le Maire dictæ tribus ab æquatore gradibus remota.

Pag. 284. l. 25.

CAla] Hanc Schiccardus Borneo eſſe putat ſub ipſo æquatore ſitam inſulam reliquis omnibus Indiæ majorem: quamvis ad Arabicam nomenclaturam propius accedat, vulgata illa Celebes, Borneo proxima, eorundem feraciſſima. At Lankialus ſive Lanjialus illa videri queat, quam hodiè Gilolo appellant. Non ſatis tamen convenit, quod Geographus part. IIX. Clim I. habet. ومن لنكيا لوس الي جزيرة كله مجري ستة ايام، ſic legimus: non: مسر، Eſt enim مجري، curriculum maritimum unius diei, niſi plures nominentur, Ut heic: *Ab Lanchialo usq; ad Inſulam Calam curriculum maritimum eſt ſeptem dierum.* Sed profectò non eſt, ut quisquam Chorographiam Indiæ totiusque adeò Orientis accuratiorem ab aliis, quam Indis ipſis Perſisque ac Arabibus exſpectet, cum etiam poſt Batavorum, Anglorum & Luſitanorum tot commeationes & cataplos nemo tamen perfectas undique mappas exhibuerit, ſed plurimis omiſſis pluribusque non ſatis diſtinctis, tam mirè diſtorta & corrupta omnia compareant, ut quoties Geographos Arabas inſpicimus, Indiam in

India ipſa, & Arabiam in Arabia, imò & Perſiam in Perſia quærere oporteat, ſi illas conferamus.

Pag. 291. lin. 26.

SI aloë tribus diebus conſequentibus.] Non inutili intentione, cui conſentit omninò experientia Medicorum clariſſimorum, quos ſæpius ſe imitatum teſtatur Franciſcus Ignatius Thiermairius Archiatrus Bavaricus, lib. II. Conſ. & ſchol. Med. c. IX. pilularum doſin pro juſta purgatione paululum auctam non una, ſed partitis duabus tribusvè vicibus exhibentium, ita ut ante cœnam primâ vice v. g. ℈j. altero die manè iterum ℈j. & veſperi tantundem ſumeretur non ſine notabili emolumento. Hinc verò apparet, multa ſæpè à noſtræ ætatis hominibus pro novis venditari, quæ tamen veteribus cognita & uſitata.

Pag. 306. lin. 10.

CP. vidiſſe.] Ejus alterum, nî forſan idem, exemplar in theſauro ſuo ſ. ſpolio Orientis commemorat Chriſtianus Ravius n. 34. inter Mſs. in fol. *Opus præclarum Medicum practicum Chirurgicum auctore Sabravio Tataro, non ex minoribus Crimenſibus, ſed majoribus Tataris Mogul. Exſtat & ejus verſio Ebræa ἀνέκδοτος. Latinè verſum editum eſt, Inſtrumenta Chirurgica affaberrimè ſunt depicta, punctis oculitus accuratè ubique exornatum eſt.*

Pag. 309. l. 16.

SInenſium.] Ideoq; retenta quidem ipſa operationis repræſentatione, habitus tamen hominum faciesque mutavimus.

Pag. 310. lin. 19.

SPheciscus Aristoph. schol.] Hanc quidem figuram ex ingenio adduximus, cujus tamen rationem ex Nicomacho Geraseno desumpta lib. II, his verbis nititur: παρὰ τοῦτο εἰκὸς καὶ τὸ σφήκωμα ὠνομάσθαι. ἔνθα γὰρ ἂν ἀποσφίγξῃ τὴν τοῦ σφηκὸς ἐντομὴν μιμεῖται. Ab hoc etiam (vespæ sc. corpusculo) verosimile est galeæ cristam, cui pinnæ inseruntur, appellatam esse, ubi enim contrahitur, vespæ insectionem imitatur. Cuneos vertit Sam. Tenulius, qui ἀνισεπίπεδαι, ἀνισογώνιοι, οἱ καὶ ἀνισοδιάστατοι, i. e. *Inæqualia plana, & inæquales angulos, & inæqualia intervalla habent.* Nostrâ sententia parum differunt à pistillis illis, quæ utrinque capitata sunt, nisi quod hæc ad cylindros pertineant, illi etiam ad cubiformia oblongiora aut trabeculas accedere possint. Nec placet sanè figura quam Joachimus Camerarius explic. in Nicomachi lib. II. adduxit, rudior enim est, & cuneum quidem, non tamen sphecoidem sive iconismum vespaceum ullum refert.

Pag. 310. lin. 12.

SPheniscus Ionicus Jamblichi.] Et hic quoque non alia ratione, quam ingenii nostri lusu sibi constat ad Boëthii mentem, qui lib. II. Arithmet. c. XXV. etiamve ὥς τινας βωμίσκους appellat, Jonica Græciæ regione usitatas arulas quasdam. Cui ideò quisque tantum tribuat, quantum volet, aut meliora substituat.

Catastrophas rotatiles apud Sidonium Apollinarem volumina & cuneos admodum implicatos interpretabatur Jo. Bapt. Pius in Comm. si sic accipere licuerit, non de majori aliqua sphæristerii machina. Parùm sanè solidæ eruditionis illi concedunt Jos. Scaliger & qui hujus judicia venerantur. At nos nullius uti


ſperamus indignatione collabos tractorios & verticilla trochlearia hoc nomine non invenuſtè appellare poſſumus.

P. 344. l. 14.

PAuciſſimi ſanè inſpexerunt.] At nos iſtum libellum ex Latino, & Aphoriſm. Hippocratis ex Græcis Arabicè tranſtulimus, ut citra jactantiam quibuſvis aliis proferri poſſe putemus, cùm ipſos Arabas Græcorum traductione ſæpiſſimè gravius erràſſe conſtet, quod plerique interpretum Naturalis ſcientiæ & Medicinæ imperiti, Græcæque linguæ non ſatis gnari fuerint, quod ſuo quondam loco oſtendemus, etſi jam olim quoque Cl. Salmaſius obiter commonuerit.



ADDEN-



ADDENDA AD EXERCITAT. II. DE VERMICULIS CAPILLARIBUS INFANTIUM.

Pag. 363. lin. 31.

MΗκώνιον Ariſtot.] De quo nonnulla haud protrita commemoravimus in Specimine Curationum noſtrarum, quas brevi cum DEO, emittere decrevimus, inprimis quà miaſmata morbillorum & Variolarum, etiam verminoſa.

Pag. 380. lin. 9.

EX aloës ℥j.] Horum ponderum ratio ad liquoris quantitatem commoderanda eſt: ne tenellæ ætatis conſideratio negligatur. Satis quoque fuerit, ejusmodi Tincturæ unam tantum aut alteram drachmam ſtillaticiis hormini, praſſii, abrotoni, artemiſiæ, aut ſimilium plantarum liquoribus immiſcere.

Pag. 388. lin. 25.

VNicornu foſſilis] etiam marini ſive Groenlandici, cujus tanta hodiè vilitas eſt. Nam noſtris experimentis remedium præbebit optimum, etſi ſine ulla præparatione deraſum tantum exhibeatur.

Pag.

Pag. 389. lin. 20.

CUjus dosis ℈ß.] Pro ratione scil. ætatis, nam adultioribus etiam ad ℈j. & ʒß. dari poterunt pilulæ, nullâ purgandi facultate pollentes, sed tantùm helminthoctonæ.

Pag. 390. lin. 4.

L. Colubrini.] Quod tamen amarissimum negare non possumus, nec facilè iccircò ab infantibus admittendum. Unde sal potius ejusdem aut extractum propinandum, quod etiam de sequentibus intelligere proclive est, pilularum formâ ex Serapio aliquo jucundiori.






L. B. S.

L. B.

S.


um in Præfatione inter alia, quæ nos ad opus isthoc impulerant, præcipuum ederemus, magnorum quorundam Virorum voluntatem, iniquius tamen nonnullis acceptam commemoravimus. His igitur publicè sic actis, ut sua fides constaret, placuit epistolam ab Ill.ri Rolfincio heic subnectere, non quod immodicis amicorum laudibus inhiemus, aut valdè delectemur, ut quas amori, quam vero, rectius adscribi non ignoremus, sed quod ipse typis vulgari seriò jusserit, atque hanc postremam ad nos dederit, antequam mortalis esse desiisset. Huic verò subjunximus responsum Theologi atque Philologi præcellentissimi, Theophili Spizelii, ad petitoriam nostram, de igneis serpentibus Israëlitarum, eam ob causam, quam ipse cognosces, si pellegere non dedigneris.



EXCELLENTISSIMO

DN.

GEORGIO HIERONYMO VELSCHIO, Phil. & Medicinæ Doctori Famigeratissimo Practico Augustano Felicissimo.

SALUTEM ET FELICITATEM!

Diuturni silentii, quo eram hisce temporibus usus, finem attulit hodiernus dies, quo intellexi, novos te meditari de vena Medinensi labores, aut dudum certe absolutos in manus resumere & expolire. Ut insigni â naturâ dotatus acumine, expeditissimo judicandi præstas munere, tui compos, in tuis collectus consiliis, ita nihil levius expendis, nihil absque præmeditatione approbas, adeò ut liber ætatem ferre, seros cum laude videre nepotes, posterisque ad planissimam perfectæ cognitionis aperire queat viam; Tu nempe magni vatis effatum semper facis plurimi: Otium sine Literis est Mors, & Hominis

nis vivi Sepultura. Vilipendis illos, qui voluptatibus dediti vivunt in diem, & vivendi causas quotidiè finiunt, imitaris qui posteros cogitant, & memoriam sui suis extendunt operibus. Optas vivere æternè, & antequam corporei carceris vincula funesto mortis impetu disrumpantur, immortalis sapientiæ vitam adipisci. Beatum illum judicas, cujus mors ita cognita, ut vivere tum primum verè incipiat, cum lapide sepulchrali obrutus ex oculis honorifico & spirante in memoriam transit præconio. Eo fine semper operosus, nunquam otiosus arguta velut apis infatigabili deditus studendi labori suavissima variarum mella concinnas doctrinarum, Musarum amœnissima nunquam non exspatiaris in vireta, omne quod â medendis morbis vacui habes temporis, perire non finis. Unicum tibi in literis gaudium est & solatium: nihil tam lætum quod his lætius, nihil tam triste, quod per hoc non fiat minus triste. Succurrunt tibi in hac palestrâ naturæ & artis dona. Adest singularis εὐφυΐα καὶ ἐρωτική τις δύναμις, καὶ ἐνθουσιασμὸς excellentia ingenii & amor non vulgaris. Consultum semper duxisti ἐπέχειν τὰ ὦτα τοῖς ἀρίστοις, quos olim variæ tibi tulêre Academiæ, & inprimis Antenorea, quam Jason famosissimus juris Doctor ipsis Athenis comparandam censuit. Excellebat illo tempore Benedictus Silvaticus, vir sine pari, cujus summam sapientiam, prudentiam perfectissimamque medicam co-

gnitionem quot quot ad animum revocabant, unius hominis ingenio omne eruditionis penu contineri admirabantur. Nihil in arte eximium, quod ille non tenebat egregiè. Ab una parte illum elevabat ingenii felicitas, ab altera judicii gravitas & profunditas. Ab hujus tu pendebas ore, ex illo victura seculis excipiebas, & in succum & sanguinem convertebas monumenta. Ille tibi instillabat saniorum doctrinarum ambrosiam, & cupidum discendi animum sapido satiabat nectare. Hic magni tuas æstimabat dotes & cùm sciret, eas non esse sine famulitio, sed stipari pulcherrimo variarum linguarum comitatu, singulasque dulci quadam conjuratione in te coire in unum, autor tibi extitit, ut illos saltem libros Abuali IbnSina Arabum principis quos Patavini in Cathedris explicare solent, politioris sermonis veste indutos in lucem ederes. Ad hoc officium te delinificis animabat verbis vir summus, se à TE exspectare hoc subsidium doctæ juventuti eximiè profuturum in æternum famæ TUÆ incrementum. Tam felici autem ipsi esse non licuit, ut videret illum diem, & tuam gloriam. Aliorum etiam doctrina excellentium non tantum in Urbe Urbium & primariis Italiæ civitatibus, sed pluribus etiam aliis tibi comparasti favores, ut facile tibi animos addicerent, & medicæ sapientiæ in te derivarent rivulos, ac amicitiam ex variis regionibus ipsoque Oriente tecum colerent. Non cessas etiamnum doctrinarum convasare gazas, easque in usus impendere




dere publicos. Macte his dotibus! Qui nunc ſub prælo liber favente Lucina prodeat in Lucem. Manu mitte etiam alia victuris ſeculis monumenta, & in lucem ede, doctrinis obſcuris quæ nitorem, ſcriptoribus vitam, dubiisque magno ſervandorum hominum incremento, fœnerare poſſunt fidem.

Vale & flore in numero illorum qui nullis in publicam ſalutem parcere ſolent laboribus. Dabam in Athenæo Salano CIↃ IↃCLXXI. ipſis Calendis Septembris.

Excellentiæ Tuæ

Addictiſſimus

Guernerus Rolfincius Phil. & Med. D. Practicæ & Chimiæ P. P. Academiæ Senior.



VIRO

Admodum Rever.do atque Clar.mo

THEOPHILO SPIZELIO,

Ecclesiastæ ad S. Jacobi vigilantissimo, Domino & Fautori suo honoratissimo.

S. P. D.

INgratissimus videri queam, quod Rev. Tæ. Dignitati, quas debebam, gratias, pro eximio Opere Mssorum Theologorum huc usque agere distulerim: Sed dum quotidiè Dissertationem meam de Ægagropilis auctiorem à Bibliopola exspectabam, ne vacuus comparere cogerer, vix tandem his diebus integram accepi, neq; sic tamen, ut ego optaveram, & ille se curaturum pollicitus erat, omnibus numeris ornatam & perfectam. Cujus iccircò hoc exemplar, quod levidense ἀντίδωρον *serius exhibeo, ut meliorem in partem interpretari velit, eo, quo decet animo, peramanter rogo. Multum præterea humanitati atque benevolentiæ Revdæ. Tæ. Dignis. obstrictum me profiteor, quod mei tam honorificam mentionem facere dignata sit, daturus utiq; operam, ut quacunque occasione vicissim ipso opere contester, quanti & rarissimam eruditionem & præclara merita Revdæ. Tæ Dignis. & deniq; amorem singularem, immerenti mihi sæpius demonstratum, æstimem. Quæ verò olim petenti concedi non poterant, nec excusatione indigebant. Quia tamen interea de opere Anglico inquirenti Gœbelius noster significavit, Rev.dam T.am Dign.tem haut ita pridem exemplar obtinuisse, non tantum quidem audaciæ mihi sumpserim, ut librum ipsum inspiciendum exoptem, sed veniam tamen rogo, quod denuò importunus sim, & Rev. T.am Dign.tem precibus meis fatigem. Cùm enim Exercitationem de Vena Medinensi ad mentem Ebnsinæ jam dudum absolutam habeam, ut paucula addenda supersint, dum adfectum nulli Me-*



li Medicorum satis intellectum aut expositum ab reliquis omnibus discerno, mentionem quoque serpentium igneorum facere debui, qui olim populo Israëlitico irato Numine infesti erant, quia hos quoque non vera animalia, sed morbum aliquem fuisse, primates quidam Medici publicè adfirmare ausi sunt. Hos igitur dum redarguo, & aciem argumentorum instruo, præcipuum momentum ex sacris literis depromendam ratus textum authenticum cum Versionibus, quas habere potui, omnibus contuli. Sed quia præter Biblia Antverpiensia, & libros quosdam sacros particulatim Arab. Syr. & Chald. editos, in re mea tenui nihil extat, ingentis benevolentiæ documentum interpretabor, si tantum laboris & molestiæ Rev. Tua Dign.tas sibi imponi pateretur, ut unũ illũ Versiculum, qui Numer. c. XXI. sextus est, describendum mihi curaret, illis linguis, quarum paraphrases in Regiis non habentur. Quod si de sensu quoque verborum illorum ex Rabbinorum Commentatorum, quibus destituor, sententia, tùm sua quoque edocere me placuerit, haud sanè exiguum beneficium reputabo, gratoque animo cùm aliàs perpetuò agnoscam, tum in Exercitatione dicta eò lubentius publicè deprædicabo, quo magis adsensum Viri Theologi doctissimi honorificum præsentio, an etiam necessarium? ne falcem in alienam messem, ut dicitur, missam illi præcipuè objiciant, quos hodieque superstites, etsi, nî fallor, modestissimè, nec sine elogio, à me tangi oportuit. Quod si paraphrases inprimis Æthiopica, Syriaca, & Persica ab Hebræo textu, Arabica autem ab Erpeniana nihil diversum aut notatu dignum contineant, indicio saltem Rev.dæ T.æ Dign.tis id cognovisse mihi satis fuerit: Cui iccircò mea omnia officiosissimè vicissim defero, ac veniæ petitione repetita, prospera omnia à Servatoris nostri Benignitate comprecatus, dum vixero, adnitar, ut reapsè dici queam


Rev.dæ T.æ Dign.tis

D. in Muséo
CIↃ IↃC LXXIII.

Observantissimus

Georgius Hieronymus Velschius.

Salu-



Salutem & omnigenam à JESU Prosperitatem!

Excellentissime atque Præclarissime VIR!

QUas pro transmissâ Dissertationum Medico-Philosophicarum biga exquisitissima Tibi debeo gratias, eas reddidissem citius, ni de qualicunque redhostimento apprime sollicitus, æque duarum lucubratiuncularum copiam una Tibi facere, adeoque ad earundem editionem usque, amicam hanc compellationem literariam differre maluissem; quod si vero ista mea meletemata Tibi, pariter ac tua mihi grata acceptave fuisse percepero, votorum meorum summam facile ero consecutus, ac simul ad omnia officiorum genera tibi exhibenda promptus atque paratus. Quo magis autem de eo Exc. T. constare possit, en! desideratam exhibeo operis Anglicano-Biblici editionem, non quod describendi subterfugerim laborem, verum ipsa operis communicatione rem gratiorem Tuæ Excell. me facturum reputaverim. Quantum equidem lucis Sacro illi Numeror. loco diligens versionum & paraphrasium (quarum tres peculiares in Tomo altero sunt exhibitæ) Orientalium collatio conciliare queat, ipsa Te Vir Celeb. autopsia non sine volu-

voluptate singulari edocebit. Mirabar profectò maximoperè sciolorum illorum (quorum mentionem fecisti) temeritatem, qua radiantem Textus Mosaici veritatem malefidæ rationis tenebris obfuscare, ipsiusque adeò miraculi evidentem claritatem una eademq; opera impugnare neutiquam addubitarunt. Eaque propter satis laudare æstimareq; nequeo Tuum Vir Excell.me in vindicanda Sacri textus genuina explicatione studium, utque id ipsum mea quali quali opera juvari queat, sollicitè cogitabo. Ac licet nullam portentosæ illius opinionis (scil. quod serpentes populo Israëlitico in deserto infesti, non vera fuerint animalia, sed morbi cujusdam præ se tulerint speciem) mecum communicaveris rationem, existimo tamen, Medicos hujus assertores, pro ea stabilienda hanc præcipuè attulisse; quod serpentes ab irato Numine immissi, disertè in textu vocentur IGNITI, adeoq; haudquaquam naturales nuncupari juxta eos possint. Sed observarunt doctissimi Interpreres Ebræi pariter ac Christiani, non tam à causa, quam ipso effectu serpentes illos ignitos fuisse appellatos, eo quod morsu suo tantum calorem induxerint, ut morsi ab eis veluti concremati apparuerint. Hinc R. David Kimchi in Libro Schórschim: נקראו כן לפי שהן שורפין בהבל פיהם: Vocantur sic (scribit) quia urunt halitu oris sui. Et in Bemidbar rabba שְׂרָפִים vocantur ששורפים אתהנפש quia comburunt animam. Quia contra Deum (ita in vetustiss. Zohar libri Numeror. f. 88. col. 1. notanter legitur) & Mosen murmura-

runt ex æquo, ideò immiſit in eos SERPENTES COMBURENTES eos inſtar ignis, igne ingrediente in os ipſorum, ut conciderent & morerentur R. Chyah dixit, Serpentes veniebant, מלחשן בפומייהו mordebant eos, & moriebantur. Quid eſt? מלחשן Ardentes, candentes, ut Eccleſ. X. 11. Num mordet ſerpens ſine inflammatione? Nempe ignem accenſum habebant in ore ſuo, & mordentes ejaculabantur in eos ignem, ut viſcera eorum comburerentur & morerentur. Hactenus ex Zohar. Quorſum etiam plerique interpretes Orientales in opere Waltoniano collimâſſe videntur, dum iſtos ſerpentes ſuo quilibet idiomate URENTES appellavére, magis tamen pro ſtabilienda animalis naturæ Serpentibus iſtis propriæ, veritate, ac demonſtranda ſententiæ à Te oppugnandæ falſitate, facere videbitur Syriaca interpretatio antiquiſſima, qua SERPENTES juſto DEI judicio Iſraelitas mordentes, IMMANES, (h. e. animalia quantitate maxima) nuncupavit. Neque tamen eorum ſententiam exiſtimo improbandam eſſe, qui שׂרפים: שׂרף: peculiarem Serpentum ſpeciem eſſe crediderunt, eandem ſcil. cum Dipſade, de qua Solinus CXL. ſcribit, quod ſiti interficiat, ſic ipſe videtur ſumpſiſſe. Onkelos Chaldaicè reddens חיון קלן: & R. Salomon: ששורפים את הארם בארם qui urunt hominem שין יהם veneno ſuorum dentium. Sic etiam R. Bechai: Suffeciſſet (ita verba ejus Latinè ſonant) ſi dixiſſet ſerpentes, addidit autem: את השרפים quod legi poteſt vel שְׂרָפִים: Seruphim, combuſti, vel שׂרפים Sore-

Sorephim, comburentes, quatenus ſcil. hucusque Nubes eos combuſſerat, ne nocerent Iſraëlitis, Seruphim, poſteaquam Iſraëlitæ peccârunt, & in eos immiſſi ſunt, fuerunt Sorephim comburentes. Quos etiam novit Plinius, atque Preſteres vocavit vocabulo Græcè idem quod Hebr. שרפים ſonante, & Lucanus libr. IX. à Preſtere vulneratum deſcripſit ad h. m.

Naſidium Marſi cultorem torridus agri
Percuſſit PRESTER, *illi rubor igneus ora*
Succendit, tenditq; cutem, pereunte figura,
Miſcens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanumq; egreſſa modum ſuper omnia membra
Efflatur ſanies latè tollente veneno;
Ipſe latet penitus congeſto corpore morſus,
Nec lorica tenet diſtenti corporis auctum.
Spumeus accenſo non ſic exundat aheno
Undarum cumulus: nec tantas carbaſa caro
Curvavere ſinus tumidos jam non capit aptus,
Informis globus & confuſo pondere truncus,
Intactum volucrum roſtris epulasque daturum
Haud impune feris non auſi tradere buſto
Non dum ſtante modo creſcens fugêre cadaver.

Atq; hujusmodi ſerpentes Deum ex ipſo Arabiæ deſerto ſuſcitaſſe, perque eosdem plagam lethalem populo ſuo cõtumaci imiſiſſe, qua ratione aliquis infic abitur? Cur obſecro Sacri textui fidem derogaret Medicus, ſi ipſum Dioſcoridem (in libri ultimi fine) mentionem feciſſe

inveniat Dipſadis, ſerpentis venenatiſſimi, ſic dicti à ſiti, quam creat morſu extremam, illumque alio nomine (juxta eundem) καῦσον & πρηστῆρα, eò quod morſu urat & incendat, dictum fuiſſe, & teſte Æliano lib. VI. Hiſt. Anim. cap. 50. pridem his aliisque nominibus appellatum eſſe, ſibi ad animum revocet. Taceo Hiſtoricos, quorum plurimi, Serpentes ſive Dracones, ignitos aliquando viſos eſſe, h. e. qui ignem vomerent, tradiderunt. Unicum duntaxat ex Leſſæi Scotia affero documentum: ille etenim anno 1558. apud Marchiam & Landoniam, Draconem quendam tantos ignes vomuiſſe tradidit, ut iis ſegetes & fruges incenderet, quocirca colonos pervigilare debuiſſe, ut eos aſſiduè extinguerent. Etſi verò ad hanc ſpeciem Serpentes iſtos Iſraëlitis immiſſos reſtringere haudquaquam velim, nec certam quandam determinare aliam, (Præſertim cum Autor libri Sapientiæ cap. XVI. 10. Venenatos DRACONES illos dixerit; interpres verò Perſicus; Serpentes viperas; Jonathan B. Uziel, ſerpentes Regulos ſeu Baſiliſcos, conf. Jerem. VIII. 17.) ex omnium tamen interpretum collatione, ipſaque Textus originalis veritate liquido conſtare exiſtimo, ſerpentes igneos vera Animalia, non morbum duntaxat quempiam fuiſſe. Plura pro hac ſententia confirmanda lubens attuliſſem argumenta, ni eorum aciem â T. Excell. jam jam inſtructam eſſe intellexiſſem. Trium duntaxat præſtantiſſimorum Rabbinorum de illis ſerpentibus judicia, ἀκριβεστάτῳ Tuo duxi ſubjicienda.

Primum

Primum Iſ. Abarbenelis eſto, in Comm. ad Num. xxi. ſcribentis hoc ſenſu: Quia non murmurarunt ob penuriam panis & aquæ, ſed ſine cauſa loquuti ſunt contra Deum & Moſen לרוע נפשם ex ſola malitia animæ ſuæ, contemnentes cibum omnium præſtantiſſimum, nempe Manna, & ſic lingua mala, h. e. calumnia & obtrectatione peccaverunt; ideò æquales hac in parte facti ſunt ſerpenti, המזיק ללא תועלת לעצמו אלא לרוע מזגו: qui nocet & lædit ſine ulla ſua utilitate, ob ſolam malitiam naturæ ſuæ, ſicut Rabbini noſtri dicunt; Reliqua animalia rapacia omnia nocere & lædere prædæ & victus ſui comparandi cauſa, ſerpentem autem ſine ulla cauſa, vel commodo ſuo. Quia itaque Iſraëlitæ Lingua ſua mala imitati ſunt Serpentes, immiſit in eos Serpentes Urentes, qui ore ſuo eos momorderunt, ſicut ipſi momorderunt lingua ſua. Ita Abarbanel, & in eundem ferè ſenſum, locum illum, R. Levi ben Gerſon explicavit. Alterum Rabbi, ſcil. Iſaaci Aramàh judicium eſt tale: Quia Manna non contenti naturalem & ordinarium panem appetiverunt; propterea judicavit eos Deus Opt. Max. juxta hanc ipſorum viam. Dixit nempe: Quia non deſideratis vivere niſi modo naturali, etiam ego hoc vobis faciam, & permittam Serpentes, qui ſunt in Deſerto iſto magno Naturæ Suæ, neque in poſterum occludam os eorum, ne vobis noceant, ſicut huc usque feci. Tertia denique R. Judan ſententia in Bemidbar Rabba & Tanchuma reperitur his verbis: את הנחשים שהיה


העגן שורף אותן גדר למהנה המקום אותן גירה בהן׃ Hoc est: Illos serpentes, quos nubes antea combusserat, & ex quibus sepem circa castra eorum fecerat, ad nota facienda illis miracula ipsis facta; ILLOS, inquam, EOSDEM SERPENTES nunc immisit in eos. Verùm hæc (uti antea scripsi) meletemata Rabbinica accuratiori Tuæ disquisitioni committens, Te Vir Excellentissime, singulari rei Medicæ emolumento, nostræq; Patriæ ornamento, vivere, valere, vigereq; jubeo quam diutissimè.

Dabam è Muséo, Idib. Febr. cIↄ Iↄc LXVIIII.

Excellᵉ. & Clar. Tuæ observantissimus

Theophilus Spizelius.





INDEX

INDEX

I.

Eorum, qui nominantur, laudantur, emendantur, illustrantur.

S. HIERONYMUS
lib. II.
Contra Academicos:

Multa in manus recipio, ut à multis multa recognoscam.

INDEX



INDEX I.

Eorum, qui nominantur, laudantur, emendantur, illustrantur.

B.

Micha-

C.

D.

Ebn

F.

G.

Sigis-

H.

A. Hir-

K.

L.

Edmun-

N.

Gabriel


Anto-

Nico-

Cyri-

X.

Z.



INDEX
II.
Nominum & Verborum XXIIX. Linguarum,

Quæ toto hoc opere adducuntur & explicantur.

SENECA.

lib. II. de beneficiis. c. III.

Fragilis hominum memoria est, quæ quantum recipit, tantundem necesse est, ut amittat.



INDEX II.

Nominum & Verborum XXIIX. Linguarum, quæ toto hoc opere adducuntur & explicantur.

I.

Æthiopicæ.

[Literis radicalibus Hebraicis expressæ.]

II.

Americanæ.


s.

Brasilienses & Mexicanæ.

III.

Arabica.

بند



IV.

Armenicæ.

[Literis Persicis expressæ.]

غير

V.

Belgicæ.

VI.

Chaldaicæ.

[Literis Hebraicis expressæ.]

מלאך

VII.

Colchicæ.

[Literis Persicis.]

IIX.

Copticæ.

Sive

Ægyptiacæ.

[Literis Græcis.]

IX.

Gallicæ.

X.

Germanicæ.

XI.

Græcæ modernæ.

XII.

Græcæ Vett.

ἀμπε-

κεράτιον,

XIII.

Guineenſes
ſive
Meinenſes.

[Literis Arabicis expreſſæ.]

XIV.

Hebraicæ Vett.

:דימא

XV.

Hebraicæ Rabbinicæ Talmudicæ.

XVI.

Hispanica.

XVII. In

XVII.

Indicæ, Japonicæ, & Malabaricæ.

[Literis Persicis.]

XIIX.

Italicæ.

XIX.

Latinæ Semibarbaræ.

XX.

Latinæ Vett.

Vid. in Indice Rerum.

XXI.

Lusitanicæ.

XXII.

Persicæ.

جنكل

XXIII.

Polonicae.

XXIV.

Samaritanicae.

[Literis Hebraicis expressae.]

XXV.

Sinenses

[Literis Persicis expressae.]

XXVI.

Syriacæ.

[Literis Arabicis expressæ.]

XXVII.

Tatarica.

XXIIX.

Turcicæ.

